VISITA PASTORALE
LAGO DI GARDA OCCIDENTALE
DI GIOVANNI BRAGADINO

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1743 Liber Octavius

REGISTRO LXIV

collana 'Ecclesiae Veronensis documenta' - X

[A margine: RIPERIAE]

PRIMA VISITATIO ECCLESIARUM
VERONENSIS DIAECESIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI EPISCOPI VERONENSIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRAELATI DOMESTICI ET CETERA
ASSISTENTIS

LIBER OCTAVUS

LXIV

Bernardo Ronchi Cancellario

[*Una pagina staccata e lacerata con il calendario della visita, da Peschiera a Portese – nel verso da Manerba a Pozzolengo – Verona. Per notizie su Giovanni Bragadino, vescovo di Verona dal 1733 al 1758 cfr. G.EDERLE – D. CERVATO, I Vescovi di Verona, Vr 2001*]

INDICE DELLE PAROCHIALI

C – Castellar Lagusel San Nicolò, carte 269ᵛ – Cappuccine di Lonato Santa Maria degl'Angeli, c. 247. 256.
D – Desenzano Santa Maria Maddalena, c. 55.
F – San Felice di Riviera, c. 168ᵛ.
L – Lonato San Giovanni Battista, c. 233.
M – Maguzano Santa Maria, c. 89 – Manerba Santa Maria, c. 197ᵛ – Moniga San Martino vescovo, c. 221.
P – Peschiera San Martino, c. 2 – Padenghe San Emigliano, c. 91ᵛ – Polpenazze Natività di Maria Vergine, c. 119 – Puvegnano San Michel, c. 142 – Portese San Giovanni Battista, c. 156 – Pozzolengo Santa Maria o San Lorenzo, c. 278.
R – Rivoltella San Biasio, c. 34 ᵛ.
S – Sermione Santa Maria, c. 22 – Soiano San Michel, c. 111.

INDICE DEGLI ORATORI

A – Santo Angelo Custode sotto Peschiera, c. 19ᵛ – Santissima Annunciata sotto Sermione, c. 25ᵛ – Sant'Antonio di Padova sotto Rivoltella, c. 39 – Sant'Anna sotto Desenzano, c. 65 – Sant'Ambrosio sotto Desenzano, c. 85ᵛ – Sant'Antonio sotto Polpenazze, c. 135ᵛ – sant'Antonio Abbate sotto Polpenazze, c. 138ᵛ – Sant'Antonio sotto Manerba, c. 211ᵛ – Sant'Antonio Abbate sotto Lonato, c. 248ᵛ.
B – San Benedetto sotto Peschiera, c. 7 – Beata Vergine del Ponte sotto Sermione, c. 26 – Beata Vergine della Villa sotto Rivoltella, c. 43 – San Bernardino sotto Desenzano, c. 60 – Beata Vergine del Rosario sotto Desenzano, c. 65ᵛ – Beata Vergine della Torricella sotto Padenghe, c. 96ᵛ – Beata Vergine della Mercede sotto Polpenazze, c. 118ᵛ – San Bernardo in Montinelle sotto Manerba, c. 204ᵛ – Beata Vergine Addolorata di Belveder sotto Manerba, c. 214ᵛ – Beata Vergine della Neve sotto Moniga, c. 226 – Beata Vergine di San Martino sotto Lonato, c.240 – Beata Vergine di Sedene sotto Lonato, c. 242 – Beata Vergine del Corlo sotto Lonato, c. 244ᵛ – Beata Vergine della Vittoria sotto Lonato, c. 251ᵛ – Beata Vergine del Giglio sotto Lonato, c. 258 – Beata Vergine del Rosario sotto Lonato, c. 267ᵛ – Beata Vergine Iscoperta sotto Lonato, c. 268 – Beata Vergine Annunciata sotto Castellar, c. 276 – Beata Vergine delle Grazie sotto Castellar, c. 277.
C – San Cosimo sotto Peschiera, c. 13 – San Cristoforo sotto Rivoltella, c. 40 – San Carlo sotto Desenzano, c. 61 – San Carlo sotto Desenzano, c. 62 – Santissimo Crocefisso sotto Desenzano, c. 72 – San Carlo di Chizzoline sotto Soiano, c. 108ᵛ – San Carlo sotto San Felice, c. 185ᵛ – Santa Cattarina in Gardon sotto Manerba, c. 206ᵛ – San Cipriano sotto Lonato, c. 242ᵛ – San Carlo sotto Pozzolengo, c. 284ᵛ.
D – La Disciplina sotto Peschiera, c. 13ᵛ – San Donino sotto Rivoltella, c. 44ᵛ– Decolatione di San Giovanni Battista sotto Lonato, c. 267.
E – Sant'Emiliano sotto Padenghe, c. 95ᵛ.
F – San Francesco sotto Rivoltella, c. 33ᵛ – San Francesco Saverio sotto Desenzano, c. 59 – San Francesco sotto Desenzano, c. 84.
G – San Giuseppe sotto Sermion, c. 27 – San Gerolamo sotto Rivoltella, c. 45 – San Giuseppe sotto Rivoltella, c. 47ᵛ – San Giovanni Decolato sotto Desenzano, c. 78ᵛ – San Giovanni Decolato sotto Padenghe, c. 102ᵛ – San Gaetano sotto Puvegnago, c. 149 – San Giuseppe sotto Puvegnago, c. 149ᵛ – San Giovanni Battista sotto Puvegnago, c. 152ᵛ – San Giovanni Battista di Cisano sotto San Felice, c. 187 – San Giorgio sotto Manerba, c. 206ᵛ – San Giovanni Battista o Beata Vergine della Neve in Raffa sotto Manerba, c. … - San Giovanni Battista sotto Manerba c. 211 – San Giuseppe sotto Lonato, c. 246 – San Giuseppe sotto Castellar, c. 273 – San Giuseppe sotto Pozzolengo, c. 282 – San Giuseppe in Baibò sotto Pozzolengo, c. 284 – San Giuseppe in Cerese sotto Pozzolengo, c. 285 – Santi Giacomo e Filippo sotto Pozzolengo, c. 285ᵛ.
I – Immacolata Concetione sotto Moniga, c. 227.
L – San Lorenzo sotto Desenzano, c. 59ᵛ – San Lorenzo sotto Pozzolengo, c. 289 – Santa Lucia in Balbiana sotto Manerba, c. 207ᵛ.
M – La Misericordia sotto Peschiera, c. 12ᵛ – San Martino sotto Rivoltella, c. 41ᵛ.
N – Santissimo Nome di Maria sotto Manerba, c. 208ᵛ.
O – Ospitale sotto Peschiera, c. 12 – Sant'Orsola sotto Desenzano, c. 76.

P – San Pietro sotto Sermione, c. 29 – San Pietro d'Alcantara sotto Rivoltella, c. 38ᵛ – San Paolo sotto Rivoltella, c. 46 – San Pietro sotto Polpenazze, c. 132ᵛ – San Procolo sotto Manerba, c. 211ᵛ.

Q – San Quirico sotto Lonato, c. 242.

R – San Rocco sotto Rivoltella, c. 41 – San Rocco sotto Desenzano, c. 60ᵛ – san Rocco sotto Padenghe, c. 96.

S – San Sebastiano sotto Rivoltella, c. 39 – Sacra Famiglia sotto Polpenazze, c. 135ᵛ – San Siro sotto Manerba, c. 201ᵛ – San Sivin sotto Manerba, c. 207.

T – Santa Teresa sotto Rivoltella, c. 39ᵛ – Santissima Trinità in Solarol sotto Manerba, c. 202 – San Tomaso sotto Lonato, c. 243.

V – San Vitto sotto Sermion, c. 26ᵛ – San Vigilio sotto Desenzano, c. 58ᵛ – Visitazione di Santa Elisabetta sotto Padenghe, c. 94ᵛ – San Vigilio sotto Pozzolengo, c. 283 – Santi Vicenzo et Anastasio sotto Pozzolengo, c. 285ᵛ.

Z – San Zeno sotto Peschiera, c. 15ᵛ – San Zeno sotto Rivoltella, c. 46ᵛ – San Zeno sotto Lonato, c. 241ᵛ.

|**1**| In nomine Domini. In Christi nomine amen. Anno ab eius Nativitate 1743, indictione sexta, die vero sabbathi vigesimo mensis aprilis, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti divina providentia papae XIV, anno eius tertio. Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesicus et assistens, assidua vigilantia quidquid solliciti pastoris est numquam intermittens ut oves sibi creditas dignoscere eisdemque adiutrices manus in viam salutis porrigere possit, quasdam suae diaecesis ecclesias trans Mintium hoc anno statuit invisere. Visitatione itaque de more indicta monitisque de ea ecclesiarum infrascriptarum reverendis rectoribus nec non praemissis duobus reverendis patribus missionariis ordinis strictioris observantiae sancti Francisci, ex quorum praedicatione et exemplo christifidelium animi ad speciales fructus in pastoris adventu uberiores recipiendos praeparentur, hac statuta die sumptis secum reverendissimo domino Petro Antonio Albertinio iuris utriusque doctore pro vicario suo generali, admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipraesbytero Sancti Ioannis ad Forum ceremoniarum magistro, duobus reverendis suis cappellanis meque notario episcopali aliisque suae familiae praemissaque adoratione sanctissimi Sacramenti in ecclesia sua cathedrali, rhedam conscendit et ad fortilitium Pischeriae iter direxit. Antequam ad terram Castri Novi perveniret, illi occurrit |**1**^{v}| cohors equestris vulgo *de dragoni*, iussu illustrissimi et reverendissimi domini Benedicti Balbi provisoris fortilitii praedicti, cuius nomine dominus Antonius Zangrandi, eius cancellarius, humanissimis verbis martialis famulatus honorem eidem exhibuit. His stipatus, illustrissimus et reverendissimus praesul iter prosecutus est. Interea praedictam Castri Novi perventus, humilimo officio ab admodum reverendo domino Martino Mena, archipraesbytero Pischeriae eiusque clero universo veneratus, quod officium dominus Eugenius Bergaminus, sindicus spectabilis communitatis praedicti fortilitii, una cum domino Augustino Pastella eius collega ac multis principalioribus communitatis, summo obsequio suo et eorum comunitatis nomine, prosecutus est. Quibus ab illustrissimo et reverendissimo praesule suo more perhumaniter responsum fuit iidemque omnes comitantes alii in rhedis sedentes, alii vero equitantes, Pischeriam versus profecti sunt. Cavalcassellarum terra praeterita, clangentibus tubis, ad fortiitium accessit, explosis a bombarderiis in muris eiusdem tormentis bellicis. In portis fortilitii milites hic illhic dispositi, qui vigilare solent in palatio excellentissimi provisoris, illustrissimum et reverendissimum praesulem subiecti sunt ac cum huiusmodi comitatu in aedes a domino archipraesbytero modo conductas, cum musico instrumentorum concentu a spectabili communitate tunc ac deinceps usque ad finem visitationis suae illustrissimae et reverendissimae dominationis honori constituto se se recepit. Parva mora recreatus ex itinere, ad illustrissimum et excellentissimum provisorem |**2**| primario suo cappellano misso, ut sui adventus ipsum certiorem faceret ac eius nomine debita officia perferet, illustrissimus et reverendissimus praesul paulo post, constituta visitatione ab ipso illustrissimo et excellentissimo provisore visitatus fuit ac deinde iterum a domino archipraesbytero et clero et postmodum a dominis sindico et primariis comunitatis nec non a domino maiore caeterisque officialibus militaris ordinis huiusce fortilitii; ipse vero ad palatium excellentissimi provisoris divertit, ubi – ut par est – suum officium erga ipsum persolvit. Quibus peractis, cum iam advesperascet, paululum in cubiculum sibi paratum venit ac deinde cenam sumpsit et quievit.

[A margine: PISCHERIA] Die dominico 21 aprilis 1743. Facto mane omnibusque opportune dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ob continuam pluviam rhedam suam cum reverendissimo domino provicario suo generali conscendit et ecclesiam parochialem petiit. Quo perventus et e rheda egressus, fuit sub baldachino a sex principalioribus fortlitii ad hoc a spectabili comunitate deputatis gestato, a clero processionaliter et a confratribus scholae tam sanctissimi Sacramenti quam disciplinatorum suis vestibus indutis receptus, deosculata cruce in ingressu ecclesiae, sibi a domino archipraesbytero pluviali albo induto porrecta, super pulvinaribus stratis genuflexus inibique sistens, populo benedixit aspersorio accepto ab eodem domino archipraesbytero, a quo thurificationis honorem |**2**^{v}| triplici ductu recepit; interim simphonia musicorum instrumentorum et sacris himnis iuxta ritum a clero decantatis personuit ecclesia. Facta vero adoratione sanctissimi Sacramenti, ad altare ascensus publicataque de more de suo mandato indulgentia, populo solemni ritu benedixit. Mox ad thronum venit ubi, pluviali albo indutus, assistentibus ad eius ministerium admodum reverendo domino Ioanne Baptista Sacco, archipraesbytero parochialis ecclesiae Sancti Leontii de Ponti et vicario foraneo nec non admodum reverendo domino Ioanne Sacco, archipraesbytero Cavalcassellarum dalmaticis ornatis sedensque in eo, sermonem omni charitatis paternae zelo ac ecclesiae sacraeque eruditionis ornatu refertum, quo tum peccatores ad poenitentiam amplectendam suadebat enixeque hortabatur, tum homines pios ne forte, saeculi malitia illecti, a sua sanctitatis via declinarent summo studio admonebat; quo factum est ut non mediocris in populo frequentissimo commotio ad pietatem apparuerit. Quo absoluto, depositis albis sacris vestibus indutisque violaceis, pro defunctis una

cum clero oravit et ad coemeteria tum parochianorum tum militum ad orandum et visitandum eadem pietate se contulit in iisque preces consuetas persolvit. Iterum ecclesiam ingressus, ad altare maius violacea paramenta deposuit et alba reesumpsit apertoque ab admodum reverendo domino archipraesbyter ostio tabernaculi, prostratus una |**3**| cum ministris et clero divinum augustissimum Sacramentum humili modo adoravit sacroque decantato hymno caeterisque ritibus praemissis, ad visitandum idem Sacramentum ad altare, una cum reverendissimo suo provicario generali, conscendit. Vidit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in ligneo tabernaculo aurato repositum et in pixide argentea intus inaurata servatum, quod sera et clavi, quae est argentea, custoditur. Hoc Sacramentum renovatur ex domini archipraesbyteri cura statutis temporibus. In processione circumfertur maiori qua fieri potest devotione ac cultu die Corporis Christi et tertia dominica cuiuscumque mensis, exceptis iis temporibus quibus exponitur publicae adorationi, in throno argenteis laminibus ornato, quod fit omnibus festis diebus a die prima cuiusque anni ad solemnitatem usque Paschatis resurrectionis et a solemnitate Pentecostes usque ad festum exaltationis sanctae Crucis. In Quadragesima quoque exponitur sanctissima Eucharistia singula quoque sexta feria; in expositionibus autem et processionibus reponitur Sacramentum in ostensorio argenteo radiato, non medicri impendio a communitate comparato elegantique forma constructo. Dum deferendum est ad infirmos Viaticum, signa consueta pulsantur campanarum, quibus populus ad illud prosequendum excitatur et, quoties longius progrediendum est, utitur dominus archipraesbyter amigdala argentea, quam vidit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopos, rite fabrefactam; sacrae non |**3**^{v}| desunt suppellectiles ad id neccessariae, a communitate omni sumptu et elegantia comparatae, quas vidit ipse, auro etiam contextas ac praesertim baldachinum, pluviale cum dalmaticis et vexillum sericum quoque auro contextum. Parochiani frequenti cum laudabili more ad divinum hoc pabulum accedunt, ut retulit dominus archipraesbyter, cuius curae subsunt animae numero 1437, exceptis militibus; ex quibus parochianis Eucharistiae communicant ad numerum 981, inter quos nemo est qui praecepto paschali non obtemperet. His peractis observatisque, populo cum sacra pixide benedixit et sacrifitium Altissimo obtulit ac communionem sacram populo frequentissimo distribuit ad numerum personarum supra sexcentum. Sacris vestibus exutus gratiisque Deo peractis, ad aedes admodum reverendi archipraesbyteri reversus est. Die antedicta 21 aprilis 1743 post prandium. Prandio sumpto, paulisper quieti indulsit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ac deinde indicta processione, puellae puerique scholae doctrinae christianae huius plebis, laudes divinas cantantes et confratres societatum Sacramenti et disciplinatorum una cum clero ac frequentissimus populus ad aedes admodum reverendi archipraesbyteri ordine perhonorifico devenerunt et, descensus ex iisdem aedibus, illustrissimus et reverendissimus praesul ac sub baldachino gestato a supradictis deputatis receptus, ad ecclesiam parochialem petiit ubi, divisis maribus a feminis, utriusque |**4**| sexus discipulos interrogavit interrogandosque mandavit eosque in fidei christianaeque legis praeceptis instructos expertus est, ex quo plurimum ad reverendi archipraesbyteri caeterorumque sacerdotum curam comendavit, qua a teneris annis eosdem ad bene beateque vivendum docuerunt, praevia etiam iis qui prae caeteris instructione se se praebuerunt a liberalitate domini archipraesbyteri comparata distribuit. Dimissis discipulis, officiales et operarios nec non operatrices ad se vocavit, a quibus liber in quo acta huius scholae describuntur oblatus est. Interrogans, cognovit pueros a puellis distinctos esse medio telae dum docetur christiana doctrina; cognovit etiam servari regulas adamussim congregationis doctrinae christianae et ordinem optimum servari. Tandem paternis humanisque verbis ecclesiasticos ac laicos operarios et operatrices hortatus est ut in hoc opere sedulam operam in dies magis impenderent sibique summum charitatis meritum ex ea compararent. Hisce etiam dimissis, ad sacramenta visitanda se convertit ac primum olea sancta, in loculo ad hoc decenter parato in cornu evangelii altaris maioris et primum capsulam nucis bene tentam cum tribus vasculis stamneis cum operculis ad modum cocleae fabrefactis; deinde vascula chrismatis et cathecumenorum pro sacramento baptismatis argentea eleganter concinnata; demum vasculum |**4**^{v}| argenteum olei infirmorum eodem modo compactum, quae olea sancta rite respective adhibentur a domino archipraesbytero vel ab iis qui ab ipso delegantur omnia bene et perpolite tenta sub sera et clavi tute custodita. Vidit baptisterium in edicula iuxta portam maiorem ecclesiae, cancellis ligneis clausa, cum sera et clavi. Sacramentum baptismi rite administratur. Vidit quinque confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis christifidelium sacramentalibus confessionibus. Visitavit subinde altare maius cum portatili et mensa marmorea et ianuis a lateribus item marmoreis, de ratione huius communitatis, in quo nulla est obligatio missarum seu legatum, ut fuit assertum; celebrat tamen in eo dominus archipraesbyter omnibus diebus festis pro populo, constitutionibus ecclesiasticis obediens; huic altari adest privilegium pro defunctis, ad septemnium datum pro qualibet secunda feria cuiuslibet hebdomadae. Hoc altare a spectabili communitate manutenetur, exceptis ceris, oleo pro lampade et ornamentis, pro quibus supplet dominus archipraesbyter qui, parendo mandatis,

obtulit policeas, quas ego notarius infrascriptus recepi et in fine huius reposui sub littera A. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario nuncupatum, alias sub titulo sanctorum Sebastiani et Rocchi, de ratione communitatis, a qua societati eiusdem tituli Rosarii assignatum, **|5|** ab ipsa de omnibus manutenetur; habet mensam marmoream, reliquum altare ex gypso elaborato confectum. In hoc altari adest imago sub cristallis beatae Virginis Mariae, quae cultu peculiari tum a societate tum a communitate observatur. Societas haec habet quosdam redditus, ex piis legatis eidem iam relictis, ducatorum 50 circiter, ex quibus ab immemorabili consuevit tot missas celebrare facere quot possunt iuxta eorum vires. Confratres vero alias eleaemosinas tribuunt, unde quater in hebdomada, diebus festis compraehensis, celebrare faciunt per reverendum dominum Petrum Cantonum, amovibiliter electum, qui adimplet. Haec societas ultro iam tempore errecta asseritur, sed eius errectio non docetur a confratribus, quia priores societatis libri et monumenta deperdita sunt. Olim procuratores communitatis administrabant huius societatis redditus; nunc vero deputati ab eadem societate ipsos administrant. Altare sanctissimi Corporis Christi, marmoreum in mensa, ex gypso vero elaborato, in caeteris partibus assurgit cum portatili et icone depicto. Altare hoc est de ratione communitatis, assignatum tamen societati sanctissimi Corporis Christi, quae huic altari unita dicitur. Societas haec nullos habet redditus; altari tamen **|5^{v}|** adnexa est officiatura missarum duarum, compraehensis festivis, in hebdomada pro ducatis triginta ab ipsa societate de eius redditu praestitis; quas missas celebrat reverendus dominus Georgius Salodinus amovibiliter electus, a quo adimpletur. Haec societas olim iam instituta asseritur, sed viginti ab hinc annis confratres vestem laneam violaceam cum capuccio rubro induunt iuxta capitula ab iisdem asserta; verum, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus audierit nulla auctoritate ecclesiastica eadem capitula fuisse approbata et habitum huiusmodi religiosum confratres induisse, monuit eos ad recurrendum, ad hoc et cetera. Altare Sancti Spiritus cum portatili et icone, cum mensa marmorea super murum constructa, ceterae altaris partes ex gypso eleborato consurgunt; icon depictus est et pictura est antiqua. Altare istud est de ratione communitatis, ubi capellania seu beneficium ecclesiasticum de iure patronatus eligendi et praesentandi eiusdem communitatis iam inde institutum, anno scilicet 1425 die 14 februarii, a quondam Tura, filio quondam Ardizzonis Giordani, ut ex instrumento exhibito et infra posito sub littera A, a quo Tura errectum etiam fuit altare ipsum et cappellanus instituitur ab episcopo veronensi pro tempore. Rector huius cappellaniae est reverendus dominus Ioannes Vecchi et possidet eadem capitalia quae relicta fuerunt ab institutore, scilicet quatuor petias terrae in districtu Pischeriae, unam in contrata hodie vulgo *del Papa* et tres in loco qui dicitur **|6|** *la Spianata* foris portam fortilitii Brixiam versus; possidet etiam redditus ex piscaritio, unam scilicet portiunculam et exigit canonem a locis piis uti haeredibus haereditatis Ottelli ac demum domum, quam postmodum visitavit et paene colabentem invenit, ex quibus redditus percipit et pro quibus celebrat quatuor missas in hebdomada, iuxta mentem et ordinationem institutoris. Rector ipse supplicavit illustrissimum et reverendissimum dominum dominum episcopum ut, cum praeter obligationem missarum sibi incumbat onus manutenendi cappellam seu altare, cui, gravaminibus caeteris impletis, supplere non potest nec domum restaurare, ut dignetur redducere missarum numerum ita ut possit et gravamina et onus manutenendi altare sufferre. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut exhibeat documenta neccessaria ad hoc et cetera, sibi resservans, ad suam ressidentiam reversus, decernere quidquid et cetera tamquam in visitatione et ita et cetera, omni et cetera. Altare sancti Caroli, institutoris sancti Montis Pietatis in hoc fortilitio, marmoreum cum portatili et icone depicto, de ratione communitatis; manutenetur tamen de suppellectilibus, ceris et oleo pro lampade a dominis gubernatoribus Montis Pietatis ex parte lucri quod superest ex eorum officio. Extat huic altari obligatio missarum quatuor in hebdomada **|6^{v}|** pro ducatis 50, relictis ex testamento Recchioni diei 3 decembris 1662, in actis domini Ferro notarii veronensis, prout asseruerunt, quam stipem solvit spectabilis communitas huius officiaturae commissaria, a qua eligitur amovibilis cappellanus et est reverendus dominus Ioannes Vecchi, a quo impletur; praeterea dotatum fuit – ut assertum est – olim hoc altare redditu ducatorum 20, pro quo solvit dominus arcarius sancti Montis Pietatis ac demum Mons ipse Pietatis solvit quot annis ducatos decem, ex decreto excellentissimi capitanei Veronae anni 1712 seu 1713, ut asseruerunt, ex quibus fit summa ducatorum 30, pro quibus celebrantur missae duae in hebdomada a praedicto reverendo domino Ioanne Vecchi, a quo adimpletur. In tabernaculo ligneo, duabus seris et clavibus custodito, in hoc altari extant duo reliquiaria argentea, in quorum uno extat particula ex ligno sanctissimae Crucis, cum litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Iosephi sanctae romanae ecclesiae cardinalis Accoromboni, episcopo imolensis, datis Imolae die 28 februarii 1730, alias in curia patriarchali Venetiarum sub die 27 martii 1730 recognitis, prout etiam in hac curia episcopali sub die 22 aprilis eiusdem anni et pars capilli beatae Virginis Mariae cum litteris patentibus illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci de Vico, canonici sacrosanctae lateranensis ecclesiae et episcopi Musini, sub datum Romae die 2 iulii 1729, in hac episcopali

curia recognitis die 14 octobris 1733; in altero vero, partes ossium sanctorum Christi martyrum Dilecti et Austeri, cum instrumento recognitionis per acta huius curiae confecto |**7**| die 7 ianuarii 1734, observavit sigilla intacta et documenta autentica; inde prostratus adoravit et thurificatus est reliquiam sanctae Crucis caeterasque deveneratus est. Et cum sero factum esset, ad aedes antedictas se contulit et per nuncium nobilis domini Ortensii Brenzoni, civis veronensis, huius fortilitii praetoris, condicta fuit visitatio, quam illico idem nobilis dominus Ortensius illustrissimo et reverendissimo antistiti persolvit ac subinde ipse illustrissimus et reverendissimus praesul, vestibus brevioribus nigri coloris indutus, ad palatium eiusdem nobilis domini praetoris se contulit ibique officiosum munus erga illum prestitit et, ad aedes antedictas restitutus, incenatus pernoctavit. Die lunae 22 aprilis 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, orto iam sole, ecclesiam parochialem antedictam petiit et, ante altare maius super pulvinaribus paratis stratus, se ad sacrum conficiendum praeparavit; sacrificium obtulit nonnullosque utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit ac deinde afluenti populo Confirmationis sacramentum ministravit, quo super ter mille in Christi milites confirmavit. [A margine: San Benedetto] Dum haec agerentur, reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium Sancti Benedicti, infra limites parochialis Pischeriae, de ratione comunitatis eiusdem fortilitii, a qua esset manutenendum, sed modo piorum eleaemosinis manutenetur. Ingressus oratorium idem factaque devota oratione, missam celebravit |**7**^{v}| actisque Deo gratiis unicum visitavit altare in eo existens marmoreum, perpolite eleganterque constructum ex piorum eleemosinis, cura et studio reverendi domini Gasparis Giarola, cuius pietas, tum in plurimis charitatis operibus tum praecipue in promovendo cultu huiusmodi oratorii eoque adornando, quam maxime eminet. In hoc altari est portatile; adest in ipso altari imago sancti Benedicti, ex marmore nigro alboque confecta et adsunt portae a lateribus ipsius altaris, quoque ex marmore constructae. Custodia etiam extat marmorea, in qua servatur reliquia sancti Benedicti abbatis, omnia vero eleganti forma elaborata. Reliquia in eodem tabernaculo custodita sub sera et clavi, quae est argentea et porta ipsius custodiae ex lamina argentea elaborata est, in qua rapresentatur adoratio Christi Iesu a Magis peracta; eadem reliquia reposita est in reliquiario ex auricalco intus ostensorium argenteum, litteris huius curiae munita diei 30 septembris 1737 ac etiam suo sigillo intacto, quae omnia cum reverendissimus dominus provicarius generalis observasset, reliquiam ipsam veneratus est. Solemnis dies huiusmodi oratorii est festum sancti Benedicti abbatis, quod eadem die visitantibus a summo regnante pontifice Benedicto XIV concessa fuit indulgentia plenaria ad septemnium, in curia episcopali veronensi die 20 martii 1742 executa, ut constat ex brevi viso et restituto. |**8**| Retro altare parvus chorus seu locus extat, per quem tenditur in alium locum ad usum sacristiae, recenter eleganti forma constructum; ibidem vidit calices et apparamenta pro sacro faciendo, quibus sacristia satis decenter abundat, ut ex policea a reverendo domino Ioanne Piazza cappellano exhibita, infra reposita ad litteram A. Cum idem reverendus Piazza in cura coadiuvet (quoad hanc partem) venerabilem plebem, in hoc oratorio servatur oleum infirmorum, quod ostendit in vasculo argenteo rite tentum. Ex hoc oratorio quotiescumque opus est et tempus celebrandi adsit, idem reverendus cappellanus, consecrato Sacramento, illud defert ad infirmos convicinos, in parvula pixide argentea intus aurata, quam ostendit nec desunt ad hoc neccessariae et decentes suppellectiles, ut ex antedicta pollicea. Cappellanus habet onus celebrandi singula quaque sexta feria et stipem accipit a comunitate Pischeriae. Ordinata. Portatile altaris aliquantulum deprimatur, ne tantum supra mensam emineat illiusque rimae obturentur – mappae continuo munde serventur. Quibus habitis et cetera. Ad parochialem ecclesiam antedictam restitutus, idem reverendissimus dominus provicarius |**8**^{v}| generalis visitavit altare sancti Ioannis Baptistae seu sanctissimi Crucifixi, de ratione comunitatis, a qua cappella et altare manutenetur, exceptis utensilibus et apparamentis, quorum manutentio spectare ad cappellanum assertum fuit. Ad hoc altare errectum est simplex beneficium seu cappellania perpetua valoris – ut asseritur in policea domini archipraesbyteri – ducatorum 30, cuius institutio quoque asseritur spectare ad sacram congregationem Cleri intrinseci Veronae, cum onere celebrandi unam missam in hebdomada. Ad praesens huius beneficii rector asseritur reverendus dominus Ioannes Baptista Vaona, pro quo adimplet eidem oneri reverendus dominus Ioannes Piazza. Hoc altare habet portatile; in mensa est marmoreum et in reliquis partibus ligneum. In ipso altari est imago Iesu Christi crucifixi, sub crystallis. Altare sancti Antonii patavini, in mensa marmoreum in reliquis partim ex marmore, partim ex gypso elaborato constructum, cum portatili et imagine sculpta sancti Antonii patavini, sub crystallis servata. Hoc altare est de ratione spectabilis comunitatis, a qua scholae disciplinatorum fuit assignatum et ab ista de omnibus modo manutentum. Huic altari adnexa sunt duo legata, videlicet: primum, quondam domini Antonii Borsati, redditus 60 ducatorum in anno, in cuius bonis successit quondam dominus Iulius Camisanus, civis veronensis, |**9**| cui eadem bona cessa sunt postquam subastata fuere. Pro huiusmodi redditu tot missae celebrantur in hoc altari quot celebrari possunt, ut assertum est, computata eleaemosina manuali solidorum

30 pro quaque missa et celebrantur a reverendo domino Nicolao Sacco, cappellano amovibili electo a domino Antonio Camisano, uti commissario ab institutore huius officiaturae constituto. Secundum legatum derivat ex testamento quondam domini Ioannis Baptistae Valleggia, in quo reliquit huic altari ducatos centum capitalis, ut ex eius fructu tot missae celebrarentur quot poterunt celebrari. Cum vero ex hoc capitali nunc temporis non percipiantur nisi ducati quatuor – ut asseruit dominus Stephanus Cantoni, consiliarius scholae disciplinae – a pietate confratrum adiunguntur tantum eleaemosinae quantum, una cum redditu praedicti capitalis, sufficiat ad celebrandam singula quaque tertia feria unam missam, quae celebratur a reverendo domino Stephano Bettino, cappellano ipsius scholae et adimplet. Altare beati Andreae Mazzatae, oriundi ex Pischeria, cum mensa marmorea, in gradibus ligneum et in reliquis ex marmore et gypso elaborato confectum, cum portatili. Adest icon depictus ab excellenti pictore. Altare hoc est de ratione communitatis, a qua manutenetur. Huic altari annexa est officiatura, cuius cappellanus amovibilis eligitur a praedicta comunitate et modo est reverendus dominus |**9**^{v}| Valentinus Broglia; instituta fuit haec officiatura a quondam domino Laurentio Tobioli de Pischeria anno 1608 die 20 septembris, ut constat ex eius testamento in actis domini Petri Antonii Lavori, notarii veronensis, cuius exemplum perantiquum exhibuit dominus Dominicus Vecchi, notarius archivii communitatis praedictae. Testator ipse quaedam bona praedictae comunitati reliquit, cum conditione quod possit eadem bona alienari et capitalia investiri; adiecit onus cappellano amovibiliter eligendo a comunitate antedicta celebrandi quater in hebdomada ac praeterea singula die dominica in hoc altari semper et praecipue pro anima eius et suorum defunctorum, cum facultate cappellano praedicto concessa ut, si quindecim diebus infirmus sit, sit liber a celebrando; si vero infirmitas protrahatur, ab electis comunitatis eligatur alius sacerdos qui celebret duobus diebus in hebdomada et dominicis, cui eroganda eleaemosina ad arbitrium ipsorum electorum, ex redditu tamen eiusdem officiaturae, qui taxatus fuerat ab eodem testatore in ducatis 55; nunc vero comunitas ipsa, ex capitalibus retractis ex bonis ut supra relictis, quot annis solvit cappellano ducatos sexaginta. Interrogavit cappellanum praedictum quomodo adimpleat onus impositum; a quo responsum, cum a comunitate dictum ei fuerit ut teneretur tantumodo ad celebrandas quatuor |**10**| missas in hebdomada, hanc quantitatem solummodo celebrasse, qua propter monuit ipsum cappellanum ut, praeter quatuor missas praedictas, celebret etiam missam in dominicis diebus et suppleat pro tempore anteacto in quantum defuerit suae obligationi. In gradibus huius altaris est custodia marmorea, in qua servatur et custoditur sub triplici sera et clavi (quarum unam tenet dominus archipraesbyter, alteram dominus sindicus comunitatis et protector ecclesiarum tertiam tenet) insignis reliquia, nempe partem brachii beati Andreae Mazzatae a Pischeria ordinis praedicatorum, quae munita est suis documentis, exhibitis a praedicto domino Vecchi sub anno 1641 9 iunii, visis et restitutis. Haec reliquia est inclusa in reliquiario argenteo ad modum brachii affabre elaborato, quam, cum autenticam recognovisset, adhibitis consuetis ritibus, veneratus est et in custodiam reposuit. Altare sancti Antonii abbatis, marmoreum partim, in mensa scilicet et partim ex gypso concine elaborato confectum cum portatili, de ratione comunitatis, a qua manutenetur. Adest icon ab excellenti pictore depictus et adest imago beatae Virginis Mariae Addoloratae, ex marmore sculptae sub crystallis. Huic altari adnexa est officiatura redditus 60 ducatorum pro qua solvit spectabilis comunitas, a qua eligitur amovibiliter |**10**^{v}| cappellanus et est modo reverendus dominus Georgius Saladinus, a quo adimpletur. Haec officiatura coaluit ex legato Giorio, cuius imago ad vivum depicta nec non imago eius uxoris conspicitur in duabus tabulis a lateribus eiusdem altaris positis, ut asseruit praedictus dominus Dominicus Vecchi. Altare sanctae Barbarae, alias sancti Bernardini, cum mensa marmorea, reliquum ex muro eleganti forma constructum, cum icone depicto; habet portatile et est de ratione comunitatis, a qua fuit assignatum scholae bombarderiorum huius fortilitii, a qua schola manutenetur de omnibus; eadem schola habet suum cappellanum amovibilem reverendum dominum Carolum Zangrandi, a quo celebrantur missae sex in hebdomada, stipe ducatorum 90 ab eadem ipsi, ex eius pietate et devotione, praestita. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus sacramentum Confirmationis utriusque sexus christifidelibus – ut ante dictum est – distributo, in sacristiam se recepit, ubi una cum reverendissimo domino provicario suo generali vidit dupplicem adesse sacristiam, priorem scilicet dominorum cappellanorum, ubi in armario locis distinctis servant paramenta cuicumque cappellae huius ecclesiae addictae necessaria pro celebratione missarum; altera sacristia est peculiaris pro domino archipraesbytero, errecta sumptibus suorum antecessorum. In hac vidit paramenta |**11**| et suppellectiles sacras tam de ratione comunitatis quam de ratione ipsius domini archipraesbyteri, ut in policea producta ut ante et infra reposita ad litteram A. Quae omnia pari religione ac sumptu parata observavit. Quibus peractis, ad aedes praefati domini archipraesbyteri corpus defatigatum quiete et cibo refecturus reversus est. Die antedicta 22 aprilis 1743 post prandium. Vocatas iam ad se obstetrices in aedibus praedicti domini archipraesbyteri examinavit primum reverendissimus dominus provicarius generalis Helisabeth quondam

Andreae Spersoli et deinde Camillam relictam quondam Francisci Galletti, ambas intra moenia huius fortilitii degentes nec non Dominicam relictam quondam Ioannis Pistorelli et Dominicam relictam quondam [*manca*] Silivini dicti Tortella extra praedicta moenia comorantes, quas per examen expertus est et bene instructas in sacramento baptismatis conficiendo in casibus neccessitatis invenit. Successive comparuit coram reverendissimo domino provicario generali antedicto Franciscus Lavelli quondam Bartholomaei de Pischeria annorum 65 circiter, ut asseruit et ex eius quoque aspectu apparebat et exposuit sex circiter ab hinc mensibus contraxisse matrimonium in faciem ecclesiae cum Magdalena quondam Dominici Bombana vidua relicta quondam Bernardi Botti de Puteolengo annorum 59 circiter, cum qua convixit usque ad tertiam feriam maioris hebdomadae proxime praeteritae, |**11**^{v}| quo tempore iurgia oborta fuerunt inter ipsos coniuges, ita ut praedictus Franciscus Lavelli a praedicta sua uxore baculo super caput percussus fuit, accepto vulnere in ipsa eius corporis parte, ex quo dissidio mulier ipsa e domo eiusdem viri, translatis eius mobilibus, discessit modoque absens est; quapropter humilime instetit decerni divortium quoad thorum et habitationem ex eisdem causis et ita et cetera. Deinde praedicta Magdalena, vocata coram sua reverendissima dominatione ut supra, et ipsa comparuit factumque non negando ac se se huiusmodi divortio per eiusdem virum petito non opponendo, se ipsam iudicio ecclesiastico submisit et ita et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis et cetera, iuribus ab utraque parte ut supra adductis intellectis, decrevit inter praefatos coniuges divortium quoad thorum et habitationem fieri debere, prout stantibus ut stant de facto fecit donec et quousque, divino afflante Spiritu, animi invicem reconcilientur et ita et cetera, omni et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus veronensis, ad ecclesiam parochialem antedictam reversus, utriusque sexus confluentes christifideles sacro Chrismate in fronte delinivit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis, una cum me notario, se contulit ad visitanda altaria et oratoria infrascripta, videlicet. Visitavit, praesente semper domino archipraesbytero plebis, altare hospitalis militum, in quo extat tabernaculum ligneum, |**12**| [a margine: Ospitale] ubi custoditur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, sub sera et clavi ferrea servatum, in pixide argentea intus inaurata cum pede cupreo inaurato, quod Sacramentum non semper in hoc altari custoditur, sed quoties adsunt infirmi in hospitali et a reverendo cappellano tunc renovatur statutis temporibus et ministratur tantumodo infirmis et inservientibus hospitali. Lampas continuo ardet quando servatur Sacramentum in hoc altari. Adest vellum superhumerale, umbella aliaque neccessaria pro huiusmodi decenti administratione. Servatis ritibus ecclesiae hymnoque dicto et facta thurificatione, Sacramentum ipsum adoravit eoque adstantibus benedixit; quo facto, visitavit ipsum altare, cuius mensa ex muro confecta est et habet pallium corii aurati; adest icon depictus, qui rappresentat depositionem de cruce Christi Domini; providetur altare ipsum a principe serenissimo. Vidit vasculum oleorum sanctorum, bene tentum. Visitavit subinde sacras suppellectiles ad sacrum faciendum neccessarias, in armario servatas, de quibus sufficienter provisum invenit. Huius hospitalis cappellanus existit reverendus dominus Georgius Salodino, stipe ducatorum sexaginta tributa a serenissimo principe. Ordinata. Inauretur clavis tabernaculi - |**12**^{v}| restauretur meliori forma mensa altaris et redducatur propius sacerdoti celebranti portatile, quod est cooperiendum tella cerata – restauretur fornix supra altare – mappae mundiores serventur et aptentur – pulvinaria nova duoque vascula cum floribus ponantur – provideatur de bursa violacea pro oleo sancto et fiat custodia eiusdem in cornu evangelii altaris, quae sit sera et clavi munita, super cuius ostiolum incidantur vel pingantur haec verba: *Olea Sancta* – addantur missali missae recentiores sanctorum. Quibus habitis et cetera. [A margine: La Misericordia] Visitavit oratorium sub titulo Sanctae Mariae a Misericordia, infra limites Pischeriae, cum unico altari cum portatili et icone depicto nec non imagine beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta, super gradus ipsius altaris. Mensa est marmorea et substinetur a muro subtus ipsam constructo. Palium est ligneum depictum, reliquae altaris partes sunt marmoreae. In hoc oratorio errectum est beneficium simplex, antiquitus cappellania dicta, nunc vero abbatia: Redditus huius beneficii exigibiles constant ex libris 268.8; alii vero inexigibiles ad summam librarum 5.3.2. Hoc beneficium et ecclesia confertur respective suis temporibus a sancta sede et ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi; nunc |**13**| vero pluribus ab hinc annis vacat et eius economia exercet dominus archipraesbyter cum mandato episcopali diei 30 maii 1722, ostenso et restituto; ex perantiqua traditione adest onus celebrandi missam singulis diebus festis, quod onus adimplere facit idemmet dominus archipraesbyter, a quo uti economo (sartum?) tutumque servatur ipsum oratorium et altare nec non suppellectilibus et ornamentis providetur, quos invisit et sufficienter provisum invenit. Hanc ecclesiam visitantibus in die sancti Rocchi concessa est indulgentia plenaria, ad septennium data et in hac curia episcopali visa die 28 ianuarii 1741. Non est huic oratorio sacristia, sed apparamenta servantur in armario prope altare. Ordinata. Fiant computa reverendo economo – fiat locus sacristiae, in quo omnia parentur quae neccessaria sunt. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Cosmo] Visitavit oratorium Sancti Cosmae et Damiani, de ratione communitatis, nunc vero custoditum ex

permissu procuratorum ecclesiarum a reverendo domino Hieronymo Bursa. Extat unicum altare cum portatile, marmoreum in mensa, quae constructa est super murum, caetera altaris partes ligneae; extat quoque icon, in quo tamen nulla est imago sanctorum titularium, sed depictum apparet misterium Visitationis |**13**^{v}| beatae Virginis Mariae. Altare ipsum ex pietate familiae de Buschis manutenentur et ab iisdem manutenentur quoque paramenta, nec non ipsum oratorium, sed ex eorum tantumodo devotione. Nulla adest sacristia, sed paramenta reposita sunt in armario quod collocatum est in ecclesia.. Vidit suppellectiles pauperimas nec sufficientes ad celebrationem Missae. Ordinata. Apponatur portatile ad mensuram canonicam – claudatur a lateribus altare, ita ut nihil subtus ipsum reponi possit – errigatur sacristiaubi suppellectiles neccessariae ad divinum sacrificium comparentur – statim provideatur missale romanum novum et paramentum nigri coloris. Quibus habitis et cetera. [A margine: Disciplina] Visitavit oratorium disciplinatorum sub titulo Annunciationis beatae Virginis Mariae, infra limites parochialis Pischeriae, in quo unicum extat altare marmoreum cum portatili et imagine beatae Virginis Mariae ex lignmo sculpta, sub crystallis bene tentum. Hoc oratorium est de ratione scholae eorumdem confratrum et ab ipsis manutenetur de omnibus. Adest officiatura in hoc oratorio missarum quatuor in hebdomada, compraehensis diebus festis, quae adimpletur a cappellano amovibili a confratribus electo, qui modo |**14**| est reverendus dominus Stephanus Bettini, a quo – ut supra descriptum fuit – adimpletur quoque onus celebrandi missam in tertia feria cuiuscumque hebdomadae ad altare sancti Antonii patavini in parochiali; pro huiusmodi officiatura et pro onere istius missae in hebdomada solvit ipsa societas eidem cappellano quot annis ducatos 75, quibus addunt alios duas ducatos cum dimidio ob onus cappellani quod sustinet. Huiusmodi officiatura coalescit ex redditibus legatis eidem scholae, a qua ipsam adimpleri curatur in satisfationem obligationum sibi impositarum a testatoribus. Vidit super gradus altaris custodiam in modum tabernaculi errectam, sera et clavi munitam ac intus panno serico albo ornatam, in quo dominus Antonius Bursa, prior societatis et dominus Marcus Barba vice prior aliisque confratres praesentes asseruerunt ea intentione tantumodo ab ipsis errectam fuisse, ut ibidem aliquam reliquiam servarent et custodirent; quo stante, decrevit ut umquam quovis praetexu in eadem custodia reponatur divinum Sacramentum, aliter nunc pro tunc suspensum declaravit ipsum altare. Retro altare recenter aedificatus est chorus, in quem confratres singulis festis diebus conveniunt ad persolvendum officium beatae Virginis Mariae. Haec confraternitas est sub invocatione sancti Patri martyris |**14**^{v}| et constat ipsam canonice institutam ex diplomate Pauli papae V die 10 octobris 1614, ostenso et ex transumpto eiusdem dato ex hac curia episcopali die 9 ecembris 1615 typis tradito, exhibito et retituto. Confratres ipsi obtinuerunt privilegium a Clemente papa XII diei 28 novembris 1739 ad septennium, quo conceditur indulgentia pro confratribus defunctis quandocumque sacerdos in diebus ibidem descriptis missam in praedicto altari celebrat, quod exhibitum recognovit. Confratres induunt vestem et cappam lineam albam et cinguntur cingulo lineo, ex quo pendet disciplina ex catenulis ferreis confecta. In eodem choro extat armarium cum paramentis, ubi sacerdotes iisdem utuntur ad missam celebrandam; observavit eadem paramenta, nec non vasa et suppellectiles sacras, quae sunt descripta in inventario exhibito et infra sub littera A reposito, ac omni decenter esse confecta et constructa cognovit. Ordinata. Fiat lavacrum cum manutergio ad manus sacerdotum abluendas et abstergendas. Quibus habitis et coetera. [A margine: Santissimo Crocifisso] Visitavit oratorium Sancrissimi Crucifissi, vulgo *del Cristo di Rocca*, de ratione comunitatis, a qua manutenetur, in quo extat unicum altare cum mensa marmorea, quae |**15**| substinetur a duabus columnellis et palium habet chorii aurati; caeterae altaris partes sunt ex marmoreo. In hoc altare est icon depictus, ubi rappresentatur Maria Virgo cum Iesu e Cruce deposito. Huc devoti conveniunt ad hoc altare visitandum, ex quo pendent nonnulla vota argentea. Icon ipse, ex humore proveniente a posteriori muro madefactus, alterationem multam passus est, ut vix sacrae imagines dignoscuntur. Ad hoc altare celebrantur quaedam missae, stipe tradita a communitate, de quibus mandavit ut diligentius informetur ad hoc et cetera, sibi resservans decernere postmodum quidquid et cetera. Non adest sacristia, quia non est locus ubi possit construi. In ipso oratorio est armarium cum paramentis ut in policea exhibita et infra reposita ad litteram A. Adest indulgentia concessa visitantibus huiusmodi oratorium in sextis feriis martii, ad septennium data et in curia episcopali visa die 29 decembris 1739. Ordinata. Restaurentur imagines iconis, ita tamen ut earum antiquitas adhuc appareat – rimae circum portatile obturentur et altare ipsum circumquaque claudatur – provideatur de quatuor saltem vasculis cum floribus, de tabellis ornatioribus et de pulvinaribus - |**15**^{v}| sarciatur missale ac praesertim in canone, sed potius comparetur novum. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Zeno] Visitavit oratorium Sancti Zenonis, cum unico altari in mensa marmorea, cum muro subtus posito; habet portatile cum icone depicto, in quo rappresentantur imagines beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu, sancti Dominici, sancti Vincentii martyris et sancti Antonii et pallio ex linteo itidem depicto, in reliquis ligneum. Super gradus est imago lignea sculpta sancti Zenonis. Huic altari duae officiaturae

quotidianae adnexae sunt, ex testamentis Gasparis Adami et Francisci eius fratris, in quibus capitalia relicta sunt ad hunc effectum et tenentur commissarii, scilicet sindicus comunitatis et massarius ad mobilia sancti Montis huius loci, qui sunt administratores eorumdem reddituum – ut fuit assertum – stipem praestare; verum, cum fructus ex iisdem capitalibus minores effecti sint, modo praestatur duobus cappellanis, scilicet reverendo domino Gaspari Sacco et reverendo domino Angelo Pierfranceschi, singulis summa ducatorum 50; ex summa unusquisque eorum celebrat quater in hebdomada, diebus festis compraehensis. Mandavit reverendissimus dominus provicarius generalis ut doceatur de institutione, de capitalibus existentibus et eorum redditibus, ad hoc et cetera, sibi resservans postmodum |**16**| decernere quidquid et cetera. Retro altare adest locus pro choro et huic est alius contiguus qui pro sacristia adhibendus esset mandavitque ad hunc usum adhibendum. Vidit paramenta ut in policea ad litteram A infra reposita. Vidit confessionale mobile, de licentia domini archipraesbyteri plebis in hac ecclesia repositum. Ordinata. Fiat labrum et adsit manutergium in sacristia pro manibus abluendis et abstergendis – appendatur labellum pro aqua benedicta pro sacerdotibus exeuntibus ad missam celebrandam – inauretur pes calicis – comparetur vestis talaris – addantur missali missae recentiores sanctorum – ad confessionale provideatur pagella casuum resservatorum ex parte confessarii affigenda et aliqua devota imago ex parte poenitentis – firmetur labellum aquae benedictae in ingressu ecclesiae ad portam maiorem. Quibus habitis et cetera. Visitavit quoque aediculam sancto Ioanni Neopomuceno dicatam, vulgo *capitello*, optime ornatam et bene tentam. Vidit pariter domum parochialem, quae a domino archipraesbytero non habitatur, utpote quae minitatur ruinam, sed modo ab ipso domino archipraesbytero laudabili forma restauratur. |**16**^{v}| Et, cum advesperasset, iam defatigatus ad aedes antedictas domini archipraesbyteri se restituit et incenatus pernoctavit. Die martis 23 aprilis 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, prima luce consurgens, ecclesiam parochialem antedictam adivit in eaque ad sacrum faciendum se praeparavit; quo finito, nonnullos utriusque sexus christifideles sacro Chrismate confirmavit. Deinde visitavit campanile viditque organum et suggestum ex quo concionatur diebus festis, quarta et sexta feria cuiuslibet hebdomadae Quadragesimae et tempore Adventus diebus festis; cum mandato tamen episcopali eligitur concionator a comunitate pro utroque huiusmodi tempore stipemque accipit ab ipsa comunitate ducatorum 30 pro tempore quadragesimali et ducatorum 10 pro tempore Adventus. Vidit et visitavit de parte in partem totam ecclesiam intus et foris, quae est consecrata et dies anniversarius consecrationis celebratur die 29 iulii cuiuslibet anni, in qua tamen cruces non apparent. Hoc beneficium subest iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini; possidetur modo ab admodum reverendo domino Martino Helena, a quo ostensae fuerunt litterae apostolicae quibus institutus fuit sub die 16 aprilis 1722; ostendit etiam litteras patentes curiae episcopalis quibus constitutus est vicarius foraneus in hac parte. |**17**| Ad aedes antedictas restitutus, cum reverendissimo domino provicario suo generali pro tribunali sedit et coram eo vocatus comparuit dictus dominus archipraesbyter et ostendit libros parochiales, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos rite instructos invenit beneque tentos. Inter hos libros extat liber inscriptus foris “Liber matrimoniorum secretorum”, sigillo domini arechipraesbyteri clausus et munitus, in quo – ut asseruit – descripsit matrimonia secreta ab ipso celebrata iuxta formam sibi praescriptam a sacra poenitentiaria. Ostendit etiam librum congregationum menstruarum quae celebrantur in sacristia plebis, ipso admodum reverendo domino vicario foraneo praesente et assistente, definiente casus reverendo domino Carolo Zangrandi, ad id electo ab eodem domino vicario foraneo cum consensu illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi, ex quo libro constat sedulo sacerdotes eius vicariae subiecti congregationibus interesse; verum, cum observaverit quosdam casus propositos et quasdam definitiones, monuit eumdem admodum reverendum archipraesbyterum ut animadvertat ne quaedam facti species proponantur de rebus de quibus non licet honeste loqui ac ut in definiendo sectetur disciplina moralis quae sit consona verae christianae disciplinae. Vocatis dominis sindico et principalioribus spectabilis comunitatis, eos interrogavit et ab iisdem informationem sumpsit super |**17**^{v}| vita et moribus admodum reverendi archipraesbyteri nec non super exercitio curae animarum ab ipso praestito et a suis curatis ac demum super vita et moribus ecclesiasticorum sub hac plebe degentium, super quibus unanimiter ipsi responderunt nihil desiderari posse quoad dominum archipraesbyterum, cuius vita et mores populum aedificant quique et religione et sollicitudine, quae illum decet, curam una cum suis curatis exercet; quoad reliquum clerum universum, ecclesiasticos religiosam vitam vivere et in ministeriis ecclesiae sedulo praesto esse. Subinde vocati comparuerunt: reverendus dominus Stephanus Bettini, curatus principalis huius plebis aetatis annorum 37, cum mandato ad curam animarum ad annum confirmato die 23 februarii 1743. Reverendus dominus Paulus Vecchi, sacerdos aetatis annorum 56 circiter. Reverendus dominus Georgius Saladinus, sacerdos aetatis annorum 44 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 17 augusti 1742. Reverendus dominus Angelus

Perfranceschi, sacerdos aetatis annorum 40 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 23 februarii 1743. Reverendus dominus Carolus Zangrandis, sacerdos aetatis annorum 36 circiter, cum mandato ad curam animarum ad annum confirmato die 17 augusti 1742. Reverendus dominus Ioannes Vecchi, sacerdos aetatis annorum 34, cum mandato ad |**18**| curam animarum, quod datum est dupplicatum ad annum die 17 augusti 1742; ostendit etiam bullas episcopales diei 24 decembris 1728 sui beneficii in cappellania Sancti Spiritus antedicta. Reverendus dominus Gaspar Sacco, sacerdos aetatis annorum 33 circiter. Reverendus dominus Hierronymus Busca, sacerdos aetatis annorum 37 circiter. Reverendus dominus Ioannes Piazza, sacerdos aetatis annorum 37 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 23 februarii 1743, quam curam exercet extra moenia huius fortilitii. Reverendus dominus Petrus Cantoni, sacerdos aetatis annorum 30 circiter. Reverendus dominus Angelus Barbieri, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Valentinus Broglia, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Hieronymus Giroldi, sacerdos aetatis annorum 27 circiter. Reverendus dominus Ioannes Antonius Savio, sacerdos annorum 25 circiter. Reverendus dominus Dominicus Ogliosi, sacerdos annorum 25 circiter, cum mandato ad curam animarum pro maribus et infirmis tantum, ad annum confirmato die 18 mensis martii 1743. Reverendus dominus Dominicus Calabrese, sacerdos aetatis annorum 26 circiter. Reverendus dominus Nicolaus Sacco, sacerdos aetatis annorum 24 circiter. Reverendus dominus Ioseph Baroli non comparuit, qui – ut assertum fuit – Venetias profectus est, super quo illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus peculiari modo informationes sumpsit circa relationes sibi iam datas super eius mala vita et moribus et, |**18**^{v}| iisdem informationibus habitis, decrevit ipsum citari ad personaliter comparendum coram se ubicumque fuerit in diaecesi per quemlibet nuncium etiam curiae saecularis intra dies octo post eiusdem reverendi Bazoli reditum in fortilitium ad audiendum quidquid et cetera; aliter, elapso termino octo dierum post eius reditum ut supra nisi paruerit, ex nunc pro tunc suspendit a divinis suspensumque declarat et ita et cetera, omni et cetera. Pro cuius decreti executione factum fuit mandatum infrascripti tenoris, videlicet: Mandato illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi veronensis, comitis et cetera, citetur reverendus dominus Ioseph Bazoli coram sua illustrissima et reverendissima dominatione ubicumque in diaecesi fuerit ad personaliter comparendum intra dies octo post eiusdem sacerdotis reditum in hoc fortilitium ad audiendum quidquid et cetera; aliter, elapso dicto termino et non parito, ab eodem se nunc pro tunc a divinis suspensum declaratum esse sciat et ita et cetera, omni et cetera. Datum die 23 aprilis 1743 ex pastorali visitatione Pischeriae. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius et cetera. Exequatur pr. q. v. et f. v. Illico retulit Christophorus Frachessa, famulus huius fortilitii, se hodie intimasse suprascriptum praeceptum reverendo domino Iosepho Bazoli domui suae habitationis ipsoque absente, relaxasse copiam ipsius praecepti in manibus eius famulae in signum verae et realis intimationis et ita et cetera. Idem Bovio notarius et cetera. |**19**| Comparuit dominus Antonius Bazoli, prior venerabilis societatis assertae sanctissimi Corporis Christi supradescriptae, una cum aliis confratribus eiusdem societatis et humilime illustrissimum et reverendissimum praesulem supplicavit ut dignetur, si et in quantum ipsa Societas canonice instituta non fuerit, ipsam canonice instituere aut respective confirmare habitumque ut supra descriptum confratribus concedere promittens se exhibiturum capitale ad hoc et cetera et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, audita supplicatione praemissa, sibi resservavit decernendum quidquid et cetera post eius redditum, capitulis ipsis observatis, et ita et cetera, omni et cetera. Comparuit etiam Aloysius heremita cum litteris patentibus huius curiae diei 19 decembris 1742 ad sex menses confirmatis, quas ostendit et, interrogatus circa doctrinam christianam ipsam celere ostendit, super cuius vita et moribus bonum testimonium dedit admodum reverendus dominus archipraesbyter. Interrogavit subinde ipsum admodum reverendum dominum archipraesbyterum utrum sub eius cura degant scandalosi, publici peccatores, usurarii et huiusmodi nullosque – divina favente misericordia – adesse responsum fuit. Paulo post. illustrissimus et reverendissimus antistes se contulit ad officium persolvendum illustrissimo et excellentissimo provisori, eaque occasione visitavit oratorium |**19**^{v}| privatum in aedibus palatii eiusdem, recenter reaedificatum, ubi vidit altare cum portatile viditque paramenta et alias sacras suppellectiles, omnia decenter parata et, cum constet de privilegio apostolico concesso oratoriis palatiorum in quibus ressident publici rectores urbium et arcium serenissimae reipublicae venetae, quo concessum fuit ut in iisedem celebrari possit; idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus concessit prosequi celebrationem missae in eodem oratorio, servatis tamen servandis et ita et cetera, omni et coetera. Ordinata. Portatile paulisper deprimatur. Cui officio reverso eodem illustrissimuo et reverendissimo domino domino episcopo, in aedes praedictas illustrissimus et excellentissimus dominus Benedictus Baldi, provisor ut supra, una cum nobili domino Hortensio Brenzono, praetore et sindico communitatis, vicissim eidem praesuli suum quoque redditurus in hasce aedes venit ac ibidem persolvit. [A margine: Santo Angelo Custode] Quibus actis,

delegavit dominum archipraesbyterum et vicarium foraneum huius fortilitii ad visitandum publicum oratorium sub invocatione Sancti Angeli Custodis, de ratione reverendissimi domini Petri Antonii Albertini provicarii sui generalis et domini Alberti Albertini eius fratris, mandans ut quantocitius id fiat et, peracta visitatione, in scriptis relationem exhibeat, respondendam in actis huius visitationis et ita et cetera, omni et cetera. Cuius oratorii visitatio facta fuit sub die 27 Iunii 1743, ut in fine huius libri sub littera A. Quo facto, prandium sumpsit et paulisper quieti se tradidit. |**20**| Die antedicta 23 mensis aprilis 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, habitu itinerario indutus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali caeterisque suis familiaribus et clero Pischeriae, ad plebem se contulit ibique adorato sanctissimo Sacramento precibusque de more factis ritibusque completis factisque infrascriptis ordinationibus, visitationem huius venerabilis plebis absolvit. Ordinata. Tabernaculum in quo custoditur Sacramentum ita cominus sacerdoti ministranti reducatur ut comodo sacerdos ipse possit idem Sacramentum extrahere cum ostio tabernaculi ipsius, servata tamen forma decenti et decore altaris – comparetur altera pixis minor ut quoties deferendum est Viaticum ad infirmos in ecclesia semper adsit Sacramentum – errigantur genuflexoria circum altare maius, cum mappis suis, ad hoc ut decenti modo communicantes in ipsis genuflectantur et Sacramentum recipiant – in coemeterio parochiali restaurentur muri qui sunt restaurandi et in porta eiusdem coemeterii quae est iuxta portam maiorem ecclesiae provideatur ne pateat additus animalibus – in coemeterio militum reficiantur et restaurentur muri eiusdem – impediatur rite additus animalium – in utroque errigatur columna cum cruce ferrea in apice et |**20^{v}**| eradantur herbae comburanturque et spargantur in iisdem coemeteriis cineres earum – erigatur supra baptisterium ciborium, in cuius apice sit imago sancti Ioannis Baptistae baptizantis – provideatur altare beatae Virginis Mariae a Rosario de pulvinaribus solemnioribus – obturentur rimulae portatilis et provideatur de tella cerata – altare sanctissimi Corporis Christi provideatur de pulvinaribus solemnioribus – confratres societatis eiusdem sanctissimi Corporis Christi doceant de societatis canonica errectione et respective de facultate induendi habitum et, quatenus canonice instituta non fuerit, vel ecclesiastica auctoritate facultatem huiusmodi induendi habitum non obtinuerint, supplicent ad hoc et cetera – provideantur pulvinaria decora pro altare sancti Caroli – portatile altaris sancti Ioannis Baptistae, cum sit depressum, paulisper elevetur – rector huius altaris doceat de eius institutione nec non de obligatione ab institutore ipsius beneficii constituta – provideantur ad hoc altare vascula cum floribus et pulvinaria ornatiora – altare sancti Antonii patavini provideatur de pulvinaribus ornatioribus – provideantur pulvinaria decentiora pro altare sancti Antonii abbatis – altare sanctae Barbarae provideatur de pulvinaribus ornatioribus – fiant duo paramenta, alterum album alterum viride |**21**| pro capellania Sancti Spiritus – provideantur paramenta omnium colorum et caetera necessaria pro sacrificio missae pro cappella sancti Ioannis Baptistae seu rector praestet pro ipsis quid praestandum est domino archipraesbytero – sacristia provideatur de manutergiis ad abstergendas manus – in parietibus ecclesiae exculpantur vel pingantur cruces – in partitis baptizatorum describantur hora nativitatis cuiuscumque baptizati et addatur quoque nota de cuius paroecia sint patrini. Egresso ex ecclesia, milites pedestres, qui vigilant ad palatium excellentissimi provisoris ipsi illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo discedenti ex fortilitio praecesserunt eique obsequium, ex mandato praedicti excellentissimi provisoris, praebuerunt usque ad ultimas portas eiusdem fortilitii quo in loco parata erant cohors militum equestrium vulgo *dragoni* ab ipsomet excellentissimo provisore missa ut praesulem prosequeretur Sirmionem usque. Admodum reverendus archipraesbyter, una cum suo clero, ac dominus sindicus spectabilis communitatis Pischeriae una cum principalioribus eiusdem loci reverendissimum dominum dominum episcopum prosecuti sunt usque ad confinia Pischeriae; cohors vero equestris ab eodem dimissa fuit antequam ad haec confinia pervenisset. Perventus ad fines Sirmionis, iterum obsequia, humilimis verbis sibi praestita tam a domino archipraesbytero Pischeriae et eius clero quam a domino sindico eiusdem loci suisque collegis excepit, quibus humanissime respondere dignatus est. |**21^{v}**| Ibidem, cum invenisset dominum Iacobum Ravelli, sindicum spectabilis communitatis Sirmionis associatum a principalioribus ipsius communitatis ab eodem, nomine eiusdem comunitatis, officium obsequii accepit, cui peramanter respondit; quo facto, iter prosecutus est, subsequentibus iisdem domino sindico et sociis. Ingredientem peninsulam Sirmionis expectabant milites ordinantiarum loci praedicti cum suis officialibus, a quibus illustrissimus et et reverendissimus praesul continuo prosecutus est. Ad arcem Sirmionis perventus, ante eiusdem ingressum pueri puellaeque doctrinae christianae, deinde viri ac mulieres et clerus ac demum dominus archipraesbyter cum superpelliceis processionis forma servata, parati erant ad excipiendum eorum pastorem, qui e rheda descensus, sub baldachino a principalioribus loci gestato susceptus fuit, atque hoc ordine Sirmionem introivit et ad aedes parochiales pervenit, in quibus iterum domino archipraesbytero et sindico suae dignationis et humanitatis testimonio dato, quieti parumper indulsit et, vespere facto, in

cubiculum sibi paratum se recepit et incenatus obdormivit. Die mercurii 24 aprilis 1743. Illustrissims et reverendissimus dominus dominus episcopus, longioribus vestibus indutus convocatoque per solita signa iam populo, sub baldachino a quatuor deputatis a comunitate gestato receptus fuit, personante musicorum instrumentorum concentu, qui |**22**| continuo deinde ex communitatis liberalitate domi et ecclesiae in honorem praesulis tanti usque ad finem visitationis personuit et, in limine domus parochialis super pulvinaribus paratis genuflexus, [a margine: SERMIONE] crucem ab admodum reverendo domino Ioanne Maria Cracco archipraesbytero pluviali albo induto porrectam osculatus est; inde, clero processionaliter decantante, ad parochialem ecclesiam progressus est. In ianua maiori recepto aspersorio ab eodem domino archipraesbytero oblato, se signavit populumque aspersit nec non ab ipso domino archipraesbytero thurificationis honorem triplici ductu recepit. Ad altare maius procedens ibique in genuflexorio ad id decenter parato genuflexus, oravit; interea solita per dominum archipraesbyterum et clerum decantata fuere; quibus expletis, altare maius ascendit, orationem titularis recitavit, populo benedixit praemisso *Confiteor* et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam est impertitus. Thronum subinde ascendit, a latere evangelii sibi paratum ibique violaceis paramentis indutus, assistentibus admodum reverendo domino Ioanne Baptista Sacco archipraesbytero vicario foraneo de Ponti, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio, quod et visitavit, absolvit. Ingressus ecclesiam ac persolutis precibus pro defunctis, pluviali albo indutus praemissisque hymno, adoratione et thurificatione, visitavit santissimum Eucharistiae sacramentum, positum |**22**$^{\mathbf{v}}$| et custoditum sub sera et clavi, quae est argentea, in parvo tabernaculo ligneo decenter instructa, quod tabernaculum est supra mensa altaris ante tabernaculum maius, quod eminet super gradus ipsiusmet altaris, ubi olim custodiebatur Sacramentum ipsum. Hoc Sacramentum statutis temporibus renovatur et rite tum in ecclesia, tum ad infirmos distribuitur; tempore paschali distribuuntur quoque schedae et, eo elapso, recuperantur omnesque parochiani comunionis capaces, qui sunt ad numerum 564 (cum animae huic pareciae subiectae sint omnes 830 exclusis ecclesiasticis, qui sunt ad numerum duodecim, ut ex policea exhibita et in fine huius libri reposita ad litteram B) praecepto ecclesiae obediunt, duobus exceptis, quorum salus divinae misericordiae est comendanda. Vidit unicam argenteam pixidem, bene servatam cum decenti conopeolo et amigdalam argenteam rite elaboratam ac intellexit nondum paritum ordinationi factae in postrema visitatione. Societas sanctissimi Sacramenti ad suum altare errecta providet de suppellectilibus neccessariis ad idem infirmos deferendum, quas suppellectiles vidit et satis decenter instructas approbavit, qua occasione parochus et signa, dum per tempus licet, dat populo et indulgentias associantibus concessas publicat. Sanctissima Eucharistia devota cum processione circumfertur |**23**| in die Corporis Christi, nec non singula quaque dominica tertia mensis, et publicae adorationi exponitur diebus festis a die sanctae Crucis mensis maii usque ad diem eiusdem sanctae Crucis mensis septembris et quaque singula sexta feria mensis martii, in hostensorio radiato ad normam sacrorum rituum confecto. Hac peracta visitatione, missam celebravit ac deinde sacram communionem populo elargitus est et cum sacra pixide eidem populo benedixit. Actis Deo gratiis, visitavit olea sancta, quae sunt custodita sub sera et clavi ac porta ferrea in latere evangelii viditque tum vascula posita in capsula nucis, quae mitti solent ad cathedralem ad eadem sancta olea recipienda, tum duplex vas olei pro infirmis, quae omnia vasa sunt stamnea et rite elaborata nec desunt bursae violaceae pro eodem oleo infirmorum. Visitavit subinde fontem baptismalem, positum in angulo ecclesiae iuxta maiorem portam, cancellis ferreis circumdatum ibique olea tum cathecumenorum tum chrismatis, in vasis stamneis decenter posita; observavit vas ferreum pro abluendis baptizandis, ciborium et conopeum. Tria vidit postea confessionalia in praedicta ecclesia disposita eaque singula ad normam sacrorum rituum instructa approbavit. |**23**$^{\mathbf{v}}$| Quibus actis, in aedes parochiales se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 24 aprilis 1743 a prandio. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una simul cum reverendissimo suo provicario generali, ad ecclesiam parrocchialem petiit ubi, convocatis per solita signa pueris et puellis scholae doctrinae christianae, quae exerceri solet ibidem separatis diversi sexus personis et servato ordine regulisque congregationis doctrinae christianae huius diaecesis veronensis, eosdem ab admodum reverendo domino archipraesbytero interrogatos de fidei articulis legisque divinae praeceptis aliisque quae ad aeternam salutem spectant, in primis eruditos cognovit, admiratus non tamen puerorum et adultorum peritiam, quam sedulam operam et caritatem archipraesbyteri, a quo illi quam diligentissime hoc divino pabulo pascuntur. Confecto scrutinio huius scholae, praecepit ut solitis precibus et consueto ordine dimitterentur discipuli iisque dimissis, ad se vocavit operarios eiusdem scholae, a quibus libri ad ipsam spectantes eidem oblati fuerunt, quos vidit et compertus est frequentiam discentium ac sollicitudinem magistrorum, quam peramanter laudavit, enixe tum ecclesiasticis tum laicis comendans ut deinceps in hoc sancto salubrique opere perseverent. Subinde ad altarium visitationem suam curam intendit et primum visitavit altare maius, in mensa marmoreum cum palio ligneo inaurato et in gradibus ligneum, cum portatile,

de |**24**| ratione communitatis; post praedictum altare est chorus, in quo assurgit marmoreum aedificium, eleganti ordine constructum, ubi ressidet imago beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, sub crystallis, quam populus huius loci praecpue veneratur. Hoc altare manutenetur ab ipsa communitate, sed lampas et cerae manutenentur ab archipraesbytero. Nulla inest obligatio missarum, sed dominus archipraesbyter in eo celebrat et pro populo diebus festis applicat sacrificium. Altare sancti Andreae, in mensa lapideum, in reliquis ex gypso elaboratum et depictum, de ratione communitatis, cum portatili et icone depicto. In hoc altare nulla est adnexa officiatura, sed aliquot missae celebrantur iuxta voluntatem reggentium ipsius communitatis, in satisfactionem quorumdam legatorum a piis testatoribus relictorum. In gradibus huius altaris est custodia lignea, suis clavibus et seris munita, in qua servantur reliquiae ex ligno sanctae Crucis, quae fuit recognita in hac curia episcopali die 7 maii 1734; ex ossibus sancti Petri apostoli, ut supra recognita die 7 iunii 1735 et demum maioris partis brachii sancti Pacifici ac femoris sancti Liberati martyrum, cum documento huius curiae episcopalis diei 2 iulii 1733, quas recognovit suis sigillis ac litteris autenticis munitas easque ideo veneratus est et illi sanctae Crucis thure adhibito |**24**^{v}| cultum praecipuum praestitit. Visitavit altare sanctissimi Corporis Christi, marmoreum cum portatile et icone depicto, de ratione societatis eiusdem Corporis Christi, a qua manutenetur. Haec societas constat canonice errectam fuisse ex documentis exhibitis, visis et restitutis; habet redditus et onera nec non mobilia prout ex policea exhibita et infra posita ad litteram B. In hoc altare extat tabernaculum errectum, in quo reponitur sanctissimum Eucharistiae sacramentum tertia quoque dominica mensis, occasione processionis iam dictae et ibidem fit sepulcrum in maiori hebdomada; alio vero tempore patet ipsum tabernaculum iuxta ordinationem ultimae visitationis. Vidit altare sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatile et icone depicto, olim de ratione familiae Bettini, cui successit dominus Iacobus Ravellus, legatarius quondam domini Francisci Bettini, ut ex eius testamento anni 1683 in actis domini Francisci Ferro notarii veronensis, a quo manutenetur. Huic altari adnexa est obligatio missae quotidianae, ex testamento praedicto, cuius testatoris haec communitas est haeres, quae obligatio adimpletur. Idem Bettini alia pia legata reliquit in suo testamento et codicillo, prout descripta sunt in tabula manuscripta posita in sacristia, cuius copiam dominus archipraesbyter exhibuit, infra positam ad litteram B, quae legata adimplentur. |**25**| In hoc altari praeterea duo anniversaria celebranda sunt ex pia dispositione ipsius domini Francisci Bettini et solemnis missa cum vesperis dicenda in die festo sancti Antonii patavini, quae omnia supplentur, stipe tradita a communitate quoad missam solemnem cum vesperis et a domino Ravelli quoad anniversaria. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa, in reliquis ligneum cum portatile et icone depicto, de ratione societatis Rosarii, a qua manutenetur. Haec societas canonice instituta fuit, ut constat ex diplomate diei 10 februarii 1611 in autentica forma exhibito, viso et restituto. Habet redditus et onera descripta in policea exhibita a domino massario eiusdem societatis et in fine huius libri reposita ad litteram B. Dominus Iacobus Ravelli habet onus ex antedicto legato praestandi decem pondera olei massario huius societatis, ad hoc ut mane et sero ardeat lampas ante dictum altare, quod, si hoc onere impleto aliqua pars eiusdem olei supersit, haec est praestanda ex ipsa pia dispositione domino massario societatis Corporis Christi pro lampade ad eius altare. Vidit suggestum, in quo concionatur tempore quadragesimali et concionator eligitur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, stipe tradita ab ipsa communitate ducatorum 24. Hisce peractis, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta; et primum |**25**^{v}| [a margine: <u>Santissima Annunciata</u>] visitavit publicum oratorium sub titulo Sanctissimae Annunciationis beatae Virginis Mariae, de ratione scholae cincturatorum, a qua manutenetur, situm intra limites parochialis Sirmionis. In hoc oratorio extat unicum altare cum portatile et imagine sanctissimae Annunciationis eiusdem beatae Virginis Mariae perantiqua depicta cum ianuis lateralibus marmoreis (et mensam quoque habet marmoream) et palio ligneo in corona; palium autem eius ex solo serico. Observavit altare ipsum et suppellectilia eiusdem, decenter ornateque instructa. Ingressus in chorum retro ipsum altare, vidit aggregationem huius scholae iam facta archiconfraternitati sancti Iacobi Bononiae, quae refertur quoque in postrema visitatione. Vidit vestes nigras ex tela cum cappuccio et cingulo, quibus confratres induuntur et baculum quo utuntur. Huc confratres conveniunt omnibus diebus festis ad persolvendas laudes beatae Virginis Mariae aliasque preces iuxta eorum institutionem et piam consuetudinem; habent reliquiam ex sacris ossibus sanctae Mariae Magdalenae poenitentis, in theca argentea sigillo et litteris munita, in hac episcopali curia recognita die 18 iulii 1742, quam approbavit et deveneratus est. Ipsi confratres quarta quaque dominica mensis, induti suis vestibus, forma processionis servata, devote pieque |**26**| ad ecclesiam parochialem conveniunt ibique sacramenta poenitentiae et Eucharistiae sumunt et ad indulgentiam acquirendam iuxta eorum privilegia. In aliis quoque processionibus interveniunt, quae fieri solent in certis anni temporibus iuxta consuetudinem ecclesiae parochialis. Haec societas habet quosdam redditus cum oneribus, prout ex pollicea exhibita et in fine huius libri ad litteram B posita. Huius societatis

onera missarum adimplet reverendus dominus Gulielmus Angeleri, qui in patrimonii sui partem redditus pro iisdem missis sibi assignatos habet, ut asseruit. In hoc eodem loco vidit armarium ex nuce confectum, ubi servantur sacrae suppellectiles pro missa celebranda, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria del Ponte] Visitavit oratorium Beatae Virginis Mariae nuncupatae *del Ponte*, infra limites parochialis Sirmioni, Nativitati eiusdem beatae Virginis Mariae dicatum, de ratione societatis eiusdem beatae Virginis, a qua manutenetur, qua cum sit perantiqua – ut asseritur – eius institutionis tempus et modus ignoratur. Ipsa societas habet suos redditus et onera ut in policea producta et infra ad litteram B reposita et onera missarum adimplet reverendus dominus Caesar Ravelli, ad id amovibiliter electus. Unicum habet altare cum portatili, mensa gradibusque marmoreis, ceterae eius partes ex gypso elaborato, depicto et inaurato. In ipso altari est imago antiqua beatae Virginis Mariae |**26**^{v}| cum Puero Iesu sub crystallis, suppellectilibus decenter et ornate instructum. Ad latus in cornu epistolae per ostium ingreditur in paucam sacristiam, rite dispositam, ubi vidit armarium ex ligno depictum, ubi conservantur paramenta pro sacrificio missae, quae satis decenti forma confecta apparent. Ordinata. Provideatur altare de pulvinaribus decentibus – sarciatur paramentum violacei coloris. Et cum defatigatus esset, in antedictas aedes se contulit et incoenatus quievit. Die iovis 25 mensis aprilis 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, facto iam mane, in ecclesiam parochialem suprascriptam se contulit et, praemissa pia praeparatione, sacrum fecit; quo absoluto, plurimis utriusque sexus christifidelibus angelorum Panem praebuit et frequentissimum populum sacro Chrismate perunxit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda infrascripta oratoria campestria infra limites parochialis praedictae. Et primum [a margine: San Vitto] visitavit publicum oratorium sub nuncupatione sanctorum Viti et Modesti, de ratione communitatis, a qua sanctum tectumque et de omnibus provisum servandum esset, cum unico altari cum portatili. Hoc oratorium rimis permagnis hic illic aperitur, |**27**| ita ut ruinam minitari videatur. Nulla eidem est sacristia nullisque suppellectilibus ad sacrum missae celebrandum est instructum, quae tamen, dum opus est ac praesertim in festo sanctorum titularium quando ex voto communitatis clerus et populus Sirmionis, ordine processionis servato, huc convenit et ibidem solemnis missa celebratur, a sacristia ecclesiae parochialis dissumuntur, ut asseruit dominus Iacobus Ravelli sindicus, ibi praesens. Quapropter, cum idem reverendissimus dominus provicarius generalis ipsum oratorium suspendendum seu prophanandum fore cognoverit, si quamtotius eiusdem neccessitati a comunitate non consulatur, monuit et hortatus est praedictum dominum sindicum ut suadeat communitatem praedictam ad providendum vel ipsum oratorium instaurando, si fieri poterit, vel ex integro reaedificando, instruendo ornandoque sacristia et paramentis neccessariis, aliter deveniet ad decernendam suspensionem aut respective porphanationem eiusdem. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giuseppe] Se transtulit ad visitandum alterum oratorium publicum sub titulo Sancti Ioseph, de ratione domini Iacobi Ravelli praedicti, successoris quondam dominae Dominicae Bettini Pace, a qua constructum iam fuit, cum unico altari cum portatili. Observavit portam quae in aedes privatas olim additum praebebat, in obsequium decreti visitationis 1712 habitae obturatam |**27**^{v}| iam fuisse; sacristiam vero ac nonnulla alia in praedicta visitatione ordinata nondum competa; propterea ordinavit ut infra. Ordinata. Rudis murus, quo porta quae additum in aedes privatas praebebat obturata fuit, perpoliatur ut nulla adsit differentia cum caetera superficie oratorii – provideatur portatile de tela cerata – aedificetur sacristia et ea omnia quae ad eius usum neccessaria sunt apponantur – comparetur missale novum romanum – item stragula et pulvinaria pro altare – mundetur calix – campana reponatur iuxta oratorium – fiat sperae saltem lineae fenestris a latere portae. Quibus peractis, hora prandii accedente, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et praedictus reverendissimus dominus provicarius generalis in edes parochiales regressi sunt ibique prandium sumpserunt. Die antedicta 25 aprilis 1743 post prandium. Prandio sumpto, coram reverendissimo domino provicario generali in aedibus antedictis de suo mandato vocatae comparuerunt Angelica relicta quondam Dominici Meglioranzi, Helisabeth relicta quondam Francisci Bragantini et Ioanna uxor Francisci Spersoli, obstetrices huius loci et ab eodem reverendissimo domino provicario generali circa baptismatis administrationem ac alia quae neccessaria sunt spectantque |**28**| ad spirituale earum ac proximorum suorum directionem expertae sunt, quas ipse idoneas cum cognoverit, dimisit. Interim illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, suis vestibus indutus, una cum praedicto reverendissimo suo provicario generali, ad ecclesiam parochialem divertit ibique adorato divino Sacramento, Confirmationem iterum multis petentibus impertitus est. Successive ad visitandam sacristiam contendit eamque vidit eleganti forma constructam ex comunitatis impensis, quibus etiam ipsius sacristiae suppellectiles manutenentur. Vidit armarium ligneum ubi servantur paramenta de ratione eiusdem comunitatis, quae visitavit quaeque sunt descripta in policea exhibita infraque reposita ad litteram B. Vidit et visitavit cubiculum eidem sacristiae contiguum, ubi extat labrum pro manibus sacerdotum abluendis et

manutergium, ab ipsa communitate constructum et manutentum. In eodem cubiculo extat genuflexorium et supra ipsum parvum armarium ubi servantur quaedam suppellectiles, scilicet candelabra, vascula cum floribus et alia huiusmodi, comparata et illic deposita a pietate domini archipraesbyteri pro cultu et ornamento altaris maioris, quae declaravit idem dominus archipraesbyter praesens se ex sua voluntate offerre irrevocabiliter pro ornamento ipsiusmet altaris. In sacrista praedicta observavit armarium ex nuce confectum |**28**^{v}| positumque ibidem a praedicto domino archipraesbytero; in quo quaedam apparamenta extant de ratione ipsiusmet domini archipraesbyteri, quae pro suo paeculiari usu ac dominio sibi resservata esse declaravit. Visitavit demum totam ecclesiam, beatae Virgini Mariae dicatam, quae est consecrata eiusque consecrationis dies celebratur 29 septembris cuiuslibet anni viditque organum concine elaboratum et campanile, bene tentum, in quo tres sunt campanae armonice ressonantes. Hisce peractis, se se transtulit ad visitanda infrascripta duo publica oratoria, constructa in clivo montis Sirmionis. [A margine: San Salvador] Visitavit oratorium sub titulo Sancti Salvatoris, cum unico altari marmoreo cum portatili et icone depicto, qui rappresentat imaginem Salvatoris. In pariete a parte evangelii extat haec inscriptio in marmore sculpta, scilicet: “A. P. M. Oratorium divi Salvatoris comunitas Syrmionis funditus errexit anno Domini MCCCLXXXII. Franciscus Bettini aere proprio moderne remisit et restauravit A. D. MDCLXXXV”; ex imaginibus in diversis locis super parietibus huius oratorii depictis dignoscitur eiusdem antiquitas, quarum forma non solum indicat epocham supra descriptam, sed id magis dignoscitur ex inscriptione facta ad calcem unius ex his imaginibus caracteribus illi tempori congruentibus, in qua inscriptione dessigantur anni MCCCLXXXXII. |**29**| Subtus altare extat cripta, cuius tectum a fornicibus substinetur, in quam descenditur per duas scallas a lateribus altaris positas. Nulla adest huic oratorio sacristia nullaeque suppellectiles ad sacrum faciendum, sed eae, quoties ibidem est celebrandum, a sacristia ecclesiae parochialis dessumuntur. Egressus per minorem portam, ex hoc oratorio descendit in coemeterium, in quo tumulari solent cadavera advenarum aliquo casu sub hac paroecia mortuorum ibique oravit pro defunctis ibidem tumulatis. Ordinata. Portatile altaris provideatur de tella cerata, qua cooperiatur – fiant sperae saltem ex tella ad fenestras laterales portae maioris – erigatur in coemeterio columna lapidea cum cruce ferrea in apice. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Pietro] Ex hoc oratorio ascendit ad visitandum alterum, Sancti Petri nuncupatum, de ratione communitatis praedictae, cum duobus altaribus, quorum maius habet portatile; ibi celebrari solet una missa in quaque hebdomada, pro qua cappellanus, qui modo est reverendus dominus Petrus Mario, possidet quasdam petias terrae habetque in partem sui patrimonii assignatam a communitate et adimplet. Alterum altare sancto Nicolao Tolentinati dicatum, iam suspensum, visitavit et suspensum fore decrevit, donec et cetera. |**29**^{v}| Huiusmodi oratorium antiquum esse apparet ex inscriptione in laterculo posito ante fores ecclesiae, inciso caracteribus antiquis, in quo legitur: “Anno Domini MCCCXXI”. Idem etiam confirmatur ex imaginibus depictis in ipso, quarum aetas declaratur in inscriptione antiquitati earumdem imaginum convenienti, in cornu epistolae depicta, iuxta easdem imagines, in qua sic legitur: “Anno Domini MCCCXXI indictione IV”. Hoc idem oratorium caret sacristia et paramentis, quae subministrantur, quoties neccesse est, a sacristia ecclesiae parochialis. Egressus ex hoc oratorio, visitavit coemeterium ante ianuam maiorem ipsius oratorii, in quo oravit pro defunctis ibidem tumulatis. Vidit domum heremitae, qui custodit hoc oratorium, eidem oratorio contiguam. Ordinata. Claudatur a lateribus altare maius et provideatur de stragula – fiant sperae saltem ex tella pro fenestris quae sunt in prontespicio ecclesiae – in coemeterio erigatur columna lapidea cum cruce ferrea in apice. Quibus peractis, ad aedes parochiales se restituit et incoenatus pernoctavit. Die veneris 26 mensis aprilis 1743. Orto sole, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam praedictam ingressus est, in qua sacrum fecit; quo absoluto actisque |**30**| Deo optimo maximo gratiis, in aedes parochiales se recepit. Interea coram reverendissimo domino provicario generali vocatae comparuerunt: Sancta relicta quondam Blasii Lavelli et Dominica uxor Andreae Terracini obstetrices, quas examinavit et aptas esse invenit in ministrando sacramento baptismatis in casu neccessitatis. Subinde illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum praedicto reverendissimo provicario suo generali, in antedictis aedibus pro tribunali sedit et coram eo compatuerunt vocati dominus sindicus huius spectabilis comunitatis aliique principaliores loci, quos monuit ut ex conscientia dicant et deponant de vita et honestate tum reverendi archipraesbyteri tum sacerdotum qui in cura animarum coadiuvant aliorumque ecclesiasticorum nec non circa populum et verbo veritatis asseruerunt unanimes dominum archipraesbyterum bonis religiosisque moribus aedificare parochianos nihilque deesse quod neccessarium et utile sit ad curam animarum exercendam, sed tum praedicatione et cathechismo, tum sacramentorum administratione sedulam operam impendere, cum animarum praecipuo fructu. Huius exemplum caeteros sacerdotes qui in cura animarum coadiuvant sequi addiderunt ipsosque honeste sancteque ac caeteros quoque ecclesiasticos vivere asseruerunt, in populo vero nullum adesse scandalum |**30**^{v}| quod corrigatur addiderunt,

ita ut omnia ad omnipotentis Dei gloriam directa esse appareant. Praedictus dominus sindicus spectabilis communitatis nec non domini massarii societatum sanctissimi Sacramenti et rosarii insteterunt ut sacerdotes dessignati ad adimplendas obligationes respective sibi assignatas in libro servando in sacristia singulis vicibus quibus ipsas adimplent manu propria se se subscribant, addentes et declarantes obligationes pro qua celebraverint, ad hoc ut appareat ipsismet obligationibus impletum fuisse et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus suprascriptae instantiae benigne annuens, decrevit ut fiat liber cum indice, in quo indice respective et locis distinctis indicetur obligatio et quisque sacerdos, cui onus missarum a praedictis assignatum fuerit vel assignabitur, in loco eiusdem indicis ubi notata fuerit obligatio sibi assignata, quaque vice, qua eamdem obligationem implet, manu propria se scribat, et subscribat, et ita et cetera, omni et cetera. Instetit humilime praedictus dominus sindicus pro interesse suae communitatis a qua manutenetur sacristia ecclesiae parochialis, a sua illustrissima et reverendissima dominatione decerni equam praestationem faciendam ab illis qui celebrare faciunt missas in ecclesia parochiali praedicta iuxta ordinationes piarum voluntatum. Cum vero ibidem adessent massarii societatum sanctissimi Sacramenti **|31|** et rosarii, ipsi quoque non dissenserunt ut hoc decernatur, proportione servata quoad officiaturas ad quas ipsi tenentur et ita et cetera. Super quibus, cum satis non constet de praecisa voluntate pie disponentium neque de capitalium residuorum respectiva summa quibus annexae sunt obligationes missarum, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mandavit ut distinctius super his doceant, sibi resservans decernendum quidquid et cetera post eius redditumVeronam et ita et cetera, omni et cetera. Cum ipse dominus sindicus cognoverit ordinatum supra fuisse ut exequeretur ordinatio facta in postrema visitatione illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Trevisani, episcopi veronensis, de altera pixide providenda, supplicavit ut declararetur cui onus istud incumberet, num communitati, num vero domino archipraesbytero, qui e contra suas rationes produxit, quibus praetendit sibi onus istud non spectare, praesertim cum in inventariis a communitate confectis pixis quoque, quae modo extat, sibi consignata fuerit et ita et cetera. Quibus auditis consideratisque, cum postmodum praedictus dominus archipraesbyter sponte exhibuerit communitati duos aureos, libras scilicet quadraginta quatuor, ad hoc ut ab ipsa communitate exequeretur ordinatio supradicta, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit et declaravit **|31^{v}|** spectare, stantibus ut stant, ipsi communitati executionem eiusdem ordinationis et ita et cetera, omni et cetera. Successive comparuit vocatus admodum reverendus dominus Ioannes Maria Cracco, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae, quam obtinuit anno 1718 sub die 3 februarii et obtulit litteras episcopales huiusmodi collationis eiusdem diei. Hoc beneficium subest iurisdictioni episcopali et confertur per concursum ad normam sacrorum canonum. Ostendit idem dominus archipraesbyter libros parochiales, baptizatorum scilicet, matrimoniorum et mortuorum, nec non status animarum et bene servatos et tentos invenit. Subinde quoque vocati comparuerunt reverendus dominus Petrus Mario, sacerdote annorum 35 circiter, curatus cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 5 iulii 1742. Reverendus domunus Dominicus Monati, sacerdos annorum 61, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 7 iunii 1742. Reverendus dominus Dominicus Gatteri, sacerdos annorum 36, cum mandato ad curam animarum ad annum confirmato die 22 augusti 1742. Reverendus dominus Iacobus Cracco, sacerdos de Bubulca in hoc loco degens, aetatis annorum 28, cum mandato ad curam animarum ad annum confirmato die 7 iunii 1742. Reverendus dominus Ioannes Baptista Usachino, sacerdos de Desentiano hic **|32|** comorans, aetatis annorum 54 circiter. Reverendus dominus Iacobus Lizeri, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Gulielmus Angeleri, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Reverendus dominus Caesar Ravelli, sacerdos aetatis annorum 27 circiter. Reverendus dominus Dominicus Stringari, sacerdos aetatis annorum 24 circiter. Reverendus dominus Honofrius Gatteri, sacerdos aetatis annorum 24 circiter. Petrus Marius filius Caroli, clericus in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 20 circiter. Qui omnes debito obsequio mandata suorum ordinum et ad curam animarum respective praebuerunt. His dimissis, comparuit Bernardinus de Micheli habitu haeremitico indutus, qui interrogatus de eius mandatis respondit huc usque bona fide custodisse oratorium Sancti Petri huius terrae absque mandato huius curiae episcopalis ac propterea, cum monitus fuerit de eius negligentia et ab ipso supplicatum humilime fuerat ut sibi ignosceretur habitisque informationibus super eius vita et moribus, quae bonae datae fuerunt, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, miseratione erga ipsum motus, decrevit concedendum esse illi consuetum mandatum ad sex menses, quibus elapsis non confirmetur nisi docuerit in forma de eius vita, moribus et frequentia sacramentorum. Quibus peractis, prandium sumpsit et quieti paulisper se tradidit. **|32^{v}|** Die antedicta 26 aprilis 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul, sacris ritibus servatis, in parochialem ecclesiam regressus, factis infrascriptis ordinationibus, precibus expletis, visitationem parochialis ecclesiae Sirmionis absolvit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur earumque

cineres spargantur super ipsum coemeterium – executioni mandetur ordinatio alias facta de altera pixide providenda – pesulum serae ostioli quod est in custodia oleorum sanctorum ita aptetur ut ostiolum ipsum omnino clausum remaneat – fiat vas decentius ad abluendos baptizandos in sacro fonte – rimae ciborii fontis baptismalis ita obturentur ut nullus remaneat additus quo pulvis aut immondities penetrare possit in fontem et decenti conopeo fons ipse exornetur – imago sancti Ioannis Baptistae in apice ciborii restauretur – deprimatur parumper portatile altaris maioris – provideatur de mappis super genuflexoriis ad comunionem – altare sancti Andreae provideatur de pulvinaribus decentioribus eiusque portatile paulisper deprimatur – provideatur de pulvinaribus decentioribus altare sanctissimi Corporis Christi illiusque portatile deprimatur aliquantulum – argento vel auro duo patenae cupreae retro liniantur et inauretur |**33**| pes unius ex calicibus qui habent cupam argenteam et pedem cupreum – comparentur manutergia ita ut munda ac decentia semper ad labrum existere possint et fistula eiusdem labri subtus ipsum ita apponatur ut aqua non depluat extra recipientem – restauretur armarium ligneum de ratione communitatis et decenti forma aptetur – depingantur vel exculpentur cruces rite in parietibus ecclesiae, ad inditium eius consecrationis – in partitis matrimoniorum addatur verbo *testibus* hoc verbum *rogatis* vel *adhibitis* – in partitis mortuorum exprimatur causa mortis. Egressus ex ipsa parochiali ecclesia Syrmionis, rhedam suam cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus subsequentibus ascendit ac Syrmionem reliquit, ipsum comitantibus admodum reverendo domino archipraesbytero et eius clero nec non suprarelato domino sindico ac principalioribus ex ipsa communitate equitantibus, tormentis bellicis interim iuxta Syrmionem explosis. Iter sic prosecutus est ad fines usque huius terrae, ubi perventus ab archipraesbytero praedicto, clero et a domino sindico aliisque communitatem rappresentantibus officia obsequii excepit iisque benigne respondit. Iis finibus transactis et in pertinentiam Rivoltellae praetergressus, obvios habuit nobilem dominum comitem Christophorum de Villio et |**33^{v}**| dominum Nicolaum Mogioli, ambos ab hac spectabili communitate deputatos et sua erga illustrissimum et reverendissimum praesulem obsequia offerent et praestarent dum in eius visitatione ipse persisteret; ab ipsis itaque humilimis verbis veneratus est, quibus perumanissime respondit. Hisce successit officialis militum equestrium illiricae nationis vulgo *Cappelletti*, qui illi litteras illustrissimi et excellentissimi domini domini provisoris Salodii et capitanei Riperiae officiosissime dedit et, eiusdem excellentissimi rappresentantis nomine, salutavit, offerens se ipsum et cohortem suam ad eius obsequium, quocumque in loco Riperiae ipse adesset. Perlegit illustrissimus et reverendissimus antistes litteras plenas officio predicti excellentissimi provisoris gratiisque actis, iter prosecutus est, praecedente ipsamet cohorte militum et subsequentibus dominis deputatis communitatis ac aliis principalioribus eiusdem. Paulo post, cum proprior esset publico oratorio Sancti Francisci, intra limites parochialis Rivoltellae, e rheda descendit et, una cum praedicto reverendissimo suo provicario generali ac familiaribus, ad ipsum oratorium visitandum perexit. [A margine: San Francesco] Vidit igitur et visitavit hoc oratorium, de ratione domini comitis Camilli Antonii Martinengo Cesaresco nobilis brixiensis, quod habet unicum altare cum portatile et icone, cum mensa partim ex muro partimque ex marmore. Vidit sacristiam et sacras suppellectiles pro sacro faciendo, quae ibidem in armario ligneo servantur. |**34**| Vidit etiam et observavit fenestras et tectum ipsius ecclesiae et ordinavit ut infra, videlicet. Ordinata. Portatile ita reponatur in mensa ut eius longitudo sit a gradibus super altare versus sacerdotem celebrantem et ita firmetur ne appareant rimae; mensa vero ita adaequetur ut eius superficies scabra non sit et inequalis, sed paralela – provideatur de paramento saltem violacei coloris – missali addantur missae recentiores sanctorum et sarciatur ac restauretur in locis ubi opus est ac praesertim in canone – provideatur sacristia de bireto, de tabella pro missae praeparatione, de cruce magna seu imagine lignea Crucifixi supra armarium ponenda et apendatur scitula ex qua aqua depluat ad manus sacerdotum abluendas, cum suo manutergio – decenti forma tectum oratorii interius effermetur ita ut tegulae et ligna rudia, quae ipsas substinent, non appareant, ut decet domum Dei. Huius oratorii visitatione peracta, iterum rhedam conscendit ac cum suo comitatu ad oratorium usque Beatae Mariae Virginis vulgo *della Villa* nuncupatum venit, ubi admodum reverendus dominus Leonardus Griffi, archipraesbyter parochialis ecclesiae Sancti Blasii de Rivoltella, eius clerus cum superpelliceis et populus in processionis |**34^{v}**| ordine obvius illi fuit; cum his itaque viam progressus, ad aedes parochiales adventus, personantibus tubis tibiisque a spectabili communitate paratis, ibidem se recepit, ubi iterum humanissimis verbis cum praedicto domino archipraesbytero, clero, deputatis et principalioribus factis, tandem ad cubiculum sibi paratum divertit ibique incenatus obdormivit.

[a margine: RIVOLTELLA]. Die sabbathi 27 aprilis 1743, Illustrissimus et Reverendissimus dominus dominus Episcopus visitationem Rivoltellae aggreditur et, suis vestibus indutus, in aula aedium parochialium, a praedictis deputatis et principalioribus Comunitatis humili obsequio veneratus, a nobili vero comite Christophoro de Villio elegantissima concione, nomine praedictae comunitatis eiusdem laetitiam ac

gratulationem pro eius visitatione suscepta ac pro eius adventu exposuit, quibus cum ab illustrissimo et reverendissimo praesule paterno animi affectu responsum fuisset, ipse ad portam praefatae aedis parochialis descendit ibique obvium habuit dominum archipraesbyterum praedictum cum cruce et eius clerum superpelliceis ornatum, quo in loco, consueto rito absoluto, ordine processionis preces praescriptas decantando, in ecclesiam parochialem, quae musicis instrumentis personabat, ingressus est, baldachinum super illum gestantibus onestissimis viris a comunitate ad id ellectis ibique, post Deo optimo maximo completas ex ritibus praescriptas preces factisque pro defunctis exequiis, assistentibus in dalmaticis nobilibus et reverendissimis dominis Ioanne Pace |**35**| et Francisco Pamba, sacerdotibus de Desentiano civibus Riperiae, visitavit coemeteria ecclesiae contigua, quae rite disposita cognovit. Regressus ad ecclesiam et ad altare maius genuflexus ante divinum Sacramentum ex tabernaculo a domino archipraesbytero extractum, hymno incepto ac thurificatione facta, ipsum sanctissimum Sacramentum visitavit, quod servatur in tabernaculo ligneo inaurato, cum sera et clavi, quae est argentea et posito in pixide argentea, suo conopeolo decenti ornata; renovari illud statutis temporibus cognovit et ea religione qua decet distribui communicantibus; ad infirmos deferri et publicae adorationi exponi. Vidit ostensorium radiatum argenteum, affabre elaboratum; vidit minorem pixidem et amygdalam argenteas, rite instructas. Expositionem sanctissimae Eucharistiae fieri compertus est diebus festis, quae occurrunt a die sanctae Crucis maii ad diem usque eiusdem sanctae Crucis septembris nec non singula quaque sexta feria martii; processionem vero cum ipso Sacramento die solemni sanctissimi Corporis Christi et tertia quaque dominica mensis. Sub hac paroecia numerantur animae a communione 947, in totum vero sunt 1321. Schedas dominus archipraesbyter distribuit in Paschate et postea colligit et nemo est qui praecepto in Paschate communicandi |**35^{v}**| non obediat. Societas sanctissimi Sacramenti suas suppellectiles habet, quibus religiosus debitusque cultus huc praestatur quoties ad infirmos defertur. His actis, ex altari descendit et, hymno caeteroque ritu absoluto, cum augustissimo praedicto Sacramento populo benedixit. Deinde paramenta ad missam celebrandam suscepit et sacrificium obtulit, quo completo plurimis utriusque sexus christifidelibus sacram ipsam Eucharistiam impertitus est. Depositis sacris paramentis gratiisque Deo actis, visitationem caeterorum sacramentorum suscepit; et primum visitavit olea sancta, quae servantur et custodiuntur in loculo in cornu evangelii altaris maioris sub sera et clavi viditque capsulam ex nuce et vascula stamnea quibus summuntur a cathedrali olea sancta: omnia bene tenta. Vidit duo vascula pro oleo infirmorum, alterum parvulum argenteum, alterum stamneum, cum suis bursis violaceis. Deinde ad fontem baptismatis petiit illumque visitavit ac rastris ferreis clausum invenit. Visitavit vascula oleorum Chrismatis et cathecumenorum, quae sunt argentea nihilque quoad hoc sacramentum ordinandum censuit. Vidit in hac ecclesia quatuor confessionalia, suis locis bene disposita. |**36**| Harum rerum visitatione peracta, iterum ante Sacramentum oravit et, domum reversus, prandium sumpsit. Die antedicta 27 aprilis 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, visitationem continuando, praedictam ecclesiam adivit ibique adorato divino Sacramento, visitavit altare maius, cuius gradus et mensa est marmorea, supra quam altum consurgit tabernaculum ligneum auro perpollitum. In hoc tabernaculo cognovit reliquiam ex ligno sanctissimae Crucis servari, quod aperiri iussit et ex eo ipsam reliquiam extrahi, quam vidit positam intra crucem crystallinam, suo sigillo et documentis autenticis munitam ac in ostensorio argenteo repositam. Hanc igitur thurificationis honore deveneratus est. Hoc altare est divo Blasio episcopo et martyri dicatum, de ratione spectabilis communitatis, a qua manutenetur exceptis cereis, de quibus providet dominus archipraesbyter et oleo pro lampade, quae accensa manutenetur impensis societatis sanctissimi Sacramenti. In hoc altare celebratur ex obligatione legati Lode seu quondam domini Ioannis Francisci Brescianelli, in eius testamento relato in policea exhibita una cum aliis a domino archipraesbytero et infra reposita ad litteram C; quod rogatum fuit die 8 maii 1696, pro qua obligatione reverendus dominus Ermindus Fedrici tot missas applicat quot celebrari possunt iuxta vires reddituum, quos percipit ex |**36^{v}**| agris sibi a communitate uti commissaria eius piae dispositionis assignatis, pro ratione manualis eleemosinae duorum tronorum quoad missas festivas et triginta solidorum quoad feriales. Diebus festis dominus archipraesbyter suam obligationem adimplet missam pro populo offerendo et applicando. Visitavit chorum, ubi sedilia et genuflexoria existunt pro divinis officiis a clero celebrandis et extat armarium retro altare, in quo libri chorales custodiuntur. Ad altare sanctissimi Christi Corporis accessit, in mensa marmoreum cum palio ex chorio aurato, in reliquis partibus ex gypso fabrefactum, cum icone a Zenone Dionisio, excellenti pictore, depicto. Hoc altare est de ratione societatis sanctissimi Sacramenti, a qua manutenetur quaeque canonice instituta fuit, prout constat ex recognitione praecedentium visitationum atque ex diplomate Pauli papae V diei 5 iunii 1609. Haec societas unita iam fuit sodalitio Rosarii eiusdem ecclesiae et utriusque societatis redditus inter se confunduntur, ex quibus et altare hoc praedictum et illud Rosarii manutenetur et suppellectiles parantur, quibus religioso cultu associatur sanctissimum Viaticum.

Huic altari nulla adnexa est obligatio missarum. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, in mensa marmoreum, cum palio corii aurati, in reliquis ex gypso inaurato constructum. In hoc altare est imago ex ligno |**37**| sculpta beatae Virginis Mariae, sub crystallis collocata, circum quam depicta conspiciuntur misteria ipsiusmet rosarii. Hoc idem altare est de ratione societatis Rosarii et ab hac manutenetur ex redditibus supradescriptis. Ibidem constituta fuit officiatura ex testamento Iacobi Bernardi 12 ianuarii 1695, ut in antedicta policea domini archipraesbyteri asseritur, pro qua reverendus dominus Balthessar Dusinus, ab ipsa societate amovibiliter electus, tot missas celebrat quot celebrare potest iuxta redditus quas percipit ex bonis a laudato testatore relictis, compraehensa obligatione quot annis faciendo celebrare in eius mortis die anniversario, qui accidit die 7 februarii officium quatuor missarum pro ratione eleaemosinae quoad missas (quas ipse celebrat) viginti quatuor solidorum. Haec societas canonice instituta cognoscitur tum ex praecedentium visitationum recognitione, tum etiam ex diplomate ostenso, dato sub die 8 decembris 1660. Visitavit altare sancti Michaelis arcangeli, in mensa marmoreum cum palio ex chorio, in reliquis ex gypso elaboratum. Extat portatile et icon ab Antonio Palia brixiano depictus. Hoc ipsum altare est de ratione communitatis et ibidem adest obligatio officiaturae, cuius institutionis nullam adesse memoriam assertum fuit, pro qua temen reverendus dominus Theophilus Brugnoli tot missas celebrat quot |**37**^{v}| celebrandae sunt iuxta reddituum quantitatem, quam percipit ex agris et capitalibus sibi a communitate assignatis (a qua amovibiliter electus fuit) ad rationem eleaemosinae manualis quadraginta solidorum pro missis festivis et triginta solidorum pro ferialibus. Visitavit altare sanctae Mariae Helisabeth, itidem de ratione communitatis, cum mensa partim lapidea partimque ex muro, cum palio ex chorio, portatili et icone depicto. Ibi extat obligatio officiaturae, cuius institutionis – ut assertum fuit – memoria non superest, pro qua celebrat reverendus dominus Ioseph Faini tot missas quot celebrare debet iuxta redditus ex bonis sibi a communitate ad hoc assignatis, a qua amovibiliter huic obligationi adimplendae electus fuit, servata ratione manualis eleaemosinae tronorum duorum pro missis festivis et pro ferialibus triginta solidorum. Visitavit altare sanctae Catharinae martyris, cum mensa marmorea, portatili, palio et icone depicto, de ratione communitatis, cui est officiatura, ut legitur assertum in policea a domino archipraesbytero ante praesentata, instituta a quondam domino Bartholomaeo Raimondi in suo testamento 15 ianuarii 1526, pro qua reverendus dominus Antonius Masotti tot missas celebrat quot celebrare tenetur ad rationem manualis eleaemosinae duorum tronorum pro quaque missa festiva et triginta solidorum pro quaque feriali, iuxta quantitatem reddituum, quam percipit ex agris a communitate uti commissaria dictae piae dispositionis |**38**| sibi assignatis. Visitavit altare beatae Virginis Mariae ad Nives, cum mensa lapidea et portatile cum palio ex serico, cuius superiores partes sunt ligneae. Hoc altare anno 1714 die 5 aprilis errectum fuit post destructionem oratorii Sanctae Mariae ad Nives *del Rasetto* nuncupatum, quod existebat prope coemeterium huius ecclesiae in ora *del Castello* factam decreto illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Francisci Barbadici episcopi veronensis diei primae septembris anni 1713, a domino archipraesbytero exhibito, viso et restituto et in ipso collocata fuit imago beatae Virginis in muro depicta, quae in ipso oratorio existebat, ut ex monumento scripto et subscripto a quondam reverendo domino Villio de Villiis, archipraesbytero huius loci, ibidem ostenso, viso et restituto atque ad praedictum altare, ex eodem decreto, translata fuit officiatura quotidiana relicta a quondam domino Augustino Cerabello, ut ex pollicea praedicti domini archipraesbyteri, in fine huius libri ad litteram C reposita, in eius testamento 16 septembris 1630, quam obligationem adimplet reverendus dominus Lazarus Calepinus, a communitate amovibiliter electus, pro qua percipit redditus ex possessione ab ipso testatore ad hoc relicta. In hoc altare extat custodia lignea cum sera et clavi, in qua costudiuntur duae sacrae reliquiae, una ex cineribus sancti Ignatii Loiolae, altera ex ossibus sancti Francisci Xaverii, quas vidit sigillo et documentis autenticis munitas positasque in ostensorio cupreo inaurato cum chrystallis et, eas veneratus, reponendas |**38**^{v}| in eamdem custodiam mandavit. Quibus peractis, in aedes parochiales se recepit et quievit. Die dominico 28 aprilis 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus diligentissime in prefatam ecclesiam parochialem descendit et in ea, praemissa devote praeparatione, sacrosanctum missae sacrifitium Deo obtulit; quo peracto, quamplurimis utriusque sexus christifidelibus angelorum Panem praebuit actisque subinde Deo gratiis confluenti populo Confirmationis sacramentum ministravit. Dum haec agerentur, reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. [A margine: San Pietro d'Alcantara] Et primum, visitavit publicum oratorium sub invocatione Sancti Petri de Alcantara infra limites parochialis ecclesiae Rivoltellae, de ratione domini Augustini Mabelini de Desentiano, errectum anno 1733, quod habet dotem constitutam cum instrumento diei primae septembris eiusdem anni 1733, in actis domini Petri Pilosi, notarii Desentiani, cum unico altare cuius mensa est lignea super murum constructa et habet iconem depictum et portatile. In hoc altare nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit sacristiam et in

ea paramenta neccessaria ad sacrum faciendum, in armario ligneo servata. Ordinata. Provideatur portatile de tela cerata - |**39**| de paramentis albi, violacei et viridi colorum – appendatur in sacristia scitula cum eius fistula ad formam galli gallinacei et apud ipsam manutergium ad abluendas manus sacerdotum. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Sebastiano] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Sebastiani martyris infra limites parochialis ecclesiae Rivoltellae, de ratione domini domini Nicolai et fratris Moioli de Desentiano, constructum anno 1709. Habet unicum altare cum portatili et icone depicto, cum mensa ex muro et palio ex ligno depicto. Nulla inibi adest obligatio missarum, sed tantum in eo celebratur ex devotione. Vidit adnexam huic oratorio sacristiam et in ea paramenta ad sacrum faciendum neccessaria, in armario ligneo servata. Ordinata. Altare provideatur de pulvinaribus decentioribus. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio di Padova]. Alterum vidit oratorium publicum sub titulo Sancti Antonii patavini infra limites parochialis praedictae, de ratione haeredum quondam domini Antonii Girardi de Limone Riperiae. Unicum in eo adest altare marmoreum in mensa super murum elevata, caetera vero eius partes consurgunt ex muro depicto; habet iconem depictum et portatile. Nulla in eo est obligatio missarum, ut fuit assertum, sed |**39**^{v}| aliquando in eo celebratur ex devotione. Visitavit sacristiam eidem oratorio contiguam et in ea sacra apparamenta pro opportuna missae celebratione, in armario ligneo custodita. Ordinata. Provideatur altare de vasculis cum floribus – fiant sperae vitreae in fenestris inferioribus a lateribus portae – addantur missali missae recentiores sanctorum – appendatur in sacristia scitula cum eius fistula ad formam galli gallinacei et apud ipsam manutergium ad manus sacerdotum abluendas – fiant sperae saltem linteae fenestrae sacristiae – provideatur de paramento violacei simul et viridi colorum – adequetur murus ubi erat fenestra prospiciens in ecclesiam. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santa Teresa] Visitavit subinde oratorium publicum Sanctis Theresia ei Ioanni a Cruce dicatum, infra limites parochialis Rivoltellae antedictae, de ratione domini Pauli Leoni de Desentiano, in quo unicum extat altare cum mensa lignea super murum constructa, palio ex chorio inaurato, portatili et icone depicto. Concessa fuit domino Paulo praedicto facultas aperiendi parvam ianuam ex parte laterali huius oratorii, pro maiori suae familiae et quamplurium villicorum comoditate, cum conditione tamen quod in loco publico apponatur lapis quo notificetur domum dicti domini Pauli non gaudere ecclesiastica |**40**| immunitate, prout constat ex actu curiae episcopalis veronensis emanato die 10 aprilis 1727 pro executione brevis apostolici diei 5 martii eiusdem anni. Ante prospectum ecclesiae praedictae lapis positus fuit quo declaratur domum praedictam non gaudere ecclesiastica immunitate. Huic altari nulla adest adnexa obligatio missarum, sed aliquoties in eo celebratur ex devotione. Visitavit sacristiam praedicto oratorio adnexam, in qua sacrae suppellectiles pro sacro faciendo servantur in armario ligneo et de quibus sufficienter esse provisum invenit. Ordinata. Elevetur paulisper portatile illiusque rimae obturentur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Cristoforo] Publicum successive visitavit oratorium Sancti Christophori, infra limites dictae parochialis de Rivoltella, olim de ratione admodum reverendi domini Ioannis Baptistae Simbeni, archipraesbyteri Desentiani, nunc vero venerabilis consororis dominae Catharinae Comboni, superiorissae venerabilis congregationis sanctae Ursulae Desentiani praedicti. Unicum extat in eo altare, ex marmore elaboratum cum portatili et icone in tela depicto et appenso in pariete retro idem altare. Hoc idem oratorium errectum fuit auctoritate ordinaria illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Trevisani, episcopi praedecessoris, ut constat ex actu ipsius facultatis erigendi diei 27 martii 1726 ipsumque dotatum extitit ab antedicto reverendo Simbeni, |**40**^{v}| assignando pro eius dote unam petiam terrae arratoriam cum vineis, moris aliisque arboribus, iacentem in pertinentia Rivoltellae in contrata *delle Albarelle* nuncupata *il Pozzone*, cui a duabus partibus cohaeret dominus Franciscus Bassani, ab alia via communis et ab alia bona eiusdemmet domini archipraesbyteri Simbeni, valoris ducatorum biscentorum et annui redditus ducatorum duodecim; id constat ex instrumento dotationis in actis domini Ioannis Francisci Venitheo notarii veronensis diei 27 martii 1726, exhibito, viso et restituto. Post altare est chorus, in cuius prospectu est ostium apertum per quod ingreditur in aedes privatas dominicales, cum conditione quod aedes praedictae immunitate ecclesiastica minime possint,, auctoritate apostolica ex brevi diei 19 decembris 1726, exequto a reverendissimo domino vicario generali, huius curiae apostolico executore, ut apparet ex actu diei 8 ianuarii 1728, ibidem ostenso, viso et restituto. In praedicto choro retro altare est armarium ubi servantur paramenta aliaque neccessaria ad sacrum faciendum, quae visitavit et sufficienter provisum esse invenit. Cum ex testamento praedicti reverendi Simbeni diei 30 decembris anni 1730, in actis domini Bartholomaei Cristoforetti notarii de Desentiano, bona quae possidebat in ista contrata reliquerit pro usufructu praedictae dominae Comboni, ipsi quoque transiit ius huiusmodi oratorii, a qua cum redditu praedictae dotis manutenetur |**41**| et adimplet onus in eodem testamento impositum missarum triginta, in ipso oratorio celebrandarum. Vidit etiam confessionale mobile, in hoc oratorio de licentia archipraesbyteri tentum. Ordinata. Elevetur paulisper portatile altaris – provideatur de pelvi pro urceolis – confessionali aptetur ex

parte confessarii tabella casuum resservatorum et ex parte poenitentis aliqua devota imago. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Rocco] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sancti Rocchi, de ratione communitatis Rivoltellae praedictae, intra fines ipsius parochialis, cum unico altari cum mensa marmorea, portatili, icone et palio ex tela depicto, in reliquis ligneum. Ad hoc oratorium ex parochiali ecclesia Rivoltellae clerus et populus dicti loci in ordinem processionis accedit in die eiusdem sancti Rocchi atque hic solemnis missa celebratur. Nulla adest huic altari obligatio missarum, sed in eo aliquando celebratur ex devotione. Retro altare ipsum extat chorus et in eo armarium cum unico tantum paramento albi et rubei colorum, cum alba et calice. Ordinata. Exequantur ordinationes factae in visitatione habita |**41**^{v}| anno 1712 – de novo portatili providendo ad mensuram canonicam – de tella cerata super ipsum – de ramatis et speris ad fenestras prope portam – de reficiendo fornice subtus tectum ecclesiae – de errigenda sacristia cum suo labello, manutergio, tabella praeparationis, genuflexorio nec non armario pro paramentis, capsula pro purificatoriis aliisque neccessariis – fiant paramenta aliorum colorum, violacei scilicet, viridi et nigris – mappae in altari continuo mundae teneantur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Martino] Visitavit demum oratorium publicum sub invocatione Sancti Martini episcopi, in apice colli errectum infra limites parochialis ecclesiae de Rivoltella. In hoc oratorio unicum extat altare ex gypso elegantissime elaborato, cum statuis constructum, cum portatile et icone depicto, quod errectum fuit – ut asseruerunt – ex liberali pietate nobilis domini comitis Francisci Tracagna et nunc manutenetur a nobilibus dominis comitibus Iacobo, Andrea, Fabio, Iosepho ac reverendo domino Bartholomaeo fratribus de Tracagnis, filiis praedicti quondam nobilis domini comitis Francisci Tracagna Vidit sacristiam, a parte epistolae positam ibique visitavit paramenta pro sacro faciendo. In hoc oratorio nulla adest obligatio missarum, nihilominus pietas incolarum vicinorum stipem tradit reverendo domino Iosepho Stringari, sacerdoti de Rivoltella qui celebrat festis diebus. |**42**| Vidit etiam confessionale mobile, de licentia domini archipraesbyteri Rivoltellae in hoc oratorio tentum, ubi praedictus reverendus Stringari, de licentia ipsius domini archipresbyteri, aliquando christifidelium sacramentales confessiones excipit. Vidit etiam campanile parvum, in quo sunt duae campanulae. Ordinata. Provideantur de speris vitreis cum suis ramatis fenestrae laterales ecclesiae – in sacristia fiat armarium cum asseribus ductilibus, ubi collocentur paramenta et supra quod errigatur crux cum crucifixo – provideatur de novo bireto – appendatur scitula habens fistulam in modum galli gallinacei, cum suo manutergio ad abluendas manus – confessionale provideatur de pagella casuum resservatorum ex parte confessarii et de aliqua devota imagine ex parte poenitentis. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam antedictam se restituit. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus, iam defatigatus, in aedes parochiales se recepit, prandium sumpsit et quievit. Die dominico 28 aprilis 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus praedictus, iterum in ecclesiam parochialem ingressus ibique congregatis per solita signa pueris, puellis et adultis utriusque sexus pro exercenda schola doctrinae christianae, mandavit ut admodum reverendus archipraesbyter suo more ipsum exercitium perageret, illos docendo et interrogando |**42**^{v}| circa fidei misteria ac legem divinam. Quod cum ab isto exequeretur, cognovit ita omnes in huiusmodi doctrina instructos esse ut prae summa laetitia paternus eius animus exultaret. Quapropter summopere methodum probavit qua utitur solertissimus iste parochus in illis edocendis ac plurimum eius zelum, charitatem et solertiam quibus in hoc praeclaro christianae religionis opus incumbit. Peritioribus in rudimentis catholicae doctrinae praemia ex liberalitate laudati domini archipraesbyteri comparata elargitus est. Quibus actis dimissisque discipulis, operarios et operatrices accersivit ac ordinem, quo haec schola exercetur ab iisdem interrogatis cognovit librosque vidit in quibus et operariorum officia et eorum discipularumque solertia describunt. Quae cum rite fieri compertus fuerit et ecclesiasticos viros sui archipresbyteri charitatem et diligentiam imitari viderit, et omnia probavit ac amantissimis verbis omnes hortatus est ut in sancto hoc instituto magis in dies adlaborarent, summa aeternaque mercede expectaturi. Posthaec, cum nonnulli Confirmationis sacramentum postulassent, sacris vestibus indutus illis idem administravit. Quo facto, ad visitandam sacristiam se contulit eamque visitavit, in qua existunt paramenta pro divinis officiis celebrandis, in armariis ex nuce servata et prout descripta sunt in policea in fine huius ad litteram C, omnia rite instructa. |**43**| Vidit loculum prope sacristiam ibique armarium ex ligno depicto in quo servatur reliquia ex sacris ossibus sancti Blasii episcopi et martyris intus thecam ex auricalco, sigillo et litteris patentibus munitam, visis et recognitis in hac curia episcopali die 5 ianuarii 1738, quam cum recognivisset veneratus est. Theca ipsa est in ostensorio argenteo, eleganti forma constructo. Item in ecclesiam ingressus, vidit suggestum in quo concionatur cum mandato et benedictione episcopali tempore Quadragesimae diebus festis et quaque sexta feria mensis martiis; ibidem concionator eligitur ab hac communitate, a qua stipem accipit librarum centum sexaginta. [A margine: Madonna della Villa] Deinde egressus contendit ad publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae de Consolatione, vulgo *della*

Villa infra limites praedictae parochialis, olim de ratione huius communitatis, a qua parvis ab hinc annis societati cincturatorum concessum fuit ex decreto ipsiusmet communitatis, prout assertum fuit. Hoc oratorium unicum habet altare constructum cum mensa ex muro, ante quam extat palium ex corio, et supra ipsam portatile. Super gradus eiusdem altaris in loculo extat reposita imago beatae Virginis Mariae exculpta in petra sub crystallis, a populo paeculiari venerationi culta. Supra ipsam est icon depictus, qui Nativitatem eiusdem beatae Virginis Mariae rappresentat. In hoc ipso oratorio vidit confessionale mobile, ibi de licentia domini archipraesbyteri positum et servatum. A parte epistolae patet |**43**^{v}| ingressus in sacristiam, ubi est armarium in quo servantur paramenta, quae visitavit. Haec societas cincturatorum canonice instituta apparet ex patentibus litteris publicatis auctoritate episcopali die 5 septembrie 1738, quas confratres exhibuerunt, vidit et restituit. Confratrum nomina describuntur in libro exhibito, viso et restituto. Dum haec observarentur, domini Antonius Pasetti et Bartholomaeus Raimundi, sindici eiusdem societatis aliique confratres humilime supplicaverunt ut dominatio sua illustrissima et reverendissima dignaretur capitula acta inter ipsos confratres et admodum reverendum dominum archipraesbyterum die 9 octobris 1738 (quorum copiam authenticam exhibuerunt et infra ad litteram C repositam), super quibus partes consensuerunt, stante consuetudine huius loci et aliorum locorum diaecesis veronensis qui pertinent ad Riperiam approbare et sua auctoritate perpetuis futuris temporibus confirmare. Qua supplicatione audita lectisque exhibitis ut supra capitulis, cupiens ut beatae Mariae Virginis cultus in dies magis progrediatur, eadem auctoritate sua confirmavit et approbavit et perpetuis futuris temporibus confirmata et approbata declaravit et ita et cetera, omni et cetera. In hoc oratorio nulla adest obligatio missarum, sed ex confratrum pietate singulis sabbatis missa ibidem celebratur. |**44**| Huius oratorii custos est Paulus Simbaldi heremita, cuius aedes visitavit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, in quibus nihil quod pietati adversetur invenit. Ordinata. Labrum pro aqua benedicta propius ianuam collocetur – deprimatur aliquantulum portatile et circum ipsum rimae obturentur – rete ferreum fenestrae iuxta ianuam ponatur et in utrisque fenestris a lateribus ipsius ianuae collocentur sperae vitreae – confessionali a partibus poenitentium affigantur imagines devotae – in sacristia provideatur de paramento nigri coloris – missali addantur missae recentiores sanctorum – appendatur situla habens fistulam ad instar galli gallinacei, cum manutergio ad sacerdotum manus abluendas. Hisce peractis, cum sero factum esset, ad aedes parochiales rediit ac ibidem quieti se dedit et postmodum incoenatus obdormivit. Die lunae 29 mensis aprilis 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, facto mane, ad antedictam parochialem ecclesiam rediit, sub baldachino ut ante receptus ibique in genuflexorio parato piam praeparationem pro missae sacrificio celebrando fecit et celebravit; quo absoluto, ducentos circiter utriusque sexus christifideles divino Sacramento cibavit ac subinde petentes sacro Chrismate |**44**^{v}| perunxit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit, una cum me notario, ad invisenda oratoria infrascripta. [A margine: San Donino] Et primum visitavit oratorium publicum Sancti Donini nuncupatum, de ratione admodum reverendi archipraesbyteri pro tempore parochialis ecclesiae Rivoltellae, a quo manutenetur, positum in praedio eiusdem parochialis ecclesiae, apud quod sunt aedes in quibus habitant coloni eiusdem praedii. Unicum habet altare ligneum cum portatili, palio et icone depicto, omnia bene instructa. A latere ipsiusmet altaris, in cornu scilicet epistolae, est depicta effigies sancti Donini, in qua descripta legitur eius epocha anni 1495; a parte vero evangelii est ostium per quod contenditur in aedes praedictas colonorum, auctoritate illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Francisci Barbadici episcopi veronensis recolendae memoriae, prout in eius visitatione anni 1712 constructum, stante quod per ipsum ostium fit ingressus in aedes de ratione ecclesiae. Habet huiusmodi oratorium parvam sacristiam, quam visitavit, una cum paramentis aliisque neccessariis ad missae celebrationem et omnia rite instructa et servata vidit. In hoc ipso oratorio aliquando celebratur ex devotione tantum. Observavit supra fornicem oratorii adesse locum cognovitque ibidem colonos dormitum petere. |**45**| Ordinata. Exequatur ordinatio visitationis anni 1712 de portatili parumper deprimendo et de claudendo altare a lateribus – provideatur de pelvi pro urceolis – aptetur crux ferrea in culmine tecti – coloni non utantur deinceps loco supra fornicem pro usu cubiculi neve in eo lectum sit dormitumve addeant, aliter suspensum declarabitur oratorium ipsum. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Gerolamo] Visitavit deinde oratorium Sancti Hieronymi, olim de ratione domini Leonardi Soldi, postea domini Cipriani Fontana, nunc vero domini Francisci Patuzzi de Limone, cum unico altari habente mensam marmoream, palium sericum et portatile. Adest icon depictus, in quo sunt effigies beatae Virginis Mariae, sancti Hieronymi et sancti Francisci de Paula. Vidit constructam sacristiam, in quam a parte evengelii ingreditur; ibidem est armarium ligneum, ubi servantur paramenta, quae visitavit et sufficienter provisum invenit. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed in eo ex devotione tantum celebratur. Vidit ostium quod praebet ingressum in hortum contiguum aedibus privatis, super quo acceptis informationibus, cognovit processiones Rogationum tum Rivoltellae tum Desentiani consuevisse et

adhuc consuescere |**45ᵛ**| ad hoc oratorium convenire et missas respective solemnes celebrare praedicto tempore, ingrediendo scilicet per ostium publicum et egrediendo per supradescriptum, transeundo per aedes supradictas et continuando processionis viam, qua propter hac de causa aliisque ex iisdem informationibus cognitis huiusmodi ostium tollerandum ac illud existere permisit, non obstantibus ordinationibus factis in visitatione habita anno 1712. In hoc oratorio tempore haestivo docetur doctrina christiana, de licentia domini archipraesbyteri, per reverendum dominum Iosephum Faini, sacerdotem huius terrae. Apparet in pariete huius oratorii prope ostium privatum haec inscriptio caracteribus illius temporis depicta: "1488", ex qua colligitur tempus errectionis huiusmodi oratorii. Ordinata. Paulisper elevetur portatile altaris – provideatur de planeta viridi coloris – de bireto sacerdotali – errigatur campanile cum campana super muros ecclesiae – in sacristia appendatur situla habens fistulam ad formam galli gallinacei et apud ipsam manutergium ad abluendas manus celebrantium – apponatur eidem sacristiae labellum pro aqua benedicta. Quibus habitis et cetera. |**46**| [A margine: San Paolo] Visitavit etiam oratorium publicum sub invocatione Sancti Pauli, infra limites Rivoltellae, de ratione dominorum comitum Pauli et Aloysii fratrum de Marchettis, nobilium Mantuae, in quo unicum extat altare ex ligno cum portatili et icone depicto sarcito, cum palio ex chorio. Nulla in eo adest obligatio missarum, sed celebratur tantum ex devotione. Habet hoc oratorium parvam sacristiam a parte evangelii, in qua vidit armarium cum paramentis neccessariis pro celebratione missae, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Ordinata. Exequatur ordinatio facta anno 1732 de providendo fenestram de ramatis – elevetur paulisper portatile – provideatur altare de vasculis cum floribus – in sacristia provideatur de paramento nigro et de bireto sacerdotali – addantur missali missae recentiores sanctorum – ponatur in sacristia pagella praeparationis et appendatur situla cum fistula ad modum galli gallinacei, cum suo manutergio ad manus sacerdotum abluendas – aptetur imago Crucifixi ex ligno sculpta super armarium – dealbetur eademmet sacristia. Quibus habitis et cetera. Visitavit denique oratorium publicum divo Zenoni |**46ᵛ**| dicatum, [a margine: San Zeno] tribus navibus compactum, intra fines praedictae parochialis Rivoltellae, de ratione ad praesens societatis Conceptionis Immaculatae beatae Virginis Mariae, a qua oratorium ipsum manutenetur. Ibidem duo extant altaria, quae visitavit, videlicet: altare sancti Zenonis, marmoreum in mensa super murum constructa, cum palio ex chorio aurato; retro altare est forma chori, in cuius prospectu est icon depictus qui rappresentat imagines beatae Virginis Mariae, sancti Zenonis, sancti Blasii et sancti Antonii patavini. Huic altari nihil ordinandum est et nulla adest obligatio missarum, sed tantummodo in eo celebratur ex devotione. Altare beatae Virgini Mariae dicatum, cancellis ferreis clausum, marmoreum in mensa super murum cum palio ex serico, in reliquis ex gypso consurgit. In hoc altari sub crystallis et super murum est depicta imago beatae Virginis Mariae, quam populus Rivoltellae paeculiari cultu veneratur, circa cuius cappellam plurima vota pendent. In hoc altari celebratur quaque die sabbathi, ex piis societatis eleaemosinis. Vidit confessionale, de licentia domini archipraesbyteri in hac ecclesia positum et servatum, quod bene tentum invenit, ubi aliquando reverendus dominus Ioseph Pasetti, de licentia ipsiusmet domini archipraesbyteri, sacramentales christifidelium confessiones excipit. |**47**| Visitavit quoque suggestum in hoc oratorio, in quo concionator quadragesimalis Rivoltellae panegerim in die Annunciationis beatae Virginis Mariae de eiusdem misterio habet. Eidem oratorio adest suum campanile, cum duabus campanis. A parte epistolae cappellae maioris est sacristia, quam vidit et in ea visitavit paramenta, in armario ligneo servata, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Societas praedicta canonice instituta apparet ex diplomate aggregationis, dato Romae apud Sanctum Petrum idibus martii 1537, ostenso, viso et restituto, quod recognitum etiam fuit in praecedentibus visitationibus; exhibiti fuerunt etiam libri ipsius societatis, in quibus describuntur eiusdem confratres. Haec societas habet nonnullos parvos redditus, qui pie a confratribus administrantur. Vidit quoque huic oratorio domum contiguam, in qua ressidet heremita, qui modo est Carolus Barbieri de Tusculano diaecesis brixiensis, pro custodia ipsiusmet oratorii. Quibus habitis, ad antedictas aedes se restituit, ad quas itidem illustrissimus et reverendissimus praesul corpus quiete reffecturus prandiumque sumpturus. Die antedicta 29 aprilis 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario |**47ᵛ**| [a margine: san Giuseppe] suo generali, se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sanctorum Firmi et Rustici vel Sancti Iosephi, infra limites huius parochialis ecclesiae de Rivoltella situm, associatus a reverendo domino archipraesbytero, clero et principalioribus loci, in cuius ingressu aderat cum superpelliceo reverendus dominus Hermindus Fedricci, curatus ecclesiae parochialis huius loci, a quo idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus aspersorium aquae benedictae accepit eoque se signavit et populo benedixit et, accessus ante altare, facta oratione, ad visitandum praedictum oratorium surrexit. Unicum in eo vidit altare, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ex ligno ornate constructum; habet iconem ab excellenti pictore depictum, in quo praeter praedictos sanctos titulares est imago beatae Mariae

Virginis; a lateribus autem eiusdem altaris, super portas per quas ingreditur in chorum, depictae sunt imagines sanctarum Appolloniae et Luciae martirum. Huic oratorio relictum fuit legatum a quondam domino Dominico Pasetto in eius cedula testamentaria diei 16 februarii 1704, in actis domini Lactantii Calepini notarii, exhibita a domino Francisco Agnolini, priore infrascriptae societatis, visa et restituta, quarumdam petiarum terrae et aliorum capitalium, ad hoc ut ex redditibus ex praedictis bonis provenientibus tot missae hic celebrentur et applicentur pro anima sua et |**48**| suorum defunctorum quot celebrari possint, eligendo executores et commissarios huiusmodi suae dispositionis venerabilem priorem et vice priorem pro tempore eiusdem infrascriptae confraternitatis, cum praelatione quoad sacerdotem eligendum, favore sacerdotum et religiosorum familiae Pasetti, tam ex linea masculina quam foeminina. Mortuo praedicto Domino Pasetti testatore, inventarium ad instantiam praedictorum commissariorum ut supra factum est in actis praedicti domini Calepini notarii sub die 31 ianuarii 1708 ex quo, ostenso, viso et restituto, apparet praeter petias terrae reclictas, mobilia et utensilia reliquisse ipsum testatorem, pro hac pia eius dispositione, quantitatem pecuniae ad summam tronorum 3207.15. Anno vero 1742 9 aprilis, defuncta iam usufructuaria, subastatae fuerunt, auctoritate excellentissimi provisoris Salodii et venditae reverendo domino Iosepho Pasetti petiae terrae a testatore relictae, praetio tronorum 5492, ut patet ex actu venditionis eiusdem diei et anni, rogato per dominum Franciscum dall'O notarium Salodii ibidem in forma autentica a praedictis priore, et vice priore exhibito, viso et restituto. Verum, cum summa capitalium, quae ex libro reddituum huius cappellaniae, pariter ab ipsis exhibito, viso et restituto, ascendat ad libras 9919, constat, praeter summam pecuniae relictam ac praeter praetium exactum ex venditione petiarum terrae, superesse |**48**^{v}| libras 1219.5, quae derrivasse videntur ex praetio mobilium et utensiliorum in inventario supra relato descriptorum, ex quibus apparet capitalia retracta ex legato antedicto in totum consistere in libris 9919. Haec autem summa in bonis plurimorum investita cognoscitur (tum ex instrumentis exhibitis, lectis et restitutis, tum ex libro reddituum ad hoc formato) quotannis praestare redditus tronorum 408.17.6, quibus a praedictis priore et vice priore ut supra expositis et ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo consideratis, ipsi prior et vice prior aliique confratres societatis sancti Ioseph seu disciplinatorum, in hoc oratorio errectae, humilime dominationem suam illustrissimam et reverendissimam supplicaverunt ut digneretur ex fructibus capitalium ut supra relictorum decernere quot missae a cappellano praedictae officiaturae, qui modo est antedictus reverendus dominus Ioseph Pasetti, vocatus ab ipsomet testatore tamquam de eius familia, celebrandae sint et assignare ex iisdem redditibus quantitatem congruentem eorum confraternitati pro paramentis, cereis aliisque quae ab hac suppeditantur pro exercenda officiatura ut supra instituta. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, auditis confratribus praelaudatae scholae, eorum supplicationi benigne annuens, viso iterum, lecto et considerato testamento quondam Dominici Pasetti, consideratis capitalibus ac horum fructibus ut |**49**| supra apparentibus, consideratis considerandis visisque videndis, omni meliori modo et cetera decrevit missas ducentas quinquaginta quot annis a cappellano iuxta intentionem testatoris antedicti celebrandas esse et fore, cum hac tamen conditione quod, si redditus ex his capitalibus vel occasione eius legati augerentur, numerus quoque missarum cum proportione augeri debeant, considerata eleaemosina ad rationem marculorum triginta pro quaque missa ac insuper assignavit quotannis confraternitati praedictae disciplinatorum huius oratorii, pro usu paramentorum aliarumque occurrentium pro ipsa officiatura, tronos triginta tres marculos decem septem cum dimidio et ita et cetera, omni et cetera. Vidit in praedicto oratorio confessionale, quod constat ex praecedentibus visitationibus positum de licentia domini archipraesbyteri quodque adhuc existere consensit admodum reverendus dominus Bernardinus Leonardus Griffi, archipraesbyter hic praesens, donec sibi vel eius successoribus placuerit. Quibus stantibus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus permisit, donec ipsiusmet domini archipraesbyteri vel successorum licentia perseveret, ut ibidem praedictum confessionale maneat nec aliter nec alio modo et ita et cetera, omni et cetera. Retro altare adest chorus, ubi confratres praedictae societatis festis diebus conveniunt ad recitandum officium beatae Virginis Mariae, in quo vidit armarium ex nuce in quo sacrae suppellectiles |**49**^{v}| neccessariae pro missae sacrificio servantur, quas ornatas et optime instructas observavit. Apud chorum praedictum est locus qui modo aedificatur pro usu sacristiae quemque confratres de omnibus neccessariis se ornaturos asseruerunt. Haec confraternitas sancti Ioseph seu disciplinatorum constat canonice errectam fuisse ex litteris patentibus visis et restitutis, sub datum Romae die 9 aprilis 1623, quibus aggregata fuit archiconfraternitati sancti Ioseph positae supra carceres Sanctorum Petri et Pauli almae Urbis praedictae. Confratres eius induunt vestes lineas cerulei coloris, cum cappuccio et sunt cincti ex fune canapis, quibus vestibus induti singula quaque dominica tertia mensis interveniunt processioni parochialis ecclesiae, associantes sanctissimum Sacramentum nec non processioni sancti Marci aliisque quae de more fieri solent. Hoc altare est privilegiatum pro confratribus in die commemorationis Defunctorum, eius octava et in sexta

feria cuiuslibet hebdomadae, ad septennium dato die 17 novembris 1742, viso in curia episcopali Veronae die 4 ianuarii 1743. Ordinata. Firmetur portatile altaris illiusque rimae obturentur – confessionali a partibus poenitentium ponantur imagines devotae. |**50**| Hisce peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad aedes parochiales antedictas rediit, quievit et incoenatus obdormivit. Die martis 30 aprilis 1743. Antedictus illustrissimus et reverendissimus antistes, post solis ortum in praefatam ecclesiam parochialem reversus inibique fusis Altissimus precibus, missam celebravit; deinde gratiarum actione peracta, visitavit totam ecclesiam, sufficientis structurae, quae non est consecrata, cum organo et campanile super muros ipsius ecclesiae cum unica campana nec non cognovit in turri, ubi campanae maiores existunt, ipsas esse benedictas et omnia bene instructa et tenta reperiit. Hisce completis, in antedictam domum parochialem reversus est, ubi una cum reverendissimo domino provicario suo generali pro tribunali sedens, coram eo vocati comparuerunt nobilis dominus comes Christophorus de Villio et dominus Nicolaus Moioli deputati aliisque ex hac communitates principaliores; et interrogati super vita, moribus et officio admodum reverendi archipraesbyteri caeterorumque sacerdotum, responderunt dominum archipraesbyterum sancte religioseque vivere, populum exemplo aedificare, pauperibus multis eleaemosinis prodesse, nulli deesse officio parochiali vel quoties opus est verbum Dei tradere vel quoties occurrit sacramenta administrare, caeteros vero sacerdotes huiusmodi parochi vestigiis inhaerere, hoc tantummodo addentes: omnia in loco isto quiete ac christiana caritate succedere, excepto tumultu qui excitatur occasione |**50**^{v}| controversiae inter scholam disciplinatorum sancti Ioseph et dominum archipraesbyterum, qui tumultus praecipue fovetur a reverendo domino Iosepho Pasetti, cappellano oratorii praedicti Sancti Ioseph ob novitates quas introducere praetendit, super quibus supplicaverunt illustrissimum et reverendissimum dominum dominum episcopum ut dignaretur suo zelo ita peragere ut tandem extinguantur, ad maiorem Dei gloriam et populi aedificationem. Successive comparuit admodum reverendus dominus Bernardinus Leonardus Griffi, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae Sancti Blasii de Rivoltella et ostendit bullas collationis huius benefitii ad sui favorem expeditas, cum mandato episcopali executivo diei 20 decembris 1721. Hoc beneficium subest ordinariae iurisdictioni illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. Admodum reverendus dominus archipraesbyter suprascriptus obtulit libros suae parochialis ecclesiae, mortuorum scilicet, matrimoniorum et baptizatorum nec non status animarum, quos bene tentos vidit. Interrogatus utrum in eius paroecia sint haeretici, de haeresi suspecti, usurarii, publici concubinarii, scandalosi et huiusmodi, respondit – summa Dei misericordia – nullum huius generis hominem adesse, sed omnes parochianos suos honeste vivere et ecclesiae praeceptis obedire. De ecclesiasticis vero interrogatus, respondit ipsos ut par est religiose vivere nihilque esse de quo conqueri possit. Subinde reverendus dominus Hermindus Fedrizzi, curatus annorum 47 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 28 ianuarii 1743. |**51**| Reverendus dominus Lazarus Capelini, sacerdos aetatis annorum 56 circiter. Reverendus dominus Theofilus Brugnoli, sacerdos aetatis annorum 50 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 26 augusti 1742. Reverendus dominus Ioseph Pasetti, sacerdos aetatis annorum 54, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 10 augusti 1742, quem illustrissimus et reverendissimus praesul monuit ut sedulam operam impendat ad hoc ut tandem controversiae ex quibus scandala oriuntur finiantur ac charitatem magis foveat quae est vinculum pacis seque praebeat potius fauctorem quietis quam dissidiorum. Reverendus dominus Ioseph Faini, sacerdos aetatis annorum 46 circiter, cum mandato ad curam animarum ad annum confirmato die 15 decembris 1742. Reverendus dominus Antonius Masotti, sacerdos aetatis annorum 41 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 14 februarii 1743. Reverendus dominus Balthassar Dusini, sacerdos aetatis annorum 35, cum mandatis suorum ordinum. Reverendus dominus Ioseph Stringari, sacerdos aetatis annorum 32 circiter, cum mandato ad curam animarum confirmato ad annum die 24 octobris 1742. Reverendus dominus Blasius Pasetti, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Ioannes Pasetti, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Hos duos postremos monuit ut frequentent congregationes |**51**^{v}| casuum conscientiae atque exercitium ex libro vulgo *Bilancia del Chiericato*. Carolus Barbieri, haeremita deputatus custodiae ecclesiae Sancti Zenonis, a quo cum postulatum esset de eius mandatis opportunis, respondit se nullum habere mandatum aut licentiam ab hac curia episcopali, eo quod crediderit satis esse si in huiusmodi statu viveret, iis munitus documentis quae ostendit. Super quibus cum redargutus esset, humilime supplicavit ut pro sua benignitate dignaretur illustrissimus et reverendissimus praesul ignoscere huiusmodi eius ommissioni, quae non ex despectu auctoritatis sui illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi sed ex eius ignorantia omnino derrivavit; quapropter supplicas addidit oravitque ut concederetur sibi opportuna licentia perseverandi in praedicto suo statu et exercendi suum ministerium et custodiam in praefato oratorio Sancti Zenonis. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et cetera,

misertus conditionis et ignorantiae praedicti Caroli Barbieri, decrevit ut relaxetur in forma et cetera petita licentia ad sex menses, cum conditione ut frequentet servitium ecclesiae parochialis, doctrinam christianam et sacramenta, de quibus, elapso eo termino, docendum erit ab illo, aliter nullo modo confirmetur praedicta licentia. Successive comparuit Paulus Sinibaldi haeremita, parvo |**52**| ab hinc tempore deputatus custodiae ecclesiae Beatae Virginis Mariae de Consolatione *della Villa* nuncupatae, infra limites huius parochialis ecclesiae, qui humilime supplicavit illustrissimum et reverendissimum dominum dominum episcopum ut sibi dignaretur licentiam concedere in ipso loco haeremiticam vitam ducere ac illud oratorium custodire. Quibus supplicationibus benigne annuens acceptisque informationibus de eius bonis vita et moribus a domino archipraesbytero, illustrissimus et reverendissimus praesul decrevit ut licentia ab eo petita concederetur ad sex menses et ita et cetera, omni et cetera. Paulo post vocatae comparuerunt: Laura relicta quondam Stephani Pasini, Catharina relicta quondam Michaelis Tellaroli, Magdalena relicta quondam Michaelis Bonardi, Sancta uxor Andreae Bonardi et Catharina uxor Iosephi Fasoli, omnes obstetrices huius loci, quae diligenter examinatae circa baptismi in casibus neccessitatis administrationem, ipsas bene edoctas esse invenit. Andriana Remondi vero et Francisca Bonati, cum essent impeditae, habitis informationibus circa illarum idoneitatem in praefato sacramento administrando, idoneas ipsas quoque esse probeque instructas compertum est. His actis, cum visitandum non supersit nisi oratorium |**52^{v}**| privatum in aedibus nobilium dominorum comitum de Tracagnis, siti intra limites huius paroeciae, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus delegavit admodum reverendum dominum Bernardinum Leonardum Griffi archipraesbyterum ad illud visitandum, mandans ut in scriptis refferat eiusdem visitationem a se executam et omnia quae ad rem istam occurrent et ita et cetera, omni et cetera [A margine: Vide visitationem ultrascripti oratorii in fine huius libri ad litteram C]. Quibus peractis, prandium sumpsit. Die antedicta 30 aprilis 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, postquam parumper quieverit, a clero et a communitate obsequii ac venerationis officiis acceptis, ad ecclesiam parochialem se se, una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus, clero praedicto, deputatis et principalioribus communitatis, contulit ibique Deo optimo maximo porrectis precibus, factis sequentibus ordinationibus servatisque pontificalibus ritibus, visitationem huius ecclesiae parochialis Rivoltellae, cleri et populi absolvit. Ordinata. Firmetur ostensorium super eius pedem – fiat novum vasculum pro oleo infirmorum loco vasculi stamnei, quod opertum sit ab operculo cum coclea – confessionalibus, ubi deest, a parte confessarii tabella casuum resservatorum ibi affigatur – a confessionalibus ipsis removeantur crates quae modo |**53**| ibi sunt novaeque ponantur spissioribus foraminibus constantes – ab altare maiori et a custodia superiori tabernaculi amoveatur reliquia sanctae Crucis, ut fuit etiam ordinatum in postrema visitatione et fiat nova custodia super gradus alterius altaris, in qua servetur ipsa reliquia – exequantur ordinata in postrema visitatione facta de novo fanali maiori comparando et de pulvinaribus decentioribus pro altari sanctissimi Corporis Christi illiusque portatile cooperiatur nova tela cerata – provideatur altare beatae Virginis Mariae a Rosario de pulvinaribus decentioribus – exequatur ordinatio visitationis 1712 de comparanda tela pro cooperiendo icone et de pulvinaribus decentioribus providendis pro altari sancti Michaelis – comparentur et apponantur ibidem vascula cum floribus – exequantur ordinationes decretae in praecedentibus visitationibus 1712 et 1732 de tela comparanda pro cooperiendo icone altaris sanctae Mariae Helisabeth, de decentioribus pulvinaribus providendis – novum palium rite instructum ante mensam ipsius altaris sanctae Mariae Helisabeth ponatur – superficies eiusdem mensae fiat plane et tela cerata nova tegatur portatile – altare beatae Mariae Virginis ad Nives provideatur de pulvinaribus variorum colorum - |**53^{v}**| in loco ubi errectum erat oratorium praedictum Sanctae Mariae ad Nives, modo destructum, erigatur columna lapidea cum cruce saltem ferrea in apice, in qua incidatur memoria demolitionis et translationis praedictae, ne locus ipse ad usum prophanum umquam convertatur, iuxta supra relatum decretum primae septembris 1713 – in libro status animarum addatur aetas parochianorum et cuique Chrismate uncto declaretur hoc sacramento munitum fuisse. Decretum. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, peracta visitatione altarium huius ecclesiae parochialis consideratisque respectivis obligationibus iisdem altaribus adnexis, mandavit et decrevit ut sacerdotes qui tenentur celebrare tot missas quot ex redditibus bonorum ibi assignatorum celebrare possunt ad rationem eleaemosinarum supra expositarum, describat manu propria in libro, in sacristia servando et postea in archivio librorum parochialium reponendo et distinctis locis per modum indicis, in quibus indicetur cuiusque obligatio, singulis annis quantitatem singulorum reddituum quos percipiuntur ex iisdem bonis ac quantitatem singulorum reddituuam quos percipiunt ex iisdem bonis ac quantitatem expensarum neccessariarum pro iisdem bonis manutenendis nec non pro gravaminibus solvendis, ita ut appareat quantum |**54**| remanet pro computando in eleaemosinis missarum ac quibus diebus, ad hoc ut cognoscatur quando et an omnino impleta fuerit ab unoque sua obligatio et ita et cetera omni et

cetera. Absoluta visitatione parochialis Rivoltellae et ex ecclesia egressus, illustrissimus et reverendissimus antistes, antequam rhedam consenderet, ab officiali cohortis equestris supra recensitae iterum, nomine illustrissimi et excellentissimi domini Vincentii Donado, Salodii provisoris et Riperiae capitanei salutatus fuit ac oblatum obsequium ipsiusmet cohortis, quae praecedente ac subsequentibus praedictis viris ecclesiasticis et principalioribus communitatis, iter incepit Desentianum versus. Dum ad fines Rivoltellae accessit, deputati ipsius communitatis, summas gratias piissimo patri ac praesuli amantissimo pro maxime eius in praedictam communitatem charitate agentes, ibidem se se detinueunt. Finibus istis transactis, obvius fuit dominus Paulus Gillio una cum aliis eius collegis, a communitate Desentiani electis ad omne obsequium praelato visitanti praestandum et ab illo brevis sed officio plena erga pastorem zelantissimum concio habita fuit; cui, cum ab isto summa humanitate ac benignitate responsum fuerit, iter suum idem illustrissimus et reverendissimus praesul prosecutus est; post milites superius recensitos, pueri adultique |**54**^{v}| plurimi praecedebant, vexilla in manibus gestantes ac bonum omen episcopo suo deprecantes; aer vocibus, laetitia et exultatione ressonabat et omnis via populo frequentissima videbatur. Post rhedam subsequebantur electi praedicti aliique multi principaliores ex hac communitate, quo honore ad portas usque Desentiani pervenit, ubi aderat clerus in ordine processionis et admodum reverendus dominus Ioannes Angeleri, archipraesbyter et vicarius foraneus, verbis humilimis ipsum episcopum suum veneratus est; interim ubique campanarum sonus audiebatur non modo ex turri huius loci, sed etiam ex campanile ecclesiae Sanctae Mariae reverendorum patrum carmelitarum, qui ante plateam eorum ecclesiae, integro religioso eorum habitu induti ac in modum rectae lineae positi et genuflexi, episcopali benedictione donati sunt. Interim clerus cum reverendo archipresbytero laudato praecedebat post populum et subsequente rheda illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad aedes domini Ioannis Baptistae Alberti sibi ab eodem domino archipraesbytero, cuius parochialis domus admodum angusta est, pervenit ibique se recepit. In aula harum aedium cleri ac communitatis officia excepit iisque consueta eius benignitate respondit. His actis, in cubiculum omni decore instructum petiit ibique post non multa mora incoenatus pernoctavit. |**55**| [A margine: DESENZANO] Die mercurii, festo sanctorum Philippi et Iacobi apostolorum, primo maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, cum deputati a spectabili communitate ac proceres eiusdem audientiam ab ipso petiissent, benigne se se praesentem illis obtulit et, facta brevi elegantique oratione a domino Petro Signori, uno ex praedictis deputatis, qua populi Desentiani et communitatis laetitiam summam de pastoris sui adventu declaravit omneque obsequium suum ac suorum humilimis verbis obtulit factoque ab eodem praesule humanissimo responsu, quo paternum amorem erga ipsos et declarabat et promittebat, accessit ad aedes praedictas, tribus scholis huius terrae cum universo clero et admodum reverendo archipraesbytero, servata forma processionis, descendit ad portam ipsarum aedium ac ibidem, super pulvinari genuflexus, crucem a domino archipraesbytero pluviali induto gestatam veneratus est et sibi porrectam deosculatus receptusque sub baldachino a deputatis principalioribus huius communitatis perlato, praecedentibus scholis et clero proceribus communitatis et populo subsequentibus ressonantibusque tubis ac tibiis ab eadem communitate ad id conductis, ad ecclesiam parochialem divertit, in cuius ianua solemnibus ritibus pontificalibus perfunctis, in ecclesiam ingressus est, populo frequentissimo refertam et ante altare maius in genuflexorio ornate sibi parato preces obtulit aeterno divinoque pontifici Iesu Christo, quibus oblatis, populo |**55**^{v}| benedicto publicataque ex eius mandato indulgentia, ad thronum ascendit ibique, assistentibus in dalmaticis reverendis dominis Hieronymo Usmerino et Ioanne Maria Mabellini sacerdotibus ressidentibus, sacris paramentis indutus, praecedente clero, ab eo descensus ad suggestum se transtulit, ubi omeliam populo dixit, qua eius erga illum charitatem amantissimis verbis ostendit ipsumque gravissimis argumentis monuit ut festos dies religiose colleret et christianam doctrinam ediscerent suasitque tum patribus familias tum ecclesiasticis viris ut in hoc opus enixe eorum exemplo et solertia incumberent. Absoluta omelia, iterum ad altare maius contendit ibique depositis paramentis congruentibus festo huius diei acceptisque aliis violaceis, pro defunctis oravit et successive cum clero et scholis praedictis adiit coemeterium, quod etiam visitavit, ubi exequias pro defunctis persolvit. In ecclesiam reversus ac reassumptis paramentis albis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, positum in tabernaculo mobili ligneo in altari maiori, quo ex proprio altari et cappella ubi asservatur, occasione huius visitationis, translatum fuit viditque ipsum clausum in duabus pixidibus, una maiori et altera minori, quarum primae cupa et pes sunt argentei, operculum autem cupreo; secunda vero tota est cuprea inaurata intus et foris. |**56**| Vidit quoque amigdalam argenteam intus inauratam et patenam qua utuntur in communione et cognovit renovari hoc Sacramentum statuto tempore; ministrari frequenter populo; in Paschate distribui schedas et colligi omnesque parochianos qui sub hac cura comunione capaces sunt 2408, in totum vero 3463, non compraehensis ecclesiasticis, praecepto ecclesiae in Paschate obedire, duobus exceptis, de quibus aliae

informationes excipiuntur et exceptis confratribus societatis sancti Ioannis decolati, de quibus infra dicetur; ad infirmos solitis campanarum signis datis cum publicatione indulgentiarum plurimis ex clero et populo convenientibus ad illud prosequendum deferri societatemque ipsiusmet Sacramenti praestare suppellectiles quae ad eiusdem decorem pertinent; processionem quoque cum ipso in die Corporis Christi solemni ritu fieri; expositionem eius in ostensorio argenteo radiato affabre instructo dominica quaque prima mensis fieri post missam solemnem et eo tempore processionem in qua interveniunt praedictae tres scholae, clerus et populus, quaque absoluta, expositum remanet ipsum Sacramentum post vesperas usque, interim illum adorantibus clero, populo et confratribus scholarum, quibus respective assignatur locus et tempus pro huiusmodi adoratione. Hisce observatis, ex altari descensus hymnoque decantato, |**56**ᵛ| thuris honorem illi adhibuit ac postea eodem sanctissimo Sacramento populo benedixit. Quo facto, illud etiam populo distribuit ac deinde missam celebravit, qua peracta iterum divino eo Pane petentes refecit. Actis demum Deo gratiis, eodem ordine quo venit ad ecclesiam in praedictas aedes se recepit ibique paululum quievit et prandium sumpsit. Die antedicta prima maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, ordine supra descripto, ad antedictam ecclesiam parochialem se contulit ubi, consuetis campanarum signis datis, schola universa doctrinae christianae masculorum tantummodo convocata et congregata aderat et ibidem divino ecclesiastico Pane adorato, classes ipsius scholae per amplam hanc ecclesiam dispositas, quae vix ad hoc sufficere videbatur, solerter pieque perlustravit interrogando ac interrogare faciendo pueros et adultos circa res fidei ac praecepta divinae legis; non mediocri animi sui laetitia cognovit universim illos calere doctrina christiana ac peritioribus in ea praemia, a venerabili domino Iosepho Pace priore et a venerabilibus officialibus ipsius scholae comparata, distribuit. Dimissis discipulis, praedictum dominum priorem et dominos officiales ac magistros et in primis ecclesiasticos ad se vocavit, a quibus exhibitis libris scholae huiusmodi compertus est ordinem satis congruum ad profectum huius piae operae nec non frequentiam |**57**| operariorum ac, repetens quae in omelia praedicavit aliaque argumenta adiungens, hortatus est omnes ut ad reni istam piissimam ac praeclaram operam darent eamque omnibus et praecipue admodum reverendi archipraesbyteri et vicarii foranei curae comendavit. His actis, sedens in throno suo, iussit per me notarium publicari aedictum sequentis tenoris, videlicet: Noi, Giovanni Bragadino, per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera e della santità di nostro signor papa prelato domestico et assistente et cetera. L'effetto principale delle visite pastorali secondo l'intentione de sacri canoni essendo l'estirpare gl'abusi che si oppongono contro la legge santa di Dio e la disciplina della Chiesa, non potiamo noi sotto silenzio passare senza correggere que' disordini i quali si oppongono alle sacrosante instituzioni con tanta prudenza e direzione dello Spirito Santo formate dalla Chiesa medesima. Quindi è che, avendo noi per mezzo de sincere informationi penetrato che in questa parochia tal'ora si congiungano in matrimonio persone che non sono bene informate della dottrina cristiana ed altre pretendano di celebrare i loro matrimoni nelle proprie loro case senza licenza nostra e di esser benedette, dopo il loro parto, parimente nelle loro case, contro quello che è stato prescritto da sacri riti: perciò, col tenor delle presenti, che doveranno anco essere affisse alla porta |**57**ᵛ| della sacristia in questa parochiale, ordiniamo e comandiamo, in virtù di santa obedienza e sotto le pene a nostro arbitrio al molto reverendo signor don Giovanni Angeleri, arciprete di questa chiesa parochiale di Desenzano et a suoi successori, come pure a reverendi curati che lui medesimo o di lui successori coadiuveranno, che non ardiscano di assistere a matrimoni se prima non saranno certi o non averanno interrogati li contraenti sopra la loro abilità nella dottrina cristiana e molto meno nelle private case di questi senza licenza nostra o del vicario nostro generale, come pure non facciano alcuna benedizione alle donne doppo il parto nelle private case delle medesime, ma siano circa ciò osservati i sacri ritti, sotto le pene come avanti e così et cetera, in fede et cetera. Datum dalla nostra visita pastorale in Desenzano il dì primo maggio 1743. Giovanni vescovo di Verona et cetera. Giuseppe Bovio, nodaro della visita pastorale. Quo a me notario publicato alta et intelligibili voce, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus accessit ad visitanda olea sancta, in capsula nucea servata in loculo ad id parato in parte evangelii altaris maioris, sub sera et clavi. Vidit vascula stamnea in praedicta capsula sub sera et clavi, quae mittuntur Veronam ad accipienda eadem |**58**| olea sancta ex cathedrali, rite facta; vidit quoque vascula olei infirmorum, quorum alterum est argenteum, alterum stamneum nec non vascula olei cathecumenorum et chrismatis argentea, bene clausa et custodita. Visitavit subinde fontem baptismalem prope ianuam maiorem ecclesiae constructum, cancellis ferreis clausum et bene tentum. Vidit quoque octo confessionalia pro excipiendis christifidelium sacramentalibus confessionibus in ecclesia disposita. Visitavit subinde altare maius, quod est manutentum, cum duabus mensis utrisque cum portatili, quarum altera est versus populum altera versus chorum. Super ipsum altare errectum est tabernaculum, magnifica structura ex marmore constructum, ubi olim

augustissimum Eucharistiae sacramentum asservabatur, quod modo in suo altari et cappella, de qua infra dicetur, custoditur Huic altari, antequam cappella et altare infrascriptum errigetur, pro augustissimo Sacramento duae erant adnexae cappellaniae, quarum prior est beneficium ecclesiasticum, altera manualis officiatura, de quibus infra. In hoc altari frequenter dominus archipraesbyter celebrat et singulis diebus festis pro populo missam applicat. Visitavit chorum retro altare maius, suis exedris instructum omnique ornamento compositum, in quo quotidie |**58**^{v}| conveniunt, una cum reverendo domino archipraesbytero, reverendi ressidentes ad horas canonicas persolvendas. Vidit quoque in praedicto choro armarium ex nuce, in quo libri chorales asservantur. Visitavit etiam sacristiam et in ea vasa sacra et paramenta (prout descripta sunt in policea in fine huius libri ad litteram D posita) exhibita a reverendo domino Antonio Alberti, sacrista huius parochialis ecclesiae, quae omnia sunt de ratione huius ommunitatis, et ab eadem manutenentur. Et cum advesperasset, ad antedictas aedes illustrissimus et revrendissimus praesul se restituit et incoenatus pernoctavit. Die iovis 2 mensis maii 1743. Facto mane, omnibus dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictam parochialem ecclesiam adivit inibique pie peracta praeparatione, sacrosanctum missae sacrifitium celebravit ac deinde quamplures utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit ac frequentem populum sacro Chrismate delinivit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis ad visitandam infrascripta oratoria se contulit. [A margine: San Vigilio] Et primum visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Vigilii, intra limites parochialis Desentiani, de ratione nobilis domini comitis Laurentii Angeli de Villio, unicum habens altare cum mensa ex muro constructa cum portatili et icone depicto ab equite Celesti, in quo rappresentantur imagines beatae Virginis Mariae a Rosario, sancti |**59**| Vigilii aliorumque sanctorum. Vidit in ipso altari sacras reliquias sanctorum Christi martirum Bonifacii et Caelestini, in arca lignea inaurata cum crystallis, suis sigillis et documentis munitas, alias recognitas in postrema visitatione sub die 3 maii 1732, quas ideo publico cultu proponendas reliquit. Nulla inibi adest obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit sacristiam in cornu evangelii constructam et in ea armarium ligneum, in quo asservantur paramenta aliaque neccessaria pro sacro faciendo, quae itidem visitavit et de quibus sufficienter esse provisum invenit. Ordinata. Provideatur de tabellis. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Francesco Saverio] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Francisci Xaverii, infra limites parochialis Desentiani, de ratione nobilium dominorum comitum Xaverii, Camilli et Iosephi fratrum de Villio quondam nobilis domini Christophori, in quo unicum adest altare cum mensa marmorea, palio ex serico habetque portatile et iconem depictum ab equite Celesti. Vidit in eo quasdam sacras reliquias publice expositas, in arcula lignea inaurata crystallis munita custoditas suisque documentis – ut fuit assertum – fulcitas. Nulla huic altari adnexa est obligatio missarum, sed in |**59**^{v}| eo celebratur ex devotione. Visitavit sacristiam praedicto oratorio adnexam et in ea sacras suppellectiles pro sacro faciendo neccessaria et de quibus bene instructam et provisam invenit. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Lorenzo] Visitavit oratorium Sancti Laurentii, infra limites parochialis praedictae Desentiani, de ratione familiae Zinelli, in quo unicum errectum est altare cum mensa marmorea, palio ligneo cum portatili et icone depicto super asseras. In hoc altari est onus tot missarum quot celebrari possunt pro redditu scutorum quinque de libris septem pro quoque, habita ratione eleaemosinae manualis iuxta morem huius loci, quod onus adimpletur a reverendo domino Ioanne Baptista Christofolini. Piam institutionem patronus huius oratorii, quam expressit occasione postremae visitationis, executus est reaedificando ipsum oratorium et in formam decentem reducendo; sacristiam tamen nondum construxit, sed quantocitius ipsam costructurum promisit. Vidit paramenta retro altare, in loco ad formam chori constructo exposita, quae servantur in armario in ipsomet oratorio posito, satis decenter provisum. Quibus habitis et cetera. Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Bernardini, intra fines parochialis Desentiani errectum anno 1458, |**60**| [a margine: San Bernardino] ut apparet ex inscriptione lapidea eiusdem temporis posita super portam ipsius oratorii et ex imaginibus sanctorum depictis super murum circa altare, quae rappesentant formam pingendi eius temporis. Oratorium hoc est de ratione domini Alexandri Segala, civis salodiensis; habet unicum altare cum mensa lapidea super murum constructa, cum palio ex corio inaurato et icone depicto, in quo praeter imaginem sancti Bernardini rappresentatur imago beatae Virginis Mariae cum puero Iesu. Nulla adest inibi obligatio missarum, sed tantum in eo celebratur ex devotione. Vidit sacristiam, in cornu evangelii huius oratorii extructam et in ea armarium ex nuce, ubi asservantur paramenta omnium colorum, duo calices, unum argenteum alterum in cupa tantum, cum suis patenis, quarum altera est argentea, altera cuprea et missalia fibulis argenteis ornata, quae omnia vidit et summa liberalitate patroni composita riteque instructa cognovit. Vidit confessionale mobile, de licentia domini archipraesbyteri in hac ecclesia tentum. Vidit etiam imaginem beatae Virginis Mariae, peculiari cultu custoditam. Ordinata. Confessionali apponatur pagella casuum resservatorum ex parte confessarii. Quibus habitis et cetera. |**60**^{v}| [A margine: San Rocco] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sancti

Rocchi, de ratione domini Iulii Segala de Desentiano, a quo manutenetur et est situm intra limites Desentiani praedicti. Unicum habet altare, cum mensa marmorea super murum constructa, portatili et palio ex corio. Hoc altare est positum in medio cappellae eiusdem oratorii et retro ipsum altare est icon depictus cum imagine sancti Rocchi et aliorum sanctorum. Retro altare est armarium in quo servantur paramenta, quae vidit et visitavit. Observavit restauratum adhuc non fuisse tectum, fenestras speris munitas non esse, ianuam non reparatam, vascula cum floribus non comparata, quae omnia ordinata fuerunt in postrema visitatione anni 1732. Nulla in hoc oratorio habetur obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Ordinata. Provideatur altare de pulvinaribus decentioribus – termino quatuor mensium tectum restauretur, fenestrae speris muniantur, ianua reparetur et provideantur vascula cum floribus, aliter suspenditur, prout nunc pro tunc oratorium hoc suspensum esse decleravit. Quibus habitis et cetera. |**61**| [A margine: Oratorio privato Pace] Visitavit oratorium intra privatas aedes nobilium dominorum Ioannis et Pauli fratrum Pace, errectum vigore brevis apostolici diei 24 aprilis 1723 a curia episcopali, die 20 septembris 1724 approbatum. Vidit in hoc oratorio altare marmoreum in mensa super murum constructa cum portatili et icone depicto, ubi privatae venerationi eiusdem nobilis familiae exponuntur sacrae reliquiae sanctorum Christi martirum Ioannis et Pauli, litteris et sigillo munitae, in parva theca argentea dupplici crystallo custodita et bene tenta. Visitavit quoque paramenta, vasa sacra aliaque pro sacro faciendo neccessaria, de quibus bene provisum esse invenit. Quibus habitis et cetera. [A margine: san Carlo] Visitavit deinde publicum oratorium sub titulo Sancti Caroli, infra limites parochialis Desentiani, de ratione nobilis domini Ioannis Baptistae Alberti, supra cuius portam a parte interiori sequens est inscriptio: “D. O. M. Deiparae Carmelitarum Matri divisque Carolo Borromeo ac Theresiae a Iesu umile sacellum, quod corosum aevo Andreas Alberti pater restauraverat, Ioannes Baptista filius ad praesentem formam redactum anno salutis DDC – 1738”. Hoc sacellum est antiquius alio oratorio huic proximo, |**61**^{v}| eidem divo Carolo dicatum habetque unum altare cum mensa lignea super murum constructa et palio itidem ligneo, cum portatili. Retro ipsum altare in prospectu cappellae est imago lignea sculpta sub crystallis beatae Virgine Mariae a Carmelo; a parte dextera ipsius est effigies depicta sancti Caroli, a sinistra illa sanctae Theresiae a Iesu. Oratorium hoc est eleganti forma restauratum et constructum nihilque deest altari quod eius ornamento requiratur. Adest sacristia a parte epistolae, ubi visitavit paramenta neccessaria ad sacrum faciendum, in armario ligneo servata. Vidit reliquiam de velo beatae Virginis Mariae, quae exponitur die festo beatae Virginis a Carmelo et etiam in die sancti Caroli, in theca crystallina repositam sigilloque munitam, cuius litteras autenticas extare asseruerunt. Nulla inibi adest obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Ordinata. Provideatur portatile de tela cerata qua cooperiatur – de pulvinaribus decentioribus – de paramento nigri coloris – missali addantur novissimae sanctorum missae – de bireto sacerdotali – appendatur in sacristia situla habens fistulam ad modum |**62**| galli gallinaces ad abluendas manus, cum suo manutergio – in sacristia et in ecclesia fenestris apponantur retia ferrea et fenestris quoque in prospectu ecclesiae ponantur sperae vitreae. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Carlo] Visitavit demum publicum oratorium sub titulo Sancti Caroli infra limites parochialis Desentiani, de ratione domini Pauli et reverendi domini Ioannis Baptistae fratrum Giglio de Desentiano, quod unicum habet altare cum mensa lignea super murum, cum portatili, palio ex corio et icone depicto. Hoc oratorium fuit errectum anno 1708, ut patet ex inscriptione supra portam ipsius oratorii, in quo nulla est obligatio missarum, sed tantum ex devotione in eo celebratur. Adest sacristia in cornu epistolae constructa, in qua vidit sacra paramenta aliaque neccessaria pro celebratione missae, in armario ligneo decenter servata et de quibus bene provisum esse reperiit. Quibus peractis, ad ecclesiam parochialem antedictam se restituit. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, iam defatigatus, ad aedes saepedictas restitutus prandium sumpsit et quievit. Die antedicta 2 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes cum reverendissimo domino suo provicario generali in aedibus antedictis pro tribunali sedit et coram eo vocati comparuerunt: |**62**^{v}| reverendus dominus Augustinus Pasini, sacerdos annorum 64, rector perpetui beneficii ecclesiastici sub titulo Sanctissimae Trinitatis in hac ecclesia parochiali, cum bullis episcopalibus diei 26 martii 1698. Reverendus dominus Bernardinus Andreis, sacerdos annorum 66, rector perpetui beneficii ecclesiastici sub titulo sancti Nicolai de Tolentino Moroni nuncupati, cum bullis episcopalibus diei 23 ianuarii 1706. Reverendus dominus Antonius Bettinelli, sacerdos annorum 59, rector perpetui beneficii ecclesiastici sub titulo sanctissimi Corporis Christi, cum bullis episcopalibus diei 15 octobris 1707. Reverendus dominus Ioannes Amadori, sacerdos annorum 76, rector perpetui beneficii ecclesiastici sub titulo sancti Augustini, cum litteris episcopalibus diei 11 februarii 1721. Reverendus dominus Hieronymus Usmerini, sacerdos annorum 43, rector cappellaniae perpetuae sub titulo Charitatis, cum bullis episcopalibus diei 30 novembris 1726. Reverendus dominus Ioannes Maria Mabellini, sacerdos annorum 36, rector capellaniae sanctissimi Rosarii, cum bullis episcopalibus diei 29 octobris 1731 et cum

mandato pro cura animarum, ad annum confirmato diei 12 aprilis 1742. Reverendus dominus Bartholomaeus Angeleri, sacerdos curatus annorum 36, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 19 ianuarii 1743. Reverendus dominus Franciscus Mabellini, sacerdos curatus annorum 30, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato |**63**| die 23 octobris 1742. Reverendus dominus Petrus Rilosi, sacerdos annorum 73 circiter. Reverendus dominus Bonaventura Christofolini, sacerdos annorum 45. Reverendus dominus Paulus Giraldi, sacerdos annorum 60. Reverendus dominus Iacobus Porcelli, sacerdos annorum 62 circiter. Reverendus dominus Ioseph Rosmarini, sacerdos annorum 32, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 20 augusti 1742. Reverendus dominus Angelus Bochio, sacerdos annorum 41 circiter. Reverendus dominus Petrus Rambotti, sacerdos annorum 54 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 22 septembris 1742. Reverendus dominus Fabricius Pasini, sacerdos annorum 62, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 20 augusti 1742. Reverendus dominus Ionnes Baptista Giglio, sacerdos annorum 47 cum mandato pro cura animarum, ad annum prorogato die 20 iulii 1742, sed non confirmandum nisi subiaceat novo examini. *Reverendus dominus Petrus Rainer, sacerdos annorum 32; reverendus dominus Iulius Leoni sacerdos annorum 38*, hi duo canonice admoniti fuerunt eisdemque suspensa facultate audiendi sacramentales confessiones, ut ex actis huius officii criminalibus et cetera. Reverendus dominus Iacobus Baietti, sacerdos annorum 39, qui pariter fuit canonice admonitus ut ex actis supradictis. Reverendus dominus Ioannes Baptista Signori, sacerdos annorum 60 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 22 augusti 1742. |**63**^{v}| Reverendus dominus Ioannes Pace, sacerdos annorum 65 circiter. Reverendus dominus Ioseph Alberti, sacerdos annorum 57 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 18 ianuarii 1743. Reverendus dominus Franciscus Gamba, sacerdos annorum 53 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 8 ianuarii 17 43. Reverendus dominus Antonius Moioli, sacerdos annorum 62 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 16 augusti 1742. Reverendus dominus Marcus Usachini, sacerdos annorum 47. Reverendus dominus Bartholomaeus Usmarini, sacerdos annorum 38. Reverendus dominus Antonius Porcelli, sacerdos annorum 60 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 21 martii 1743. Reverendus dominus Bernardinus Mineli, sacerdos annorum 43. Reverendus dominus Angelus Gallina, sacerdos annorum 40. Reverendus dominus Ioannes Maria Gallina, sacerdos annorum 38, quem approbavit pro cura animarm huius loci, ad annum exercenda. Reverendus dominus Paulus Bonati, sacerdos annorum 34 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 28 septembris 1742. Reverendus dominus Bonibellus Porcelli, sacerdos annorum 43. Reverendus dominus Michael Franzoni, sacerdos annorum 32. |**64**| Reverendus dominus Antonius Andreis, sacerdos annorum 30 circiter. Reverendus dominus Vincentius Gialdi, sacerdos annorum 29. Reverendus dominus Ioseph Papa ,sacerdos annorum 43 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 31 maii 1742. Reverendus dominus Faustinus Lamberti, sacerdos annorum 43. Reverendus dominus Aloysius Andreis, sacerdos annorum 28 circiter. Reverendus dominus Ioannes Manganoni, sacerdos annorum 25. Reverendus dominus Petrus Galli, sacerdos annorum 25. Reverendus dominus Ioannes Baptista Cristofolini, sacerdos annorum 23. Reverendus dominus Constantinus Pateri, sacerdos annorum 58 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 8 augusti 1742. Reverendus dominus Antonius Alberti, sacerdos annorum 62. Reverendus dominus Franciscus Betti, sacerdos de Castiliono diaecesis brixiensis annorun 38 cum dimissorialibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii et mandato ad missas ad sex menses. Reverendus dominus Bartholomaeus Barboglio, sacerdos de Sabio diaecesis brixiensis annorum 30, cum dimissorialibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii et mandato ad missas ad sex menses. Reverendus dominus Antonius Fedricci, sacerdos de Degana diaecesis brixiensis annorum 40, cum dimissorialibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii et mandato ad missas ad sex menses. Clericus Andreas Manerba, diaconus annorum 22. Clericus Ioseph Mabellini, subdiaconus annorum 22. |**64**^{v}| Clericus Bartholomaeus Rosmarini, in minoribus constitutus annorum 20. *Ioannes Maria Marchioni annorum 20, Philippus Invernini annorum 18, Paulus Leoni annorum 19, Antonius Pezzotti annorum 18* omnes habitum clericalem gestantes. Qui omnes illustrissimum et reverendissimum praesulem devenerati sunt et ab eo dimissi. Idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in proprio cubiculo se recepit, quieti se tradidit, et incoenatus pernoctavit. Die veneris, festo Inventionis sanctae Crucis, 3 maii 1743. Ecclesiam parochialem antedictam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, orto sole, adivit et in ea adorato sanctissimo Sacramento, pontificalibus indutus, solitis adhibitis ritibus et caeremoniis a Pontificali Romano traditis, infrascriptos clericos de legitimo matrimonio natos, in aetate debita constitutos et quoad litterarum scientiam, morum honestatem, aliaque de iure requisita per diligens examen habiles et idoneos repertos servatisque aliis servandis, prima clericali tonsura insignivit, videlicet: Antonium Pezzotti filium domini Ioannis, Paulum Leoni filium excellentissimi domini Laurentii, Ioannem Mariam Macchioni

filium domini Antonii, Philippum Invernicci filium domini Ioannis Baptistae, |**65**| Vincentium Gamba filium quondam excellentissimi domini Prudentii, omnes de Desentiano. Hisce peractis, sacris paramentis indutus sacrosanctum missae sacrificium Deo obtulit plurimisque utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum praebuit ac supra biscentum in Christi milites Confirmationis sacramento roboravit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria infrascripta, scilicet: [A margine: Sant'Anna] oratorium publicum sub titulo Sanctorum Annae et Caroli, de ratione reverendi domini Iosephi, sacrae theologiae doctoris et fratrum Rosmerini, infra limites Desentiani in loco *Belvedere* nuncupatum errectum. Unicum hoc oratorium habet altare marmoreum cum portatili et icone depicto, quod oratorium et altare ornatissime constructum et paratum conspexit nihilque illi deest quod religioso cultui et eius ornamento conducat. In hoc altari extat custodia marmorea, in qua sub sera et clavi custodiuntur reliquiae ex sacris ossibus sanctorum Annae et Caroli, in theca argentea repositae, litteris et sigillo munitae, quas veneratus recognovit. Vidit quoque in eadem custodia sacram reliquiam ex ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in parva cruce crystallina clausam suisque sigillo et autenticis litteris munitam, quam |**65**^{v}| adoratus approbavit. Nulla in hoc oratorio adest obligatio missarum, sed tantum in eo celebratur ex devotione. Vidit sacristiam, prope altare in cornu epistolae errectam et in ea sacras suppellectiles, de quibus optime provisum esse invenit. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria del Rosario] Visitavit deinde publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Rosario, de ratione dominorum reverendorum Petri et fratrum Pilosi, intra limites parochialis ecclesiae Desentiani errectum, cum unico altari ligneo cum portatili et icone depicto. Vidit sacristiam inibi annexam et in ea sacra paramenta aliaque neccessaria pro sacro faciendo, de quibus sufficienter esse provisum reperiit. Nulla hic adest obligatio missarum, sed tantummodo celebratur in eo ex devotione. Ordinata. Fiat paramentum violacei coloris – in sacristia appendatur situla habens fistulam ad formam galli gallinacei ad abluendas manus, cum suo manutergio. Hisce peractis, ad ecclesiam parochialem se restituit, in qua visitavit altare sancti Augustini, marmoreum cum palio ex serico et auro cum portatili et icone depicto ab excellenti pictore, de ratione spectabilis communitatis, a qua manutenetur. |**66**| In hoc altari est beneficium simplex, cuius est rector reverendus dominus Ioannes Amadorius, cum bullis episcopalibus ut ante exhibitis, praesentatus ab hac communitate et, praeter missam quotidianam, rector huius beneficii habet onus ressidentiae. Olim redditus huius beneficii erat librarum 620, nunc vero, cum redditus ipsi diminuti sint eo quod capitalia minus reddant – ut apparet ex libro exactionis exhibito, viso et restituto – et exigantur modo tantummodo librae 417.14 ideoque praedictus rector humilime postulavit ut decernatur tot missas celebrandas iuxta redditum, servata eleaemosina manuali triginta solidorum pro quaque missa et ita et cetera. Qua instantia audita, reverendissimus dominus provicarius generalis decrevit tot missas celebrandas quot celebrari poterunt iuxta redditum, habita ratione eleaemosinae manualis triginta marculorum et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit successive altare sanctorum Vincentii, Benigni et Anastasii seu a Charitate, cum mensa marmorea quae est consecrata, in reliquis ex ligno inaurato consurgit, de ratione venerabilis societatis eiusdem Charitatis, a qua manutenetur, quae iam canonice fuit instituta, prout ex visitatione anni 1732 colligitur. Huic altari adest simplex beneficium, cum onere missae quotidianae et ressidentiae, prout ex bullis episcopalibus a reverendo domino Hieronymo Rosmerini rectore supra productis, |**66**^{v}| quod habet redditum librarum 620; praesentatur rector alternatim a communitate et a societate Charitatis. Praeter hanc alia adest officiatura quotidiana ex legato quondam Alexandri Pagazzani, pro qua celebrant duo cappellani amovibiles utrique pro medietate, scilicet reverendus dominus Ioseph Rosmerini et reverendus dominus Franciscus Mabellini, electi a commissariis praedictae piae dispositionis, qui modo sunt praedictus reverendus dominus Ioseph Rosmerini, dominus Ioannes Baptista Alberti et dominus Augustinus Mabellinus, qui iure praelationis quoad ipsam officiaturam potiuntur ex disponentis voluntate, a quo vocati sunt propinquiores suae cognitionis et maiores natu, a quibus satisfit. In eodem altari extant reliquiae sanctorum Christi martyrum Vincentii, Benigni et Anastasii, in tribus capsulis custoditae, quae ad modum arcae ligneae deauratae constructae sunt, cum suis crystallis antepositis et sigillis communitatis quas, inhaerendo suorum praedecessorum decretis, in sua veneratione reliquit, prout in eadem veneratione reliquit reliquiam sancti Vincentii positam in ostensorio argenteo cum crystallis, in custodia lignea super mensam altaris servatam. Claves praedictarum reliquiarum detinentur et custodiuntur una a priore societatis, altera a domino archipraesbytero, tertia a rectore huius beneficii; clavis vero custodiae supra mensam a praedicto rectore servatur. |**67**| Visitavit cappellam et altare sanctissimi Corporis Christi, quae et quod constructum fuit anno 1739 a pietate et liberalitate domini Petri Panizza, ad praesens prioris societatis eiusdem sanctissimi Corporis Christi, ornata ac magnifica forma, tum cappella tum altare, quod est marmoreum cum portatili, conspicitur errectum, supra quod adest tabernaculum marmoreum rite instructum, ubi continuo sanctissimum Eucharistiae sacramentum asservatur. Huic altari,

postquam huc translatum est idem Sacramentum, duae officiaturae sunt adnexae: altera beneficium simplex cum bullis episcopalibus, cuius est rector reverendus dominus Antonius Bettinelli, cum onere missae quotidianae et ressidentiae, pro quo habet redditum librarum 620 et praesentatur alternatim a spectabili communitate et a venerabili societate sanctissimi Corporis Christi; altara est officiatura Forlana. Reverendi domini Ioannes Amadori, Paulus Gialdi et Ioseph Alexander Rosmarini, sacerdotes agentes uti commissarii legati relicti a quondam domino Narciso de Zoppis dicto Forlano, huius loci, in eius testamento diei 24 augusti 1627 in actis domini Francisci Cattanei notarii huius loci, exposuerunt relictum fuisse redditum librarum ducentum viginti parvulorum, ad hoc ut quotidie et in perpetuum usque in infinitum per sacerdotem amovibilem, ab ipsis eligendum et amovendum, pro animabus ipsius testatoris, eius patris et matris, uxoris et sororum |**67**^{v}| quotidiana missa ad altare sanctissimi Corporis Christi huius ecclesiae parochialis celebraretur, cum facultate ipsis commissariis tributa, quatenus redditus ille non sufficeret ad onus impositum implendum, augendi ex eius bonis capitale et fructus, donec sufficiant ad ipsam missam quotidianam celebrari faciendam et ut in ipso testamento, ad quod et cetera. Anno 1638 die 29 decembris extracta fuere ab hereditate praedicti testatoris bona in tanta quantitate ex quibus percipi possent librae 220 parvulae, ut constat ex mandato tenutae diei eiusdem descripto in actis praedicti domini Francisci Cattaneo notarii, quorum bonorum valor extimatus fuit libras 5218.6. Nunc vero constat summa capitalium subiectorum huic piae dispositioni ascendere ad libras 6646.18, prout apparet ex descriptione ipsorum capitalium facta sub die 2 currentis in actis domini Bartholomaei Christofoletti, notarii huius loci ideoque auctam esse anteriorem summam librarum 5218.6 in libris 428.11, quod fortasse accidit ex aliquo aumento facto ex haereditate iuxta intentionem super expositam testatoris, ex qua summa librarum 6646.18 ex praedicta descriptione capitalium ressultat redditus librarum 252.1.6, qui redditus cum non sufficiant ad implendum onus impositum missae quotidianae, supradicti domini commissarii humilime supplicaverunt illustrissimum et |**68**| reverendissimum dominus dominus episcopum ut dignaretur illud redducere cum proportione eleaemosinae manualis iuxta morem regionis, decernendo insuper ut, cum sanctissimi Christi Corpus ex altari maiori ad altare et cappellam recenter constructum translatum fuerit, transferatur quoque obligatio huiusmodi officiaturae et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, intellecta suprascripta instantia visisque super laudato testamento nec non mandato tenutae et extractionis bonorum ad summam librarum 5218.6, visa etiam et considerata descriptione capitalium nunc existentium eorumque redditu visisque videndis et consideratis considerandis, auctoritate sua et omni alio meliori modo et cetera, onus impositum in recensito testamento reduxit et reductum declaravit ad missas quotannis celebrandas centum sexaginta octo, habita ratione eleaemosinae triginta marculorum pro quaque, dispertiendas ita ut in singulis hebdomadibus tres celebrentur; quae vero supererunt intra hebdomadam post diem Comemorationis Mortuorum et sequentibus diebus usque ad earum complementum, cum conditione tamen quod, si aliquando quacumque de causa redditus huius officiaturae augeretur, augeatur quoque numerus ipse missarum, habita ratione eleaemosinae manuali antedictae. Et insuper decrevit ut huiusmodi officiatura adimpleatur in altari sanctissimi |**68**^{v}| Corporis Christi recenter constructo et ita et cetera, omni et cetera. Huic altari adest societas Corporis Christi, canonice – ut asseritur – errecta, quae providet de suppellectilibus quae descriptae sunt in policea exhibita et in fine huius libri posita sub littera D. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, quod providetur a societate eiusdem Rosarii, quae canonice errecta fuit anno 1646 – ut assertum fuit – a nobili domino comite Christoforo de Vilio, eiusdem societatis priore. Hoc altare est consecratum, cuius gradus, columnae et reliquae partes ligneae sunt auratae; in medio altaris ressidet imago beatae Virginis Mariae a Rosario, ex ligno sculpta sub crystallis, circum quam depicta sunt misteria eiusdem Rosarii; omni ornamento et suppellectili neccessaria magnifice instructum est. Eidem adest beneficium simplex, cum bullis episcopalibus et cum onere missae quotidianae et ressidentiae, cuius rector ad praesens est reverendus dominus Ioannes Maria Mabellini et ex eodem beneficio percipit libras 620; eligitur autem et praesentatur alternatim a communitate et a societate. Adest etiam alia officiatura, a quondam nobili domino Hortensio Vilio instituta, quae habet redditus librarum 500, cum onere missae quotidianae hoc ordine celebrandae quotidie, scilicet: in hoc altari, feria secunda in altari sanctorum martyrum Vincentii, Benigni et Anastasii, feria quinta in altari |**69**| sanctae Catherinae martyris et cappellani eliguntur amovibiliter a maiori natu nobilis familiae de Vilio; ad praesens duo cappellani ita electi hoc onus adimplent utrique pro medietate, quorum alter est reverendus dominus Bonaventura Cristofolini, alter reverendus dominus Michael Franzoni. Societas ex eleaemosinis in hoc ipso altari celebrare facit ex eius consuetudine aliquas alias missas, quae celebrantur a reverendo domino Angelo Bochio, a quo etiam recitatur rosarium in vesperis cuiusque diei et in sabbathis litaniae beatae Virginis Mariae. Supra gradus huius altaris in custodia lignea vidit thecam argenteam cum crystallis ab utraque parte, positam in ostensorio argenteo, in qua reliquiam ex velo beatae Virginis Mariae,

cum suis sigillo et litteris autenticis in hac curia episcopali approbatis die 16 maii 1733, recognovit et deveneratus est. Clavis huius custodiae servatur a reverendo rectore huius beneficii. Altare sancti Nicolai de Tolentino, ex gypso eleganter constructum et elaboratum omnique re neccessaria ad sacrificium instructum, de ratione communitatis, a qua manutenetur; habet portatile et supra gradus in arca cum crystallis antepositis est imago lignea sculpta, quae reppresentat Iesum Christum mortuum; supra ipsam arcam est icon excellenti pictura depictus, in quo rappresentatur, praeter imaginem sancti Nicolai, |**69**^{v}| imagines sanctorum Petri et Andreae et supra imago aeterni Patris. In hoc altari quatuor sunt officiaturae, quarum prima est beneficium simplex cum bullis episcopalibus, de iure patronatus communitatis, cum onere – ut assertum est – missarum 147 et ressidentiae, pro qua officiatura percipit redditum librarum parvularum 258.11, cuius rector est Bernardinus Andreis. Secunda officiatura est manualis, instituta ex legato quondam Christofori Bozi habetque redditus librarum 504, cum onere missae quotidianae; ad praesens cappellanus est reverendus dominus Franciscus Betti, vocatus ab institutore et in casu quo ex familia Betti nulli sint sacerdotes, eligetur cappellanus a communitate. Tertia officiatura institutta est ex legato quondam Benedicti Fustinelli habetque redditus ad praesens librarum 251.12, qui diminuti apparent a redditibus anterioribus ob bona duobus ab hinc annis subastata Venetiis et ob capitale passivum afrancatum, quod bona obnoxia officiaturae solvere tenebantur. Nunc huius officiaturae solvere tenebantur. Cappellanus amovibilis est reverendus dominus Petrus Pilosi, electus a communitate, a quo iuxta dispositionem institutoris – ut assertum fuit – tot missas celebrat quot celebrare potest iuxta vires eorumdem reddituum, cum assignatione eleaemosinae triginta solidorum cuique missae. [La pagina **70** manca] |**71**| … commissariorum huius piae dispositionis, cuius officiaturae est cappellanus reverendus dominus Iacobus Porcelli, qui celebrat pro decem mensibus et reverendus dominus Bonaventura Cristofolini, qui celebrat pro duobus reliquis mensibus. Praedicto haeredi incumbit onus faciendi celebrare solemnem missam in die sancti Antonii praedicti et manutenere triduo in hebdomada, scilicet feria tertia, sexta et dominica, lampadem accensam. Altera huic altari est officiatura missae quotidianae, ex legato quondam Laurentii Confalonerii, cuius commissarii instituti fuerunt admodum reverendus dominus Villius Villio, olim archipraesbyter huius ecclesiae et nobilis dominus Christophorus Villio, a quibus cum respective renunciatum fuisset, huiusmodi commissariae successit capitulum ressidentiae huius ecclesiae, quod ipsemet dominus archipraesbyter sibi substitui iussit in suo testamento et ad praesens capitulum ipsum exercet huiusmodi partes commissarii. Cappellanus amovibiliter eligitur ab iisdem ressidentibus et modo est reverendus dominus Constantinus Pateri et accipit stipem librarum 600 a praedicto capitulo, ex capitalibus ab eodem legato provenientibus. Altare Sanctissimae Trinitatis, de ratione nobilis familiae de Pasinis, sed a communitate manutenetur, in cuius iure ipsa communitas successit. In hoc altare est beneficium simplex de iure patronatus |**71**^{v}| eiusdem communitatis et habet redditus ad praesens librarum 529 parvularum, ex diminutione fructuum capitalium obnoxiorum, cuius est rector reverendus dominus Augustinus Pasini, cum bullis episcopalibus et onere missae quotidianae et ressidentiae. Hoc altare est marmoreum et consecratum, cum icone depicto. Altare sanctae Catharinae martyris, consecratum, caeterae eius partes ex gypso sunt elaboratae; extat icon depictus et est de ratione domini Iulii Segala huius loci, in quo est officiatura missae quotidianae, cum stipe librarum 525 ac praeterea cappellanus, qui amovibiliter eligitur ab haeredibus quondam Maffei Segala, institutoris eiusdem cappellaniae, quot annis percipit redditum librarum 42 pro obligatione ressidendi in choro ac praeterea apparet ex visitatione anni 1712 ipsum altare habere redditum librarum 25 pro manutentione ipsius altaris et cerearum, qui omnes redditus administrantur ab haeredibus praedictis, a quibus cappellanus et altare providentur. Et, cum esset hora prandii, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, iam defatigatus, ad aedes praedictas se restituit, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 3 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, convocatis puellis et mulieribus trium scholarum doctrinae christianae huius loci, scilicet sancti Ioannis decolati, Disciplinae et sancti Francisci in |**72**| ecclesia parochiali, ad eam adiit ibique separatim dispositas in respectivis earum scholis per reverendum dominum archipraesbyterum aliosque sacerdotes, qui respective earum scholarum curam dependenter ab ipso domino archipraesbytero habent, interrogavit ac universim in doctrina christiana instructas cognovit ac illis quae prae caeteris excelluerunt praemia ut supra parata elargitus est. Quibus habitis dimissisque discipulis, ad se dominum archipraesbyterum, sacerdotes, operarios et omnes operatrices faeminas vocavit omnesque ipsos summo zelo hortatus est ut praeclarum doctrinae christianae opus attentius magis in dies peragerent monuitque dominum archipraesbyterum vicarium foraneum ut sacerdotes qui in parochiali hoc munere illum coadiuvant passim scholae cui dessignati sunt non mutentur, sed continuo ipsimet doceant ut facilius cognoscant puellae vocem docentis et erudiantur. [A margine: Santissimo Crocifisso] Visitavit subinde oratorium Conceptionis beatae Virginis Mariae nuncupatum seu Sanctissimi Crucifixi, in cuius ingressu a

reverendo archipraesbytero cota et stola induto aspersorio accepto, se signavit et populo frequenti benedixit, in cuius altari maiori vidit expositam sacram reliquiam sanctae Crucis, utpote quae celebratur hodie eius festum, quod maxime collitur a schola disciplinatorum infrascripta; et genuflexus ante altare, ipsam reliquiam thuris honore coluit; deinde, ab archipraesbytero praedicto deposita ipsa sacra reliquia e loco ubi erat exposita, super altare surrexit ut ipsam |**72**^{v}| visitaret viditque illam positam in theca crystallina in forma crucis, cum sigillo et documentis iam recognitis in hac curia sub die 29 aprilis 1729, quam recognovit et deinde iterum genuflexus, peracta thurificatione, adoravit eamque dominus arcipraesbyter in custodiam marmoream super gradus positam sub sera et clavi servatam reposuit. In hoc oratorio tria sunt altaria, quorum prius est praedictum altare maius, quod idemmet illustrissimus et reverendissimus praesul visitavit et est marmoreum architetonice eleganterque constructum, cum portatili. In hoc altari extat imago sanctissimi Domini nostri Iesu Christi Crucifixi, quae summa veneratione tum ab hac schola tum ab universo populo Desentiani ac finitimis gentibus collitur ac circum cappellam et oratorium multa pendent vota argentea, ex quibus cognoscitur cultus praedictus. Altare ipsum omni ornamento non mediocri sumptu comparato instructum existit et est de ratione infrascriptae scholae, de cuius iure caetera quoque altaria sunt nec non ipsum oratorium. Huic altari tres sunt officiaturae, quarum prior est quotidiana amovibilis, proveniens ex legato quondam Antonii Cochi, quae habet redditus librarum 500 et ellectio cappellani spectat tum ad scholam infrascriptam pro duobus votis, tum ad maiorem natu nobilis familiae Moronati; ad praesens cappellanus est reverendus dominus |**73**| Ioannes Maria Gallina, a quo oneri sibi imposito adimpletur. Altera officiatura est ex legato quondam Antonii Crespi et habet redditus – ut assertum est – librarum 277.4; sed, cum dubitetur praecisus iste sit redditus ex capitalibus huic officiaturae relictis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit et conscientiam confratrum scholae oneravit ut diligenter inquirant quae sint praecisa capitalia et praecisi fructus ex eisdem provenientes; caeterum ex institutione huius officiaturae tot missae sunt celebrandae quot celebrari possunt habita ratione eleaemosinae manuali triginta solidorum pro quaque missa. Electio cappellani spectat ad capitulum scholae praedictae et electus est modo reverendus dominus Ioseph Rosmarini. Tertia officiatura est ex legato quondam domini Dominici Seguiti, cuius redditus est scutorum quinquaginta brixiensium. Haeredes praedicti Dominici Seguiti huic scholae quaedam stabilia tradiderunt, ex quibus facile percipiebatur redditus 50 scutorum sed, iisdem bonis in obedientiam legum subastatis, praetium eorum investitum fuit, ex qua tamen investitura modo percipi non potest nisi summa scutorum 44 brixiensium et marculorum decem octo unde, cum testator iusserit ut tot missae celebrarentur quot celebrari possent iuxta praedictum redditum scutorum 50, habita ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum, modo ex redditu praesenti pia eius dispositio impleri non potest |**73**^{v}| ut se impleturos obligaverunt confratres quando acceptaverant bona stabilia ab haeredibus ipsius testatoris sibi tradita, qui defectus, cum non processerit ex eorum negligentia, ideoque dominus Petrus Panizza, hic praesens prior ipsius scholae, nomine suorum confratrum, humilime illustrissimum et reverendissimum dominum dominum episcopum supplicavit ut dignetur decernere quomodo deinceps pia haec dispositio implenda sit. Qua instantia intellecta, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit, stantibus rebus prout stant, ut schola tot missas celebrare faciat quot celebrari possunt ex redditibus scutorum quadraginta quatuor brixiensium et marculorum decem octo, cum hac conditione quod, si augeantur fructus huius officiaturae, augeatur quoque missarum numerus, habita semper ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque missa, monens et conscientiam confratrum aggravans ut eo meliori modo quo possint, si tamen fieri poterit, ab heredibus ressarciri redditum integrum facient et ita et cetera, omni et cetera. Cappellanus huius officiaturae amovibiliter eligitur cum duobus votis, alterum ex parte confratrum, alterum ex parte nobilis domini Camilli Martinengo Cesaresco et ad praesens cappellani sunt reverendus dominus Marcus Usachinus et reverendus Aloysius Andreis, utrique pro medietate oneris, a quibus satisfit. Officiatura ex legato quondam Francisci Verangi, de qua sermo in praecedentibus visitationibus, cessavit utpote quae |**74**| pro annis quadraginta tantumodo fuit relicta, quibus annis transactis eius quoque finis factus est. Visitavit altare Immaculatae Conceptionis nuncupatum, in quo olim erat venerabilis imago Christi, posita in altari maiori, a quo altari maiori translatus fuit icon et titulus Conceptionis et in hoc ipsum altare positus; mensa est lignea, caeterae eius partes ex gypso elaborato. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed celebratur in eo ex devotione. Altare sancti Francisci, cum mensa marmorea extructa super murum et palio ligneo cum portatili, caetera eius partes ex gypso elaborato. Icon est depictus et rappraesentat imaginem sancti Francisci cum stigmatibus. In hoc altari est obligatio missae quotidianae, ex dispositione quondam Marci Antonii de Rossettis, ut constat ex assignatione facta venerabili confraternitati praedictae diei 9 decembris 1632, descripta in libro instrumentorum ipsius societatis pagina 34 tergo, qua assignavit capitalia valoris mille scutorum brixiensium. Cum vero redditus diminuti fuerint, felicis

recordationis Sebastianus Pisanus episcopus veronensis, auctoritate apostolica, redduxit onus praedictum ad missas 240 annuas, hebdomadatim distribuendas, ita tamen ut, si quando augeantur redditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus missarum; nunc igitur a reverendo domino Ioanne Baptista Gilio cappellano, qui eligitur |**74**^{v}| amovibiliter a confratribus et onus ipsum adimpletur iuxta praedictam reductionem. In hoc oratorio adest obligatio celebrari faciendi quotidie missam per idoneum sacerdotem eligendum ad arbitrum confraternitatis relicta a quondam domino Orlando Arricio huius loci, ut constat ex eius testamento in actis domini Leonelli Danesii de Patingulis notarii, exemplato a domino Francisco Cattaneo de hoc loco notario diei 3 maii 1595 et codicillo eiusdem sub die 6 novembris 1599 in actis domini Pauli Moroni notarii huius loci, quae omnia sunt descripta in libro praedicto instrumentorum huius societatis ad paginas 9 et 10. Praedicta vero obligatio, cum non sufficeret redditus capitalium a testatore relictorum, reducta apparet sub die 2 martii 1662 ad celebrandas missas singulis diebus dominicis et festivis de praecepto et alias centum diebus feriatis singulis annis, hac tamen lege quod, si augerentur redditus, tunc quoque augeatur pro rata numerus missarum, cuius reductionis actus exemplatus extat in praedicto libro pagina 136 a domino Francisco Cattaneo notario; nunc autem iuxta hanc reductionem onus praedictum adimpletur a reverendo domino Petro Ramboti, cappellano amovibili a confratribus electo. Ante cappellam altaris maioris huius oratorii a parte epistolae est armarium ligneum inauratum, subtus quod extat haec inscriptio: |**75**| "Deo Optimo Maximo. Hic brachia sanctorum Fabii et Sulpitii martyrum iacent atque insignium reliquiarum sanctorum sanctarumque martirum caelestis ac copiosissimus thesaurus adest 1655". Quas reliquias visit positas in praedicto armario, quas tamen, cum sint sine sigillis et authenticis documentis, suorum praedecessorum decretis inhaerendo, in sua veneratione reliquit. Visitavit sacristiam viditque paramenta omnium colorum, calices plurimos argenteos aliaque neccessaria pro sacro faciendo, ut ex policea exhibita infra posita sub littera D, bene tenta. Vidit quoque pixidem argentea in cupa et cupream in pede, super quam interrogatus reverendus dominus Petrus Ramboti cappellanus, nec non dominus Petrus Panizza prior praesentibus confratribus quando, et quomodo fiat de ea usus, responderunt fieri in festis solemnioribus quae celebrantur a confratribus, de licentia tamen domini archipraesbyteri, quod ipsemet dominus archipraesbyter praesens ratificavit verum esse. Visitavit chorum retro altare maius positum, in quem confratres Immaculatae Conceptionis vulgo *disciplini* conveniunt singulis diebus festis ad recitandum officium beatae Virginis Mariae et ad alias orationes iuxta eorum institutionem persolvendas. Haec societas canonice instituta est, ut apparet ex diplomate diei 11 maii 1608, viso et admisso in curia episcopali |**75**^{v}| die 6 iulii 1609, a confratribus exhibito, viso et approbato. Habet quoque sua capitula extracta ex libris piae scholae et tipys aedita anno 1703. Vidit duo confessionalia in hoc oratorio, de licentia domini archipraesbyteri tenta. Confratres praedictae societatis induunt saccum album apertum a tergo et cintum fune et interveniunt omnibus processionibus solitis huius loci. Haec schola habet onus dispensandi in sexta feria maioris hebdomodae tot panes frumenti, quot comparari possunt ex redditu provenienti a capitali ducentorum scutorum brixensium, assignato a quondam nobili domino Francisco Verangi, partim in executione piae dispositionis quondam nobilis domini Iacobi sui patris et comutationis decretae ab illustrissimo et reverendissimo Sebastiano Pisano, partim pro legato ab ipsomet domino Francisco relicto, ut constat ex praedicto libro intrumentorum societatis ad annum 1702 – 28 augusti et ex actu rogato per dominum Aloysium Porcelli notarium die et anno praedictis. Panis iste distribuendus est pauperibus confratribus descriptis in cathalogo huius scholae, ut constat ex eodem actu. Cumque interrogaverit quomodo adimpleatur hoc legatum et cognoverit ex coniventia superiorum et officialium distribui confratribus non indigentibus, immo ipsis maiorem panis huiusmodi partem distribui, graviter praedictum dominum Petrum Panizza priorem et confratres monuit ut exequeretur pia dispositio praedicta |**76**| non ex voluntate propria sed prout dispositum et decretum respective a suo praedeccessore Pisano, eis exponens districtum iudicium divinum, quod iminet illis si secus fecerint et admonens ipsos obnoxios esse restitutioni si non pauperibus ipsis panem praedictum distribuerent. Ordinata. Rimulae portatilis altaris maioris obturentur – portatile altaris sancti Francisci provideatur de tela cerata, qua cooperiatur – alteri confessionalium ponatur aliqua devota imago ex parte poenitentium. Cumque advesperasset, in aedes saepedictas restiututus, incoenatus obdormivit. Die sabbathi 4 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ecclesiam parochialem praefatam divertit, in qua sacrosanctum missae sacrifitium peregit, quo absoluto, quampluribus utriusque sexus christifidelibus sacrum Christi Corpus ministravit ac subinde nonnullos petentes sacro Chrismate perunxit. [A margine: Sant'Orsola] Hisce peractis, se contulit ad oratorium Sanctae Ursulae ad visitationem non modo ipsiusmet oratorii, verum etiam ad visitationem personalem virginum demissarum nuncupatarum, quae profitentur regulam sub titulo sanctae Ursulae absolvendam. Et primum observavit quinam sint huius congregationis superiores dictumque ei fuit |**76**^{v}| dominum Ioannem Angeleri

archipraesbyterum huius loci patrem esse; reverendum dominum doctorem Antonium Moioli, substitutum; protectores dominum Nicolaum Maioli et dominum Ioannem Rava; matrices vero, vulgo *madone* dominam Vincentiam Rosmarini et dominam Helisabeth Pezzotti interrogavitque a quo et qua auctoritate superiores ipsi electi sint et responsum electos fuisse protectores a congregatione ipsa, non vero confirmatos auctoritate episcopali; patrem et eius substitutum, quos ex consuetudine qua olim domini archipraesbyteri fuerunt patres huius congregationis, ipsos quoque hoc officium suscepisse; quapropter idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, quamvis viderit non legitime adhuc huiusmodi officium a praedictis susceptum et executum fuisse, nihilominus respectivam eorumdem, ex informationibus habitis cognoscens idoneitatem, decrevit praedictum dominum Ioannem Angeleri archipraesbyterum esse et fore patrem huiusmodi congregationis, reverendum dominum Antonium Maioli substitutum et praedictos dominos Maioli et Rava protectores eorumque officia ad eius beneplacitum duratura, cum conditione quod in quibuscumque actibus congregationis interveniat votum et assensus ipsius domini archipraesbyteri, patris eiusdem et cum conditione etiam quod ipse in gubernio dependere debeat a patre congregationis civitatis Veronae, cum quo conferre debeat et eidem referre de tempore in tempus statum ipsius congregationis. Posthaec illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus interrogavit quaenam |**77**| essent officiales huius congregationis et responsum fuit venerabilem consororem Catharinam Comboni multis abhinc annis esse superiorissam, a congregatione ipsa electam; vicariam esse venerabilem consororem Iuliam Alberti; assistentem consororem Helisabeth Cristofolini; novitiarum magistram consororem Angelicam Papa; admonitricem consororem Magdalenam Andreis; sacristanas consorores Theresiam Ramboti et Mariam Capra; caeteras vero consorores esse: Paulam Avanzi, Margaritam Andreis, Angelam Comboni, Antoniam Panizza, Magdalenam Signori, Dominicam Bagietti et Luciam Dusini, Rivoltellam degentem. Cum vero in mense ianuarii proxime elapso ex hac vita decesserit nobilis dominus comes Thomas de Vilio, qui erat tertius protector huius congregationis, illustrissimus et reverendissimus praesul, ne eidem deficiat qui eius neccessitati aut utilitati prodesse possit, elegit et electum declaravit in tertium protectorem eiusdem congregationis dominum Petrum Panizza, de cuius charitate, zelo et prudentia informationes non modo habuit, verum etiam in hoc loco publica monumenta existunt. Huius congregationis consorores, quamvis anno 1648 die 11 octobris supplicaverint illustrissimum et reverendissimum dominum dominum Marcum Iustiniani episcopum veronensem felicis recordationis ut concederet hanc congregationem regulis uti eminentissimi Augustini Valerii cardinalis et episcopi veronensis concessumque illis hoc fuerit, ut apparet ex earum libro congregationum aliorumque actuum pagina prima, |**77**ᵛ| nihilominus modo utuntur regula societatis sanctae Ursulae quae Brixiae observatur et ideo supplicaverunt illustrissimum et reverendissimum dominum dominum episcopum ut concederet perseverare in observantia istius regulae, eo quia consueverunt ipsa hucusque uti nihilque obsit earum perfectioni, quoties eamdem regulam observent. Quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, considerans regulam ipsam earum perfectioni prodesse posse ac praesertim quod a sancto Carolo Boromeo peculiariter fuerit ipsa approbata, concessit ut deinceps etiam a consororibus praedictis observaretur. Instetit praedicta venerabilis consoror Catharina Comboni ut acceptaretur renunciatio eius officii superiorissae, quam verbatenus fecerat sed, ab eodem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo considerata eius idoneitate, eidem praecepit ut in hoc officio per alios tres annos perseveret, prout eam in eodem sua auctoritate confirmavit. Interrogavit quinam essent confessarii deputati ad audiendas consororum confessiones et intellexit reverendum dominum Antonium Moioli substitutum, reverendum dominum Petrum Ramboti et reverendum dominum Ioseph Papa earum confessarios esse et, cum audisset aliquas postulare praeterea in earum confessarium reverendum dominum Constantinum Pateri, approbans praedictos tres confessarios concessit etiam reverendum dominum Pateri praedictum pro earum confessario. Interrogavit utrum virgines permaneant in earum domibus respectivis an vagentur per vias; utrum se exerceant in docenda doctrina christiana et in operibus |**78**| caritatis ac praesertim in obediendo superioribus et superiorissae et in exequendo regulas et, cum intellexerit pie sancteque omnia haec ab illis exequi, suasit et hortatus est ut in sancto proposito perseverarent, accepturae coronam quam Sponsus virginibus praeparavit. Posthaec visitavit altare maius, in mensa marmoreum cum palio ex serico, de omnibus bene instructum; in gradibus vidit custodiam et in ea summam reliquiam ex ossibus sanctae Ursulae virginis et martyris, iam recognitam in hac curia episcopali die 12 septembris 1740, quam proinde veneratus est. In hoc altari duae sunt officiaturae: una ex legato quondam Francisci Cattaneo in eius testamento 19 decembris 1673 in actis domini Troiani Villi notarii, quo tot missas celebrandas mandavit quot celebrari poterunt ex redditibus capitalis relicti, cuius officiaturae electionem spectare voluit ad eius filios primogenitos continuis temporibus futuros; nunc reverendus dominus Petrus Pilosi cappellanus electus adimplet; alia officiatura relicta fuit a quondam domino Ioanne Ramboti, valoris librarum septuaginta trium,

pro qua celebrantur missae 49 a reverendo domino Bartholomaeo Usmarini et cappellanus eligitur a congregatione sanctae Ursulae. Vidit in hac ecclesia confessionale, ex consensu domini archipraesbyteri ibidem servatum, ubi excipiuntur confessiones virginum sanctae Ursulae, bene tentum. Altare sancti Francisci Xaverii, marmoreum cum portatili et icone |**78**^{v}| depicto constructum, ex legato quondam nobilis domini comitis Christofori de Vilio, ab eius haeredibus paulo ab hinc tempore, bene tentum, ubi nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit sacristiam et in ea sacras suppellectiles ad sacrum faciendum sufficienter paratas. Visitavit denique domum contiguam ecclesiae, in qua tres consorores degunt et est de ratione ipsius congregationis. Ordinata. Rimae portatilis altaris sancti Francisci obturentur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giovanni Decolato] Perexit subinde idem illustrissimus et reverendissimus antistes ad visitandum publicum oratorium infra limites praedictae parochialis Desentiani, sub invocatione Sancti Ioannis Decolati, de ratione ipsius infrascriptae confraternitatis; quo perventus, accepto in limine portae aspersorio sibi a domino archipraesbytero praedictae parochialis superpelliceo et stolla induto porrecto, se signavit populoque benedixit et, facta humili oratione, in eo vidit tria altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius marmoreum cum portatili, eidem sancto dicatum cum portatili; in gradibus ipsius altaris extat custodia in qua servatur ostensorium cum reliquiis nullo documento munitis et supra ipsam custodiam eminet parva arca marmorea cum crystallis, in qua aliae sacrae reliquiae servantur, cum suis sigillis et documentis, quas prout recognitae fuerunt in visitatione anni 1732, ipsas |**79**| veneratus recognovit; reliquiae vero quae servantur in reliquiario et custodiuntur in custodia praedicta, inhaerens decreto eiusdem visitationis 1732 ne publicae venerationi exponantur inhibuit. Cum viderit eamdem custodiam in formam tabernaculi errectam esse nullaque ecclesiastica auctoritate concessum ut uterentur pro usu tabernaculi, prohibuit ne aliquando haec custodia adhibeatur ad usum tabernaculi pro sanctissimo Sacramento. In hoc altari nulla est praecipue officiatura adnexa, sed confraternitas dat stipem primario eius cappellano, qui est reverendus dominus Fabricius Pasini, ad hoc ut quotidie celebret cum intentione adimplendi obligationibus, quarum paeculiaris non extat memoria et adimpletur. Praeterea adest officiatura adimplenda in hoc oratorio, ex legato quondam domini Bernardini Raffa, cum onere missae quotidianae pro qua a confraternitate erogatur stips reverendo domino Benedicto Papa, cappellano amovibiliter ab ipsa societate electo, libraum 510. Alia est officiatura, pariter adimplenda in hoc oratorio ex legato quondam domini Ioannis Baptistae Piacentini, cum onere missae quotidianae et cappellanus est electus amovibiliter a commissariis, scilicet a capitulo societatis pro uno voto, pro altero a domino Paulo Pace et pro reliquo a domino Iosepho Cominelli salodiensi, a qubus eliguntur quoque commissarii |**79**^{v}| successores, reverendus dominus Ioseph Alberti, qui accipit stipem a societate librarum sexcentum. Alia etiam officiatura derrivat ex eodem testamento Piacentini, pro qua tot missae celebrantur quot celebrari possunt ex residuis reddituum bonorum, ab eodem relictorum pro celebratione missarum, cuius onus adimplent partim reverendus dominus Ioannes Baptista Signori, qui quotidie celebrat et partim reverendus dominus Bonibellus Porcelli, qui celebrat iuxta vires residuorum praedictorum reddituum et eliguntur amovibiliter a confraternitate. Adest etiam legatum quondam domini Ioannis Baptistae Pinzoni, pro quo tot missae celebrandae sunt quot celebrari possunt iuxta vires reddituum ex capitalibus ab eodem relictis, pro quo onere celebrat praedictus reverendus Porcelli, pariter a confraternitate ammovibiliter electus. Quondam domina Eugenia Zanini reliquit capitale scutorum ducentorum brixiensium, ut ex eius fructu iuxta vires tot missae celebrarentur, pro quo legato celebrat praedictus reverendus Porcelli, electus pariter amovibiliter a confraternitate. Visitavit altare sancti Caroli, ex ligno constructum cum icone depicto et portatili in mensa lignea. In hoc altari est officiatura relicta a quondam Catharina vidua quondam Horatii Bolli, quae officiatura nuncupatur a Vico, cuius onus ab ipsa relictum erat missae quotidianae, sed |**80**| postmodum a felicis recordationis Sebastiano Pisano episcopo veronensi reductum fuit ad unam missam omnibus festivis diebus et unam tantum ferialem singula quaque hebdomada celebrandam, ut constat ex actu autentico diei 26 iunii 1657, ibidem ostenso, viso et restituto. Visitavit altare sanctae Mariae Dolorum, ex ligno cum portatili et icone depicto, in cuius medio sub crystallis est imago beatae Virginis Mariae Dolorum, ex ligno sculpta. Huic altari est errecta confraternitas sub titulo beatae Virginis Mariae Addoloratae, canonice errecta, ut constat ex diplomate typis tradito et in curia hac episcopali approbato die 11 octobris 1724, ostenso, viso et restituto. Retro altare adest chorus, in quo confratres conveniunt ad recitandum officium beatae Virginis aliasque orationes iuxta eorum institutum persolvendas. In prospectu chori in partibus iconis duo sunt armaria lignea inaurata, in quorum singulis singulae sunt arcae ligneae cum crystallis, in quibus inclusae existunt sacrae reliquiae descriptae in visitatione anni 1732, in qua recognitae fuerunt et, ut recognitas, approbavit. Confratrum vestis est ex tela nigra et utuntur ipsi capitulis venerabilis collegii sanctae Mariae a Nive civitatis Veronae; interveniunt iidem processionibus quae fieri solent iuxta morem huius loci. Dominus archipraesbyter, hic praesens, conquestus

est quod confratres |**80**^{v}| huius sodalitii in tempore Paschatis non obediant praecepto ecclesiae sumendo communionem in ecclesia parochiali; e contra, confratres quasdam prerogativas ut suam tuerentur inobedientiam produxerunt, desumptas ex capitulis praedicti collegii sanctae Mariae a Nive Veronae ac insuper praetensam consuetudinem ipsiusmet collegii veronensis; quapropter, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus haec omnia inania et futilia cognoverit et contraria ipsorum institutioni, serio eos redarguit, indignationem divinam eis minitando, nisi ea qua decet obedientia huic praecepto in ecclesia parrochiali non paruerint monuitque omnes et singulos cappellanos ac praesertim reverendum dominum Fabricium Pasini, primarium cappellanum eiusdem scholae, ne paschalem communionem confratribus ipsis, absque petita et a domino archipraesbytero licentia obtenta distribuerent, sub poena suspensionis a divinis aliisque et cetera a se infligendis. Vidit successive sacristiam et in ea sacras suppellectiles ad sacrum faciendum neccessarias, de quibus sufficienter provisum esse invenit et ut ex policea exhibita, infra ad litteram D posita. Vidit in hoc oratorio confessionale, bene tentum, quod constat ex antecedentibus visitationibus et ex testimonio domini archipraesbyteri hic praesentis, de sua licentia hic servatum et de suo assensu hic confessiones sacramentales excipiuntur, sicut de sua quoque licentia sanctissima Eucharistia |**81**| aliquando distribuitur. Ordinata. Ordinatio in visitationibus antecedentibus pro altari sanctae Mariae Dolorum exequatur et altare ipsum claudatur a lateribus. Quibus peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, properata iam hora, in aedes praefatas restitutus prandium sumpsit. Die antedicta 4 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedens, coram eo vocati comparuerunt domini Michael Andreis et Horatius Rosmarini sindici aliique principaliores huius communitatis, qui interrogati circa vitam, mores, officium et ressidentiam reverendi domini Ioannis Angeleri archipraesbyteri eiusque coadiutorum aliorumque ecclesticorum huius loci nec non si in hoc loco adsint haeretici, usurarii aut alii publici peccatores, a quibus responsum fuit omnia bene peragi a praedictis ecclesiasticis quoad respectiva eorum officia; dominum archipraesbyterum, coadiutores reliquosque sacerdotes bonis honestisque moribus vivere, in populo nulla scandala publica existere nullosque adesse haereticos, usurarios, publicos concubinarios et huiusmodi. Vocatus successive comparuit reverendus dominus Ioannes Angeleri, archipraesbyter antedictus, qui ostendit bullas huius beneficii, quod regit a die 6 ianuarii 1736 et illud per concursum obtulit |**81**^{v}| quodque subest episcopali iurisdictioni et confertur iuxta decreta sacri Cocilii tridentini; obtulit quoque libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum nec non status animarum et congregationum, qui libri methodo sufficienti sunt detenti. Interrogatis postea de clero et populo, bene respondit. Comparuerunt deinde vocatae Lucretia uxor Petri Cappello, Lucretia relicta quondam Horatii Pasini et Angela relicta quondam Benedicti Berti, omnes obstetrices huius terrae quae, interrogatae circa administrationem sacramenti baptismi in casibus neccessitatis, easdem bene edoctas esse invenit. Successive comparuit reverendus dominus Antonius Moioli, sacerdos huius loci et humili obsequio illustrissimo et reverendissimo praesuli praesentavit supplicationem tenoris sequentis, videlicet. Eccellenza reverendissima. Giovanni Zanini sino dal 1678 nel suo testamento da lui fatto il dì 28 novembre, rogato in atti del signor Luigi Porcelli nodaro di Desenzano, lasciò per suffragio dell'anima sua che, doppo la di lui morte, de suoi beni siano stimati tanti, però prima di quelli essistenti nel territorio di Rivoltella per il valore di scudi 2000 da troni 7 per scudo, detrati primieramente quelli di ragione dottale della signora Lucia Zanina sua consorte, con il frutto annuale |**82**| de quali li sii celebrata una messa quotidiana perpetua nella chiesa parrocchiale di Desenzano, dichiarando però che, in caso d'influenze dell'aria, di tempeste che accadessero in detti beni, in tal caso il sacerdote che celebrarà detta messa sii tenuto celebrar tante messe, quelli anni accadessero disgratie, quanto sarà il frutto di detti beni di portione dominicale; alla celebratione della qual messa nomina don Nicola Moioli, suo cognato e, doppo la di lui morte, essendovi sacerdoti di casa Moioli siano preferiti; quali cappellani siano tenuti, oltre detta messa, pagare a detta chiesa parochiale dove si celebrarà scudi cinque l'anno o vero farsi li paramenti per tal effetto, nel qual estimo e summa di scudi 2000 vi si debba comprendere li animali et utensili rurali, con casa sufficiente per l'abitatione. Venuto il caso d'esseguire la pia dispositione sopra esposta, non furono de sudetti beni e capitali lasciati ricavate che lire 8320.1, le quali investite al quatro per cento rendono lire 381.14. Con il frutto proveniente da capitali lasciati non può adempirsi al carico ingionto dal testatore della messa quotidiana, mentre il capitale si è reso assai minore di quello che aveva intentione il medesimo di lasciare – e la messa quotidiana almeno importarebbe di rendita ducati 90 de grosso – per lo che noi, don Antonio e Nicola fratelli Moioli, umilissimi servi di vostra eccellenza reverendissima, supplichiamo a voler degnarsi |**82**^{v}| colla sua autorità di ridurre la quantità delle messe a proportione della quantità delle rendite giacché, anche per intentione del testatore, nel caso che per disgrazie si diminuissero le medesime, si dovrebbero a

proportione ancora diminuire le messe ordinate. Rispetto alli cinque scudi lasciati alla chiesa parrocchiale per li paramenti, come dal cappellano vengono e verranno questi somministrati, così colla stessa sua auttorità supplichiamo che decreti non aver luogo in questo caso la dispositione predetta a favore della sacristia della chiesa parrochiale e tanto più che io, don Antonio Moioli, uno de predetti umilissimi servitori di vostra eccellenza reverendissima, mi offerisco e, per causa di donatione irrevocabile tra vivi, cedo e dono i paramenti a mie spese fatti, che saranno in essere al tempo della mia morte ad uso di tale officiatura et accioché in avenire vi siano sempre sufficienti paramenti occorrenti per celebrare le predette messe, dichiaro e mi obligo di formare un capitale di scudi cento da troni 7 l'uno, la rendita del quale serva per la stessa officiatura e per il mantenimento de paramenti donati, da esser consignato detto capitale a signori commissarii per tal fine; con conditione, però, che de predetti paramenti possano servirsi li sacerdoti della nostra famiglia Moioli ed altri sacerdoti, non tamto per la predetta officiatura quanto per celebrare messe in altra chiesa, o in altro luogo a piacere de miei eredi. Gratie et cetera. Umilissimi servitori padre don Antonio e Nicola Moioli. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, recepta, visa et lecta supplicatione suprascripta |**83**| eidemque benigne annuens, viso testamento praedicti domini Ioannis Zanini, in eadem supplicatione enunciato, viso instrumento venditionis bonorum et utensilium relictorum pro officiatura instituta a praedicto testatore, pro quibus apparet constitutum praetium librarum parvularum 8320.1, quod instrumentum rogatum fuit in actis domini Antonii Faini notarii sub die 6 martii 1713, visa fide a praedicto domino Antonio Faini notario sub die 10 iunii 1726 facta, ex qua constat praedictam summam investitam fuisse in bonis plurimorum et ex ea tunc temporis percipi potuisse fructum librarum 361.6, quibus factum est augumentum librarum viginti ex solertia praedicti reverendi domini Antonii Moioli, visis aliis videndis et consideratis considerandis, Christi nomine invocato a quo et cetera, piam laudati testatoris dispositionem et voluntatem interpretando, auctoritate sua ordinaria et omni meliori modo et cetera dixit, pronunciavit et decrevit redducendam esse officiaturam quotidianam, a quondam domino Ioanne Zanini relictam, ad numerum missarum ducentarum quinquaginta quatuor, prout reduxit, cum conditione tamen quod, si aliquando fructus ad eamdem officiaturam quovis modo pertinentes augerentur, augeatur quoque missarum numerus, considerata eleaemosina manuali triginta solidorum pro quaque missa et, stante oblatione et respectiva donatione in supplicatione suprascripta exposita reverendi domini doctoris Antonii Moioli, declaravit locum amplius non esse praestationi ducatorum quinque singulis annis ecclesiae parrocchiali et ita et cetera, omni et cetera. |**83**^{v}| Venerunt postea Benedictus Sartori, heremita inserviens huic parochiali ecclesiae Ioannes Baptista Guagnini, heremita deputatus custodiae oratorii Sancti Francisci, Blasius Benedetti et Ioseph Barbieri, heremitae ad custodiam oratorii Immaculatae Conceptionis seu Sanctissimi Crucifixi, omnes carentes patentibus litteris huius curiae episcopalis, sed veniam petierunt de errore ab ipsis commisso, cum pauco ab hinc tempore in hoc loco morentur; quibus illustrissimus et reverendissimus praesul, paterna admonitione praemissa et attenta attestatione domini archipraesbyteri de eorum et singulorum bonis vita et moribus oretenus facta, mandavit litteras patentes in forma relaxari et ita et cetera. Comparuit etiam coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo suprascripto dominus Michael Andreis, electus ab hac spectabili communitate sub die 21 septembris 1740 ad hoc ut recursus faceret ubi et cetera de et super intelligentia decreti felicis recordationis Sebastiani Pisani diei 13 maii 1671 instetitque declarari cappellanos subiectos et subiiciendos capitulis eiusdem communitatis esse et fore, non modo illos qui eliguntur a comunitate verum etiam omnes qui, alias electi, tamen subsunt capitulis a comunitate de more formatis, et hoc ut quiete ordo praescriptus in eodem decreto exequatur et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, cum suis occupationibus detineretur, sibi hoc declarandum occasione visitationis Puteilongi resservavit et ita et cetera, omni et cetera. |**84**| [A margine: San Francesco] Deinde se contulit ad visitandum publicum oratorium Sancti Francisci nuncupatum, infra limites dictae parochialis de Desentiano, in cuius ianua, aspersorio accepto e manibus domini archipraesbyteri cotha et stola induti, populo benedixit ac postea, praemissa oratione, idem oratorium visitavit, quod constat tribus altaribus, de ratione venerabilis confraternitatis infrascriptae, errectum facultate episcopali obtenta sub die 14 iunii 1730. Et primum, vidit altare maius, divo Francisco assisiati dicatum, cum mensa marmorea et portatili, in reliquis partibus ligneum, decenter constructum. In eodem altari in custodia lignea aurata vidit sacras reliquias, scilicet ex tela qua beata Clara medebatur stigmata, imbuta sanguine praedicti sancti patris Francisci et ex habitu et fune eiusdem sancti Francisci, sigillo et documento illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Trevisani, veronensis episcopi, munitas, datas die 21 iulii 1730, in parva theca repositas, quas recognovit et deveneratus est nec non reliquias ex sacris ossibus beati Seraphini cappuccini et ex cineribus beati Fidelis a Sigmaringa, in singulis thecis lateis repositas, sigillo et documento huius curiae episcopalis diei 20 decembris 1734 munitas, quas itidem recognovit et deveneratus est. Vidit altare beatae

Virginis Mariae, cum mensa ex muro et portatili, quod altare nondum completum est, sed satis instructum, ut in eo sacrosanctum missae sacrifitium celebretur. Altare sanctorum Iacobi a Marchie et Francisci Solano, cum mensa |**84**^{v}| ex muro cum portatili, quod pariter nondum perfectum est, sed satis instructum ut in eo missa celebrari possit. In hoc oratorio et in his altaribus nulla alia adest obligatio missarum nisi una sexaginta quatuor missarum in anno, ex legato quondam Faustinae Sarasinae, quae reliquit tronos 3000 ut ex his tronos 600 cederent sacristiae pro usu paramentorum, residuum vero capitalis esset obnoxium pro celebratione missarum relictarum. Confraternitas ista totum ipsum capitale suscepit, ex quo debita persolvit contracta in aedificando hoc oratorium, se obligans perpetuis futuris temporibus ad faciendum implere onus praedictum sexaginta quatuor missarum, ut apparet ex libro ordinationum eiusdem confraternitatis exhibito, viso et restituto, quod onus admplere facit per reverendum dominum Iulium Leoni, cui etiam confratres ex eorum devotione stipem erogant, ad hoc ut quotidie in ipso oratorio celebret. Vidit in hoc oratorium confessionale, de licenza domini archipraesbyteri tentum. Visitavit sacristiam et in ea suppellectiles sacras pro celebratione missae, de quibus satis paratam invenit et servantur in armario ex nuce optime eleganterque elaborato. Retro altare vidit chorum, in quo conveniunt confratres ad recitandum officium beatae Virginis Mariae diebus festis et singulis diebus Quadragesimae in vespere psalmos |**85**| poenitentiales cum litaniis, versiculis et orationibus iuxta eorum institutum. Haec confraternitas olim incepit in oratorio sancti Ambrosii huius loci; postmodum vero, die scilicet 22 decembris 1728, confratres supplicaverunt iterum erigi in societatem sub titulo sancti Francisci assisiatis, cum facultate vestiendi sacum et associandi sanctissimum Eucharistiae sacramentum et capitula produxit, supplicans ut ea approbarentur, cuius novam errectionem, vestitum et capitula approbata fuerunt auctoritate ordinaria huius curiae die 22 decembris eiusdem anni 1728. Haec ipsa societas postmodum, die scilicet 8 maii 1729, aggregata fuit archiconfraternitati sacrarum Stigmatum de Urbe, ut constat ex diplomate publicato auctoritate ordinaria die 30 iulii eiusdem anni, ostenso, viso et restituto. Quibus habitis et cetera. Ad ecclesiam parochialem reversus, eamdem de parte in partem visitavit, quae est consecrata et anniversaria dies collitur die 6 decembris et in ea vidit suggestum in quo concionatur quadragesimali tempore quotidie, excepta tertia feria cuiuslibet hebdomadae, cum mandato et benedictione episcopali; concionator vero eligitur a comunitate, a qua stipem accipit scutorum quinquaginta brixiensium. Vidit domum sacristiae huius parochialis assignatam, quam modo inhabitat haeremita inserviens huic parochiali; vidit etiam domum parochialem inibi adnexam. |**85v**| Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum oratorium publicum Sancti Ambrosii in castro huius terrae, intra limites parochialis ecclesiae Desentiani praedicti. In itinere, non procul vidit quoque capelulam, vulgo *Stafalo*, Beatae Virginis Mariae Annunciatae, appellatae *del Rasetto*. [A margine: Sant'Ambroso] Visitavit oratorium publicum Sancti Ambrosii praedicti, de iure communitatis Desentiani, a qua manutenetur. Habet unicum altare cum mensa marmorea, portatili et icone depicto cum imagine abrasa eiusdem sancti Ambrosii; in reliquis partibus ex ligno est fabrefactum. Vidit confessionale, de licentia domini archipraesbyteri in hoc oratorium tentum. Ordinata. Confessionali ponatur pagella casuum resservatorum ex parte confessarii et aliqua devota imago ex parte poenitentis – provideatur portatile de tela cerata qua cooperiatur – exequantur ordinata anteriorum visitationum de rimulis portatili obturandis, de claudendo altari a lateribus, de errigenda sacristia et providenda de neccessariis. Quibus peractis et cetera. Ad aedes antedictas suae mansionis restitutus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad se vocavit supra descriptos duos qui non obediunt praecepto ecclesia in Paschate ac eos paterno affectu ita hortatus est ut ad meliorem frugem |**86**| se se darent, ut cum lacrimis eorum poenitentiam ostenderint ac confessarium postulaverint cui sua peccata confiterentur, eos amplexus est suaque benedictione dimisit. Posthaec comparuerunt vocati admodum reverendus dominus archipraesbyter, reverendus dominus Antonius Bettinelli, reverendus dominus Ioannes Amadorius, reverendus dominus Hieronymus Rosmerini et reverendus dominus Ioannes Maria Mabellini, ressidentes ecclesiae parochialis Desentiani, absentibus ob eorum longevam aetatem reverendo domino Augustino Pasini et reverendo domino Bernardino Andreis, qui omnes, compraehenso domino archipraesbytero, complent numerum ressidentiae. Haec ressidentia instituta fuit a felicis memoriae Sebastiano Pisano episcopo veronensi die 10 iunii 1658, assignando et erigendo sex cappellanos inamovibiles cum onere missae quotidianae pro salute eorum qui instituerunt legata, ex quibus ipsae cappellaniae confectae sunt et cum onere faciendi continuam ressidentiam, dicendi aut canendi horas canonicas in choro, celebrandi per turnum missam conventualem insimul cum domino archipraesbytero, ad hoc ut in ipsa fiat commemoratio, celebrentur laudes, cultus divinus augeatur et animae benefactorum adiuventur; ab eodem episcopo, dum hanc ressidentiam instituit, novendecim capitula affermata fuerunt, quae descripta sunt in eadem institutione in libro instrumentorum huius communitatis pagina 165 tergo; praeter beneficia ressidentibus assignata ut supra, assignata quoque fuerunt quaedam legata, descripta in

eodem libro pagina 168 et |**86**^{v}| sequentibus, quibus legatis est adnexum onus septuaginta novem anniversariorum et interrogavit praedictos dominos ressidentes an exequantur capitula supra recensita ac responderunt, cum ex ressidentibus duo fere inhabiles sint, qui sunt reverendus Pasini et reverendus Andreis et dominus archipraesbyter aliquando detentus sit in exercitio suae curae parochialis, eadem capitula ab illis observari eo meliori modo quo possint; quapropter idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ipsis comendavit ut solertem pro viribus leges huiusmodi ressidentiae adimpleant, accepturi uberiorem mercedem a summo Deo, bonorum operum remuneratore quam in hac terra accipere possint. Subinde, cum idem reverendissimus antistes ex informationibus fidedignis cognoverit abusum introductum super inobservantiam dierum festorum praetextu pietatis absque ulla neccessitate, ut occurreret huic malo decrevit publicari aedictum de quo infra et cetera. Et cum advesperasset, in cubiculum se recepit et incenatus quievit. Die dominico 5 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, summo mane consurgens receptisque a dominis deputatis aliisque proceribus Desentiani ac in primis a domino archipraesbytero, clero atque universo populo loci praedicti, venerationis et obsequii argumentis humilique gratiarum actione, ad ecclesiam parochialem, ab iisdem praecedentibus et subsequentibus associatus, contendit ibique, |**87**| divino Sacramento adorato, ad thronum ascendit praecepitque mihi notario ut praedictis omnibus adstantibus alta et intelligibili voce publicarem aedictum suum supradictum, cuius tenor sequens est videlicet: Noi, Giovanni Bragadino, per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera e della santità di nostro signor papa prelato domestico et assistente et cetera. Subito che abbiamo posto mano a visitare questa parte della vigna commessa alla nostra cura dal divino Signore, colla nostra propria stessa bocca dal pulpito abbiamo procurato di esporre quanto sia grave delitto l'inosservanza de giorni al divin culto consecrati, mentre poi, continuando la visita stessa, abbiamo cercato di sapere se vi fossero disordini da levare, si è da noi scoperto che, sotto pretesto di pietà, si faccian lecito alcuni di far che dalle donne ne giorni di festa si lavori afinché a loro sia consignato il prezzo che dagl'istessi lavorieri si ricava per impiegarlo in alcune opere che hanno apparenza di divozione, ma che per altro non sono così neccessarie al culto di Dio onde debbasi pregiudicare all'osservanza d'un divino precetto; per lo che, non potendo il nostro zelo soffrire un tale abuso, vogliamo e, col tenor delle presenti, ordiniamo che dal signor arciprete di questo luogo nel tempo della messa parochiale in più feste, quando sarà maggior il concorso del popolo, come da suoi curati |**87**^{v}| nell'occasione che aministreranno il Viatico celebrando messa in alcun oratorio fra limiti della sua parochia, sia publicamente letto questo nostro editto, col quale dichiariamo non essere esenti da grave peccato chi lavorerà per simili cause o pretesti in tempo di festa senza che da noi o dal vicario nostro ne sia riconosciuta la causa legitima ed approvata con speciale licenza in iscritto e munita del nostro sigillo, incaricando in oltre avertire anco particolarmente chiunque dasse causa a tale inosservanza, affinché non si renda reo di scandalo con procurare senza neccessità la trasgressione d'un precetto così sacrosanto. In fede et cetera. Datum dalla visita nostra pastorale in Desenzano, li 4 maggio 1743. Giovanni vescovo di Verona. Giuseppe Bovio, nodaro della visita pastorale. Quo publicato et copia eiusdem domino archipraesbytero a me tradita, ex eodem loco monuit et hortatus est gravissimis verbis ecclesiasticos omnes ut sedulam operam in docenda doctrina christiana impenderent, ex qua cognoscet praesertim quinam ecclesiastico spiritu praeseferent; deinde addidit intollerabilem abusum sibi innotuisse eo quia aliqui ex ipsis ecclesiasticis ociose et turmatim tempus terant inutiliter loquendo in sacristia et cum saecularibus confabulando; qua propter monuit ipsosmet ecclesiasticos ut reminiscantur sanctitatis eius loci, in quo ipsi se potius disponere tenerentur |**88**| ad divina officia peragenda et gratiarum actiones Deo referendas quam otiosis verbis cum scandalo populi et cum eorumdem conscientiae detrimento uti et saecularium veluti conversatione in loco sancto peragere; quod, si ex hac eius monitione non rescipuerint, minitatus est coercere eorum inobedientiam poenis canonicis. Posthaec oravit pro defunctis aliisque absolutis de more ritibus factisque sequentibus ordinationibus, hanc ecclesiae parochialis, cleri et populi Desentiani visitationem confecit. Ordinata. Operculum pixidis maioris restauretur et ita aptetur ut connexum cuppae omnino sit – crania arrida mortuorum omnino statim sepeliantur – vasculum stamneum olei infirmorum aptetur ad formam cocleae – confessionalibus ponatur pagella casuum resservatorum ex parte confessarii et aliqua devota imago ex parte poenitentium – illud proximum altari sanctae Catherinae martyris muniatur cratibus novis cum foraminibus spissis – sarciatur vel renovetur crates confessionali prope altare sancti Antonii patavini positum – suspenditur confessionale quod est ante altare sancti Antonii – firmetur illud ante altare sancti Michaelis – crates novae ponantur confessionali prope altare sancti Michaelis |**88**^{v}| in cornu evangelii – sarciatur et firmetur confessionale prope ipsum altare sancti Michaelis in cornu epistolae – provideatur de stollis violaceis pro confessariis, quibus prohibetur ne hoc sacramentum poenitentiae administrent sine stollis – in libris status animarum in partitis addatur aetas cuiusque parochiani

nec non describatur qui sint confirmati – in libro vero congregationum describantur accuratius acta congregationum et praesertim casus et eius definitio praecipuis rationibus fulcita. Egressus ex ecclesia, rhedam cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus conscendit ac, praecedente cohorte equestri militum superius recensita et deputatis aliisque ex principalioribus huius communitatis nec non domino archipraesbytero multisque ex clero subsequentibus, iter aggressus est Maguzanum versus, ad cuius fines iterum officia cleri et deputatorum Desentiani excepit. Iis postquam perhumaniter respondisset, obvium habuit reverendum patrem dominum Ludovicum Coffani, monacum congregationis cassinensis, curatum ecclesiae parochialis Maguzani praedicti, superpelliceo et stolla indutum populumque subiectum eidem parochiae, ordine processionis incedentem et, ab eodem domino curato obsequii officio peracto, iter continuavit usque ad monasterium, in quod ingressus, |**89**| ex rheda descendit ibique ab admodum reverendo domino Placido Paccanoni, rectore eiusdem monasterii, quod est de ratione abbatiae Sancti Benedicti de Mantua, et ab aliis monachis in eodem monasterio degentibus omni humanitatis ac devotionis officio exceptus fuit et in cubiculum reverendi domini curati perductus, in quo, cum paululum quievisset, sumptis vestibus suis cum rochetto et convocato populo in ecclesiam parochialem praedictam, quae est sub titulo Assumptionis beatae Mariae Virginis et est consecrata, cuius consecrationis anniversaria dies celebratur 23 octobris, ad portam monasterii descendit ibique sub baldachino exceptus, crucem sibi a praedicto reverendo domino Ludovico Coffani curato oblatam osculatus est et in ordine processionis in ecclesiam ingressus, solitam thurifictaionem in limine portae maioris a praedicto reverendo domino curato accepit et, decantatis antiphonis ac ritibus ut in pontificali expletis, in altari maiori populo suam benedictionem impartitus est ac indulgentiam episcopalem publicandam mandavit.
[A margine: MAGUZZANO] Exequias deinde pro defunctis tum in ecclesia tum in coemeterio pontificalibus paramentis indutus absolvit ac coemeterium ipsum, cancellis clausum, visitavit. Albis deinde paramentis assumptis, ad visitandum sanctissimum Eucharistiae sacramentum contendit et, genuflexus ante altare maius et extracta a tabernaculo sacra pixide a reverendo domino curato, hymno et thurificatione ipsum divinum Sacramentum |**89**^{v}| surrexit illudque visitavit viditque hoc Sacramentum servari in tabernaculo marmoreo, optima forma constructum riteque paratum et in pixide argentea custodiri, suo conopeolo detecta claudique ipsius tabernaculi ostiolum tuta sera et clavi argentea. Vidit amigdalam argenteam qua defertur ad infirmos quoties longius est iter. Interrogavit reverendum patrem curatum quot sint eius parochiani et quot communione sint capaces responsumque fuit ab eodem animas eius paroeciae subiectas omnes esse 156, ex quibus communicant huic Sacramento 97, ut ex pollicea ab ipso reverendo patre curato exhibita et infra posita ad litteram E et ex his nullum adesse scandalosum, haereticum, usurarium, concubinarium publicum aut praecepto ecclesiae innobedientem. Cognovit etiam ex eodem hoc Sacramentum semel in hebdomada aestivo tempore et bis ad summum in mense tempore hyemali ab eo renovari distribuique schedas communicatis in Paschate ac ipsas colligi et adesse baldachinum, fanalia, umbellam aliasque neccessarias suppellectiles pro eo deferendo ad infirmos, quae omnia vidit et visitavit. Huius Sacramenti visitatione absoluta, ex altare descendit ac iterum thurificatione et hymno venerato eodem Sacramento, cum ipso postea populo benedixit |**90**| et successive eidem Panem hunc divinum distribuit. Posthaec missam celebravit eaque absoluta, iterum eumdem Panem petentibus tradidit. Chrismate nullos perunxit eo quia parochiani huius loci, ex consensu ipsiusmet illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi, Desentianum a praedicto reverendo patre curato moniti convenerunt ibique hoc sacramento peruncti fuerunt. Visitavit etiam olea sancta, quae in cornu evangelii altaris maioris in custodia panno serico violaceo intus vestita servantur, super cuius ostium descriptio apparet in haec verba: *Olea Sancta*. Vidit vascula, in capsula ex nuce posita stamnea, quibus excipiuntur praedicta olea sancta, ut asseruit idem reverendus pater curatus, modo ad ecclesia parochiali Leonati, modo ab illa Patingularum. Vidit etiam vasa quibus servantur praedicta olea, scilicet cathecumenorum, Chrismatis et infirmorum, argentea rite instructa. Deinde ad fontem baptismatis se contulit, positum in cappella eiusdem ecclesiae prope ianuam maiorem a parte evangelii, rastris ferreis circumseptum et decenti forma constructum, quem visitavit nihilque deesse vidit neccessarium ad baptismi sacramentum ministrandum. Visitavit unicum quod existit in hac ecclesia confessionale et rite instructum cognovit, cum imaginibus sacris a parte poenitentium et pagella casuum resservatorum |**90**^{v}| a parte confessarii. His peractis dispositisque seorsim maribus et foeminis, scholam doctrinae christianae visitavit et ex interrogationibus iisdem factis dilucide cognovit eorum peritiam circa res fidei et praecepta divina nec non reverendi patris curati solertiam et charitatem qua usus est in ipsis instruendis, ex quo plurimum ipsum comendavit suasitque ut in hoc tam neccessario opere continuo deinceps quoque adlaboraret. Dimisso populo, exhibitos libros curae animarum a praedicto reverendo patre curato vidit et visitavit nihilque super his ordinandum censuit. Exhibuit etiam idem reverendus pater curatus mandatum ad curam animarum huius

loci exercendam, uti praesentatus illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi nomine reverendissimi patris abbatis Sancti Benedicti de Padolyrone, quod illi concessum fuit ab hac curia episcopali ad annum die 11 maii 1740 et confirmatum postrema vice die [*manca*] maii anni proxime elapsi. Vocata successive comparuit Dominica uxor Andreae Cavagnini, obstetrix in hac paroecia, quae a reverendissimo domino provicario generali examinata, se aptam ad baptisma conferendum in neccessariis casibus ac in rebus religionis satis instructam praesetulit. Sumptis propterea fidedignis informationibus de diligentia in proprio officio aliisque et cetera, suprascripti reverendi patris curati suprascripti, optime se gerere in omnibus fuit responsum. |**91**| Quibus absolutis factisque infrascriptis ordinationibus, in monasterium receptus paulo post sumpsit prandium et a reverendis patribus rectore, curato monachisque omnibus plurima obsequii ac humanitatis argumenta sibi collata expertus est. Ordinata. Provideatur de umbella albi coloris pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos – vascula stamnea pro oleis sanctis fiant ad modum cocleae, ne olea ipsa perfluant. Die antedicta 5 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus antistes, post prandium et post quietem cui parumper indulsit, ad visitandam ecclesiam et populum Patingularum se disposuit ac iterum in parochiali ecclesia Sanctae Mariae Maguzzani ingressus, porrectis ante divinum Sacramentum precibus, oravit pro defunctis et, expletis caeteris ritibus, visitatione huius curae et populi complevit. Deinde ex ecclesia egressus comitatusque tum a reverendo patre rectore cum a reverendo patre curato aliisque monachis, ad fines Maguzani perexit ibique praedictorum monachorum officiis cum benigne respondisset, se se ad deputatos spectabilis communitatis Patingularum, qui illuc cum frequentissimo populo manebant, convertit et a domino Octavio Griffi deputato praedictae communitatis summa veneratione sua et sui populi obsequia oblata fuerunt, quae cum humanissime idem illustrissimus et reverendissimus praesul excepisset, iter suum |**91**^{v}| prosecutus est, praecedentibus militibus eius loci, timpanisque pulsantibus, ac pueris vexilla per aerem volutantibus et subsequentibus supradictis dominis deputatis et principalioribus loci eiusdem. Dum nom procul accessisset ad locum Patingularum, admodum reverendus dominus Gaspar Invernicci, archipraesbyter ecclesiae parochialis Sancti Emiliani de Patingulis, superpelliceo et stolla indutus et clerus ipsius loci cum superpelliceis in ordine processionis se se illi obvios obtulerunt, a quibus veneratus iisdemque praecedentibus, ex rheda descensus se se ad domum parochialem contulit ac in cubiculum decenter . sibi paratum se recepit in eoque incoenatus obdormivit.

[A margine: PADENGHE] Die lunae 6 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, orto iam sole, ecclesiam parochialem antedictam, alias sub titulo Sanctae Mariae nunc Sancti Emiliani, de Patingulis visitaturus a domo parochiali discessit, in cuius egressu crucem sibi oblatam a domino archipraesbytero pluviali induto super pulvinaribus stratis genuflexus deosculavit receptusque sub baldachino, a quatuor principalioribus loci gestato, processionaliter praecedente clero, ecclesiam adivit; quo perventus, in limine portae maioris ipsius ecclesiae thurificationis honorem triplici ductu ab eodem domino archipraesbytero recepit; in eadem ecclesia progrediens, ante altare maius paulisper oravit, quod subinde, decantatis prius decantandis et servatis de more ritibus a pontificali praescriptis, ascendit, ex quo publicata de suo mandato indulgentia episcopali, populo |**92**| benedixit. Ad thronum a latere evangelii sibi paratum venit ubi, violaceis paramentis indutus, assistentibus in dalmaticis reverendis dominis Faustino Bertantia et Laurentio Brognoli sacerdotibus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio, quod etiam visitavit, absolvit. Violaceis exutus indumentis albisque assumptis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in tabernaculo ligneo in pixide argentea sub sera et clavi tute servatum. Vidit aliam pixidem ex cupreo inauratam et tertiam parvulam pro eodem augustissimo Sacramento ad infirmos deferendo, quas rite instructas invenit. Ex perquisitionibus factis, comperuit hoc Sacramentum statis temporibus renovari; processionem fieri in die sanctissimi Corporis Christi et qualibet tertia dominica mensis et haestivo tempore antequam huiusmodi processiones fient, fieri expositionem ac etiam in die dominica Palmarum fieri eamdem expositionem quadraginta horarum spatio. Societas sanctissimi Sacramenti in hac ecclesia errecta, de qua infra et cetera, de neccessariis providet pro decenti aassociatione ipsiusmet augustissimi Sacramenti. Vidit ostensorium radiatum, quod custoditur a procuratoribus huius parochialis ecclesiae. Sub hac cura subsunt animae a communione 675, in |**92**^{v}| totum vero sunt 1001 ut ex pollicea quam, una cum alii,s reverendus dominus archipraesbyter, parendo mandatis, obtulit, in fine huius libri repositam ad litteram F. Nulli sunt qui non obediant praecepto communionis in Paschate; aliqui tamen ex confratribus societatis sancti Ioannis decolati huius loci communionem non sumunt in hac parochiali ecclesia. Vidit baldachinum, umbellam, fanalia aliaque neccessaria pro decenti associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos. Hisce peractis, populo benedixit ac tercentum circiter utriusque sexus christifidelibus idem augustissimum Sacramentum ministravit. Reposito eodem sanctissimo Sacramento, sacerdotalibus indutus paramentis sacrosanctum missae sacrificium peregit, quo absoluto, nonnullos etiam

utriusque sexus christifideles divino Sacramento cibavit. Quibus expletis, properata iam hora, in aedes parochiales se recepit ac prandium sumpsit. Die antedicta 6 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, datis iam signis convocatisque utriusque sexus discipulis et operariis scholae doctrinae christianae in ecclesia parochiali antedicta, seorsum maribus et feminis divisis, ad eamdem visitandam descendit factaque ante altare maius oratione, incepit pueros interrogare et prosecutus est illos ac puellas |**93**| deinde per se interrogando cognovitque in primis omnes esse sedula cura ac pietate eorum domini archipraesbyteri in religionis divinae praeceptis articulisque instructos, ut quam maxime zelum et solertiam eiusdem domini archipraesbyteri probaverit laudaveritque. Sedit deinde in throno suo et sex pueri delecti ante ipsum se se obtulerunt, a quibus audivit mirum in modum memoriter alternatim recitatam catechesim, quam ipse nuper typis tradidit, ex quo plurimum consolationis atque gaudii accepit, videns opus a suo zelo promotum non modo hisce in partibus amplectum iam esse, verum etiam executum. Dimissis paterna benignitate pueris ac caeteris discipulis, ecclesiasticos aliosque operarios ad se vocavit ac ab illis cognovit methodum quo christianum huiumodi opus exercetur librosque exhibitos observavit nihilque praecipiendum censuit, quod omnia rite recteque ad puerorum profectum agerentur; magnopere tamen hortatus est praedictos omnes ne ab hucusque peracto opere deficerent, sed in dies magis emularentur, ut res tanti momenti sancte pieque perficeretur. His etiam dimissis, ad visitanda olea sancta descendit, quae vidit servari in custodia posita in cornu evangelii, sera et clavi tute munita. Vidit vascula stamnea quae mittuntur ad excipienda ipsa olea a cathedrali posita in capsula ex nuce recte confecta. Vidit vascula oleorum |**93^{v}**| pro baptismate et vascula olei infirmorum, quae sunt itidem stamnea. Perexit ad fontem baptismalem, qui est in capella prope ianuam maiorem in cornu evangelii; vidit et visitavit fontem ipsum et omnia quae ad Baptismum ministrandum pertinent. Accassit postea ad visitanda duo confessionalia, quae existunt in hac ecclesia pro excipiendis utriusque sexus christifidelium sacramentalibus confessionibus. Regressus est ad altre maius ac illud visitavit, quod est marmoreum in mensa, in caeteris partibus ligneum inauratum cum portatili. Hoc altare est de ratione huius communitatis, a qua manutenetur, exceptis cereis et oleo pro lampade, quae semper ardet ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, pro quibus providet dominus archipraesbyter. In tertia tamen dominica cuiusque mensis cerei suppeditantur pro hoc altari a societate sanctissimi Sacramenti. In tabernaculo, et in custodia superiori servari consueverunt reliquiae ex ligno sanctae Crucis et ex indusio beatae Mariae Virginis easque vidit et visitavit in theca argentea repositas, duplici crystallo munita, alias in hac curia episcopali recognitas et approbatas sub die 28 augusti 1731, quas cum suo sigillo et authenticis litteris munitas viderit, recognovit ac thurificatione aliisque ritibus veneratus est. Huic altari nulla adnexa est obligatio missarum, sed in eo celebrat dominus archipresbyter; et diebus festis missam applicat pro populo. |**94**| Visitavit altare Corporis Christi, de ratione societatis eiusdem tituli, cum mensa marmorea, in reliquis partibus ligneum inauratum, cum icone depicto, qui rappresentat Christum depositum a Cruce. Societas ista antiquitus canonice instituta asseritur, prout apparet etiam in praecedenti visitatione anni 1712. Redditus eiusdem, qui dicebantur in citata visitatione librarum 1200, nunc vix superant libras mille, quia capitalia minori censu modo investiuntur quam olim investiebantur. In hoc altari plures missae celebrantur, eaedem quae recensentur in praedicta visitatione 1712 et adimpletur onus partim a reverendo domino Ioanne Lunetti, celebrante missas quinque in hebdomada et a reverendo domino Iosepho Salodino, qui tres earum in hebdomada celebrat. Confratres nesciunt quibus ex legatis vel institutionibus huiusmodi missarum obligationes processerint, sed eas adimplere faciunt consuetudinem servantes; quapropter illusrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit ut diligenter accurateque earum obligationum institutores perquirant, ad hoc ut piis mortuarum dispositionibus non confuse sed distincte et ex conscientia adimpleatur. Hisce habitis, illusrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in antedictas aedes parochiales se recepit, quieti se tradidit et incoenatus obdormivit. Die martis 7 maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus antistes, prima luce consurges, ad ecclesiam |**94^{v}**| antedictam se contulit et in ea, pia praemissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrifitium celebravit, quo absoluto nonnullos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit et quamplures sacro Chrismate perunxit. Dum haec agerentur, reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda infrascripta oratoria. [A margine: visitatione di Santa Elisabetta] Et primum visitavit oratorium campestre infra limites paroeciae Patingularum positum in contrata Pratellarum, sub nuncupatione Beatae Virginis Mariae et sanctae Eurosiae virginis et martyris, cum mensa ex muro, palio ex corio aurato et portatili; coetera eius partes ligneae consurgunt in altari, quod unicum habet hoc oratorium, cum icone qui rappresentat visitationem beatae Virginis Mariae et imaginem eiusdem sanctae Eurosiae. Oratorium istud et altare fuit errectum auctoritate episcopali, ut ex mandato concesso sub die 15 aprilis 1720, cum conditione quod parochus Patingularum in ipso oratorio tamquam in propria ecclesia omnia disponere et ordinare debeat et valeat, de

sufficienti vero dote provisum, prout apparet ex mandato huius curiae episcopalis diei 18 octobris 1723, quo concessa fuit licentia celebrandi primam missam. Huic altari et oratorio nulla adnexa est obligatio missarum nisi in die sanctae Eurosiae una missa iuxta intentionem reverendi domini Francisci Bertazzi, Sancti Felicis Riperiae nunc hic degentis, |**95**| pro qua assignavit, agens pro se, suorum patruorum, haeredum et successores et omni meliori modo et cetera, unam petiam terrae descriptam in instrumento assignationis die 10 maii 1723, in actis quondam domini Ricciardi Bertantia, cum onere manutenendi suppellectiles sacras neccessarias pro dicto oratorio, quam assignationem cum acceptaverint electi huius viciniae, se obligaverunt, etiam nomine ipsius viciniae, exequi iniuncta onera, scilicet faciendi celebrare unam missam in die sanctae Eurosiae et praedictas suppellectiles providendi et manutenendi ac propterea describendi in lapidem obligationes assumptas; retro altare in prospectu chori apparet descriptio lapidea in haec sequentia verba: "Obligo d'una messa perpetua il giorno di santa Eurosia per la casa Bertazzi di San Felice – 1726". Praeterea sub die 26 ianuarii 1731 dominus Petrus Ruffetti quondam domini Gaudentii, civitatis Brixiae, suo et domini Hippoliti fratris sui nomine, assignavit aliam petiam terrae huic eidem oratorio, descriptam in instrumento supradictae diei et anni, in actis domini Ioannis Baptistae de Tonellis, notarii brixiensis, cuius redditus essent impendendi pro beneficio eiusdem oratorii, prout melius videbitur praessidentibus oratorio ipso, salvo quod, si ex eisdem redditibus missae celebrarentur, praeferatur ad ipsas celebrandas reverendus dominus Ioseph Salodinus et praesbyteri qui futuri erunt eius familiae, pro ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum. |**95**^{v}| Visitavit sacristiam, in cornu evangelii constructam et in ea paramenta ut in policea exhibita et infra ad litteram F reposita, omnia bene tenta. In hoc oratorio celebrat reverendus dominus Proculus Salodinus, ex devotione. Ordinata. Portatile altaris provideatur de tela cerata, qua cooperiatur – illius rimulae obturentur – apponantur in sacristia scitula seu labrum cum manutergio ad abluendas et abstergendas manus sacerdotum. Quibus habitis et coetera. [A margine: Sant'Emiliano] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sancti Aemiliani infra limites Patingularum, quod olim erat antiqua parochialis ecclesia, quae confertur in bullis cum titulo Sancti Aemiliani, nec non Sanctae Mariae. In hoc oratorio unicum extat altare, cum mensa marmorea et portatili: habet iconem a Paulo Farinato depictum, ut apparet etiam ex inscriptione in calce eiusdem posita in haec verba: "Paulus Farinatus Veronensis fecit 1584", qui tamen ita male custoditum fuit ut multum detrimenti passum fuisse dignoscatur. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed aliquando populus huc convenit pro sua devotione et missae celebrantur. In hac ecclesia est beneficium simplex clericatus nuncupatum, |**96**| cuius titulus Sanctae Mariae et Sancti Iuliani sive Sanctorum Iuliae, Viti et Modesti, cuius rector modo est reverendus dominus Vincentius Gialdi, sacerdos de Desentiano, cum litteris apostolicis et mandato executivo diei 12 iunii 1741. Ordinata. Exequantur ordinationes factae in praecedenti visitatione anni 1712, claudendo altare a lateribus, elevando aliquantulum portatile, ponendo ramatam ad occulum oratorii, errigendo sacristiam, cum omnibus ad sacrum faciendum neccessariis – altare provideatur de candelabris, de vasculis cum floribus, quae sint decentiora – tectum interius ecclesiae ita efformetur et aptetur ut tegulae et rudes trabes ad modum caulae non appareant – icon sarciatur et accurate exornetur, qui esset transferendus ad aliquod altare parochialis ecclesiae propter eiusdem valorem et excellentiam et eius copia hic ponenda. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Rocco] Visitavit etiam publicum oratorium Sancti Rocchi, de ratione communitatis, intra fines dictae parochialis ecclesiae de Patingulis, cum unico altari cum mensa marmorea et portatili, palio ex corio cum imagine sculpta lignea sancti Rocchi circum capellam eiusdem altaris depictae conspiciuntur imagines sanctorum, quae indicant aetatem seculi 1300. In hoc altari celebratur una missa in feria quinta cuiuslibet |**96**^{v}| hebdomadae et procuratores ecclesiarum huius communitatis dant stipem ex redditibus suffragii, quod est adnexum altari eiusdem tituli in ecclesia parochiali huius loci. Haec missa celebratur ex antiqua consuetudine, fortasse ex legato aut alia pia dispositione, per reverendum dominum Franciscum Zuliani amovibiliter electum a communitate. Vidit a parte epistolae armarium ligneum, in quo aliqua paramenta servantur. Ordinata. Exequantur ordinationes postremae visitationis 1712 de errigenda sacristia ac providenda de neccessariis, de speris apponendis ad fenestras. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria della Torricella] Visitavit denique publicum oratorium sub invocatione Beatae Virginis Mariae nuncupatum *della Torricella*, infra limites parochialis ecclesiae Patingularum, de ratione societatis Conceptionis beatae Virginis Mariae, errectae in ecclesia parochialis huius loci, a qua fit celebrari singula quaque quarta feria et sabbatho missam ex legato quondam Ioannis Mariae Desiderati, stipe triginta solidorum pro quaque missa et haec obligatio adimpletur per reverendum dominum Franciscum Zuliani tamquam de vocatis a testatore praedicto. Unicum habet altare cum mensa marmorea et portatili, palio ex corio, in caeteris partibus ligneum. Super gradus sunt imagines sculptae ex ligno: in medio |**97**| beatae Virginis Mariae sub crystallis, sanctae Annae et sancti Ioachim a lateribus. In superiori parte est icon depictus, in cuius calce est haec inscriptio. "Zanmaria Desiderati fece

fare per sua divotione 1614". Retro altare est locus sacristiae, in quo est armarium ex nuce, ubi servantur suppellectiles pro sacrificio peragendo. Hoc oratorium custodit Felix Bortolameidi, qui inhabitat domum contiguam et electus est a societate praedicta. Ordinata. Exequantur ordinationes postremae visitationis anni 1712 de ponenda scitula seu labro et manutergio in sacristia – elevetur portatile et adducatur ad pectus celebrantis – locus in quo sedit imago beatae Virginis sub crystallis ut supra ita caute aptetur ne sint foramina aut rimae per quas pulvis et sordes penetrent super ipsam imaginem, aut mures addeant, aut eam corrodeant – addantur missali missae recentiores sanctorum – fiat paramentum nigri coloris – in ecclesia hac ad fenestras iuxta ianuam ponantur ramatae ferreae et sperae vitreae. Quibus habitis, ad aedes parochiales reveresus est, in quibus etiam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus se recepit, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 7 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus ecclesiam parochialem praefatam |**97**^{v}| iterum adivit, in qua, praemissa adoratione divino Sacramento, centum circiter utriusque sexus christifideles sacro Chrismate linivit et subinde visitavit altare Suffragii nuncupatum, de iure huius communitatis, cum mensa marmorea super murum constructa, cum palio ex serico et portatili; ceterae eius partes ex ligno sunt habetque iconem in quo rappresentantur angeli recipientes animas ex purgatorio et illas transferentes ad Sanctissimam Trinitatem. In hoc altari communitas ex redditibus obnoxiis huic altari, qui sunt valoris librarum 500 circiter, quinque missas in hebdomada celebrare facit ad adimplendas obligationes huic eidem altari relictas et adimplet onus istud reverendus dominus Franciscus Dainesi, cappellanus ab ipsa communitate amovibiliter electus. Super gradum huius altaris extant in tribus arcis ligneis cum crystallis reliquiae quorumdam sanctorum martyrum, descriptae in praecedenti visitatione anni 1712 quas, sui praedeccessoris decretis inhaerendo, cum careant sigillis et autenticis documentis, in sua veneratione permanere mandavit. Altare Sanctissimae Trinitais ex muro constructum, cum mensa marmorea et portatili atque icone depicto in quo, praeter imagines Sanctissimae Trinitatis, est imago sancti Antonii patavini, in cuius calce haec conspicitur inscriptio: |**98**| "Aram hanc plastica ars exornavit, aere vero suo instauravit – reverendus Balthassar Terrarolus, primus familiae sacerdos, 1694". Hoc altare errectum fuit a quondam Balthassare Terraroli, huius loci, auctoritate Danielis Lisca vicarii generalis huius episcopatus, exequendo intentionem Laurentii Terrarolo infrascripti expressam in eius ultima voluntate, pariter infrascripta, ut constat ex actu concessionis autentico diei 26 martii 1619, exhibito, viso et restituto. Altare hoc est de iure eiusdem familiae Terraroli, cui altari relicta fuit missa quotidiana a praedicto quondam Laurentio Terraroli, in eius testamento diei 15 septembris 1618, in actis Valerii Maximi notarii Paduae, quae redducta fuit auctoritate apostolica a felicis memoriae Marco Iustiniano episcopo veronensi, uti executore brevis apostolici diei 22 martii 1634, ad unam missam quolibet die festo de praecepto nec non ad aliam ferialem quacumque hebdomada, prout constat ex actu autentico ipsius redductionis ibidem ostenso, viso et restituto. Alia est obligatio relicta a quondam Lelia Corsina, vidua quondam Antonii Corsini huius loci, in suo testamento diei 10 novembris 1690, in actis quondam domini Leonelli Dainesii notarii, duarum missarum qualibet hebdomada, pro quibus legavit quamdam petiam terrae quam dominus Ioannes Baptista Terrarolo, qui successit in officio commissarii domino Bartholomaeo eius patri, instituto a praedicto testatore, vendidit subasta praecio ducatorum 650 reverendus domino Balthassari Terrarolo, quod praetium cum praesenti pecunia non solverit, emptor ipse se obligavit |**98**^{v}| solvere annuum livellum in ratione quinque pro centenario et cetera et prout apparet ex instrumento diei 26 iulii 1713, in actis domini Amistani de Amistanis, notarii in forma autentica, exhibito et in fine huius libri ad litteram F reposito. Haec obligatio adimpletur a reverendo domino Silvestro Terraroli tamquam uno de vocatis a praedicta testatrice et uti ad praesens commissario et executore eiusdem piae dispositionis. Visitavit subinde altare sanctorum Ioseph et Francisci Xaverii, quod est ex muro, cum portatili et caeterae eius partes plastica arte ex gypso constructae, de ratione huius communitatis. In hoc altari est obligatio missarum ex legato quondam Petri Bergomi, qui ultimam suam voluntatem declaravit in suo testamento diei 14 aprilis 1699, rogato in actis domini Amistani de Amistanis notarii, viso, lecto et restituto et iussit ut celebrarentur a sacerdotibus familiae Bergomi ibidem et, iis deficientibus, ab illo sacerdote qui eligetur a domino archipraesbytero, missae sex in anno die quacumque beatae Virginis Mariae. Haeredes Bergomi in executionem praedictae piae dispositionis cesserunt et assignaverunt spectabili communitati huius loci capitale librarum 425 parvularum, ad hoc ut ab ipsamet communitate onus praedictum nec non iuxta intentionem et cetera duodecim missae quot annis praedicto altari celebrari fierent, quam obligationem spectabilis communitas assumpsit, ut apparet ex instrumento diei 9 ianuarii 1741, in actis domini Petri Amistani notarii et ad praesens obligatio huiusmodi adimpletur a communitatae, a qua |**99**| datur stips librarum 18 domino archipraesbytero pro faciendo celebrare dictas missas, quae celebrantur. Praeterea dominus archipraesbyter asseruit huic altari relictum fuisse capitale centum scutorum de libris septem a

quondam Laura Arrigotti, ut ex eius fructu tot missae celebrarentur quot celebrari possent, habita ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque, pro quibus ipse dominus archipraesbyter adimplet. Capitale autem huic officiaturae obnoxium nunc est investitum in persona et bonis domini Bartholomaei Guerrini de hoc loco, cuius redditus est scutorum quatuor de libris septem, ut constat ex instrumento livelli diei 5 ianuarii 1737 in actis domini Petri Amistani, notarii huius loci. Anno 1727, die 9 iunii Hieronymus Zelotti huius terrae haeredem instituit hoc altare ad hoc ut, ex fructu eius haereditatis adminitrandae a procuratoribus ecclesiae, tot missae celebrarentur quot possent celebrari pro suffragio animae eius et suorum defunctorum. Procuratores ecclesiae, piam dispositionem exequendo, solutis debitis haereditatis et legatis, residuum haereditatis eiusdem, quod consistit in libris 1680, investiverunt primum in bonis domini Angeli quondam Francisci Rassae et deinde in bonis Ioannis Baptistae Pirli de hoc loco, pro ratione quatuor pro centenario, ex quibus percipitur annuus redditus librarum 67.4, ut constat ex libro foris inscripto "Heredità Zelotta 1734" viso et restituto. Onus missarum adimplet reverendus dominus Ioannes Baptista |**99**^{v}| Amistani, habita ratione eleaemosinae manualis praedictae. Demum est obligatio celebrandi in hoc altari tot missas quot sunt redditus capitalis librarum 265, efformati ex bonis venditis quondam Ioannis Baptistae Bianchi quondam Livii, qui – ut asseritur – hanc obligationem instituit, prout etiam relevatur ex supra relato libro, viso et restituto. Huius capitalis fructus est librarum 13.5 et illum solvit reverendus dominus Ioannes Lunetti, in cuius bonis capitale praedictum est investitum, cum instrumento in actis domini Petri Amistani notarii diei 28 ianuarii 1741, ut in eodem libro enunciatur et onus adimplet praedictus reverendus dominus Ioannes Lunetti. Visitavit altare sancti Laurentii, de ratione dominorum reverendi Petri et excellentis Laurentii de Zadeis, a quibus manutenetur; habet mensam marmoream cum portatili, caeteras vero partes ligneas. Vidit in hoc altari sacram reliquiam, nempe caput sancti Iucundi martyris, sigillis et documentis autenticis munitam, quam recognovit et deveneratus est. In hoc ipso altari adest obligatio unius missae in hebdomada, ex legato quondam domini Francisci Mariae pariter de Zadeis, cui satisfit. Altare sanctorum Sebastiani, Christophori, Donati et Antonii abbatis, de iure familiae dominorum de Boffinis, in mensa marmoreum, in reliquis partibus ligneum, cum portatili et icone excellenti arte depicto, in cuius corona in parte inferiori est haec inscriptio: |**100**| "Pietate Ioannis Buffini, sumptu filiorum et eiusdem, Zenone veronensi pictore calendis decembris 1542". Eo tempore errectum coniicitur; nam parte dextera eius inscriptionis est stema sanctae memoriae Ioannis Mathaei Giberti, a quo fortasse concessa fuit eius errectio. In hoc altari est perpetuum simplex beneficium, cum onere missae quinque in hebdomada et ad praesens est rectror reverendus dominus Petrus Boffini, cum litteris huius curiae episcopalis diei primi augusti 1740 et praesentatus fuit a patronis, qui ius habent ad hoc beneficium praesentandi et adimplet. Altare Rosarii beatae Virginis Mariae, cum mensa marmorea super murum constructa, cum palio ex serico; caeterae partes ligneae sunt inauratae, cum portatili et icone depicto, circum quem depicta quoque sunt misteria eiusdem et est de ratione societatis sub ipso titulo, ut recognitum fuit in postrema visitatione 1712, ad quam et cetera. In hoc altari est officiatura quotidiana, instituta a quondam Stephanino quondam Baptistae Moreni huius loci, in eius testamento diei 4 aprilis 1628, in actis domini Ioannis Baptistae Dainesii notarii, cuius exemplum autenticum illustrissimus et reverendissimus praesul vidit, lexit atque restituit, pro qua officiatura reliquit societati sanctissimi Rosarii huius ecclesiae petias terrae et quaedam capitalia, in eodem testamento descripta, ad quod et cetera, cum onere et gravamine quod dicta societas teneatur celebrari facere ad altare ipsius missam quotidie perpetuis |**100**^{v}| temporibus et in infinitum. Qui sacerdos celebraturus teneatur in suis sacrificiis orare pro anima dicti testatoris, praedeccessorum suorum et totius familiae ac pro animabus omnium fratrum ipsius societatis; cum conditione quod sacerdos cappellanus celebret personaliter et non per substitutum et assistat divinis officiis et ad litanias recitandas diebus sabbathi in parochiali Patingularum, cum praelatione, quoad sacerdotes eligendos, eorum qui sint de eius familia, deinde qui sint de terra Patingularum admissi a reverendissimo ordinario ac demum, iis deficientibus, substituit sacerdotes forenses; electio vero sacerdotum iussit ut, cessante familia de Morenis, fiat a communitate et in consilio speciali eiusdem. Redditus bonorum relictorum ita distribui mandavit ut ex iis fiant et provideantur indumenta sacra et neccessaria de tempore in tempus casu neccessitatis; residui autem spectent ad sacerdotem celebrantem, a quo solvi debent expensae faciendae in instrumentis tam affrancationis quam investiturae pro parte spectante ipsi societati. In codicillo diei 6 aprilis 1628, in actis eiusdem Ioannis Baptistae Dainesii viso et lecto, confirmavit praemissa et addidit quod reverendus sacerdos celebraturus missam altari sanctissimi Rosarii, qui pro tempore fuerit, possit secundum indigentiam et occasiones accipere eleaemosinas missarum votivarum et a mortuis tam in terra Patingularum quam in terris |**101**| circumvicinis, cum fuerit invitatus, non obstantibus decretis sacrae congregationis, confirmatis a sanctissimo domino nostro papa Urbano octavo. Quibus stantibus, cum praesentatus fuerit reverendus dominus Michael Angelus Bertantia, modernus

cappellanus huius officiaturae, reverendissimo domino Francisco Santilia, vicario generali huius episcopatus, ac ab ipso approbatus fuerit pro cappellano perpetuo eiusdem officiaturae, instante domino Bartholomaeo Guerrini uti procuratore communitatis Patingularum, idem reverendissimus dominus vicarius generalis declaravit cappellanum ipsum teneri ad missam quotidianam celebrandam in parochiali Patingularum, exceptis missis votivis et a mortuis aliisque ut in declaratione ipsa existente in fillo collationum huius curiae episcopalis veronensis de anno 1731, ad quam et cetera. Haec ipsa societas ex oneribus sibi impositis celebrare facit in hoc altari quatuor anniversaria, celebranda diebus proximis post quatuor festivitates beatae Virginis Mariae, ut ex policea exhibita et infra posita ad litteram F. Altare Conceptionis beatae Virginis Mariae, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis ligneum auro linitum et cum palio ligneo quoque inaurato et icone excellenti arte depicto, de iure societatis eiusdem Conceptionis beatae Virginis Mariae; habet redditus et obligationes missarum descriptos in policea tradita et reposita in fine huius libri ad litteram F. Praeterea in hoc altari est obligato sex missarum in hebdomada, ex testamento quondam Lucretiae Guerrini, quae haeredem |**101**^{v}| instituit suorum bonorum cappellanum huius officiaturae et commissarios ab ipsa nominatos, cum facultate istis concessa sibi successores substituendi et ad praesens sunt domini Antonius Bertantia et Angelus Olivieri de hoc loco, a quibus capitalia obnoxia administrantur et erogantur, stipe sacerdoti celebranti inamovibiliter electo a commissariis praedictis, qui modo est reverendus dominus Faustinus Bertantia et adimplet. Et cum advesperasset, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in antedictis aedibus parochialibus diversatus est et incenatus pernoctavit. Die mercurii 8 maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus praesul summo mane ad ecclesiam parochialem antedictam reversus est, in qua, praemissis praemittendis, sacrosanctum missae sacrifitium obtulit aeterno Patri ac subinde eucharistico Pane nonnullos utriusque sexus christifideles cibavit ac petentes sacro Chrismate perunxit. Hisce peractis, visitavit chorum retro altare maius, in quo sunt exedrae ex nuce, eleganti forma constructae; vidit retro mensam sacrarium. Vidit sacristiam in eaque armaria distrincta, scilicet societatis Conceptionis, Rosarii, Corporis Christi et Suffragii nec non cappellaniae Guerrini, rectoriae Boffini et arcam de ratione cappellaniae Sanctissimae Trinitatis. Vidit etiam armarium domini archipraesbyteri, in quibus omnibus sacrae suppellectiles respective servantur pro missae sacrifitio et de quibus provident ibidem respective |**102**| societates, cappellanus et dominus archipraesbyter pro suo paeculiari usu, quae suppellectiles descriptae sunt in polliceis a suprascriptis exhibitis et infra sub littera F repositis. Suppellectiles pro cappellania sancti Ioseph servantur in armario domini archipraesbyteri et sunt eae in policea ut supra producta et reposita. Vidit prope sacristiam locum amplum et optima forma constructum, nondum tamem completum et perpolitum, qui tum ex communitatis liberalitate tum ex piorum eleaemosinis aedificatus fuit, in quem locum suppellectiles sacrae transferentur et eius usus erit pro sacristia. Vidit totam ecclesiam, quae est de iure huius communitatis et in ea suggestum, in quo concionatur feria secunda, quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae, praeter dies festos, tempore Quadragesimae et concionator eligitur a communitate huius loci, cui erogat stipem ducatorum 25 brixiensium et accipit ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi mandatum et benedictionem. Intervenientes orationi Quadraginta Horarum, quae fit in hac parochiali ecclesia, fruuntur indulgentia plenaria concessa vigore brevis apostolicis ad septennium dati die 28 ianuarii 1740, in hac curia episcopali approbati. Adest etiam privilegium altari sancti Ioseph pro anima cuiuscumque christifidelis pro feriis secunda et tertia cuiuslibet hebdomadae, preter diem Commenorationis Mortuorum et illius octavam, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 25 |**102**^{v}| iunii 1736, in hac episcopali curia viso et approbato. Vidit etiam decretum pro universis, concessum occasione tridui in hac parochiali faciendi die dominica sexagesimae cum duobus subsequentibus diebus, quo conceditur indulgentia plenaria etiam pro animabus defunctorum applicanda nec non quod omnes et singulae missae quae in dicto triduo ad quodcumque altare ipsius ecclesiae celebrantur pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, animae huiusmodi suffragentur et ut ex eodem decreto, dato Romae ad septennium die 28 novembris 1742, in hac curia episcopali viso pariter et approbato. [A margine: San Giovanni Decolato] Deinde se contulit ad visitandum publicum oratorium Sancti Ioannis Decolati, infra limites huius parochialis ecclesiae Patingularum; quo perventus, in limine portae ipsius oratorii, aspersorio accepto e manibus domini archipraesbyteri superpelliceo et stolla induti, se signavit et populum aspersit et, ad altare maius procedens, paulisper oravit. Hoc oratorium est de iure societatis eiusdem sancti Ioannis decolati, in quo duo sunt altaria. Et primum, visitavit altare maius, marmoreum in mensa cum portatili et palio ex serico; caeteras partes habet ex ligno et iconem qui rappresentat decolationem Praecursoris. In hoc altari celebrantur tres missae in hebdomada, una scilicet pro adimplendo legato quondam domini Iulii Barberii huius |**103**| loci, ex eius testamento diei 2 maii 1601 in actis domini Iulii Boffini notarii, ibidem viso et lecto, in quo legavit huic confraternitati libras 410 planeti, cum onere faciendi celebrare unam missam in

singula haebdomada pro anima sua et suorum defunctorum; aliae duae missae celebrantur partim pro adimplendo onere imposito a quondam Dominico Zadei, qui in suo testamento iussit ut celebrarentur hic octo missae pro quoque mense; sed, cum deinde huiusmodi legati adimpletio ommissa fuisset ab haeredibus, haeredes ipsi cessarunt et assignaverunt (medio instrumenti diei 3 novembris 1727 in actis domini Amistani de Amistanis notarii, visi et restituti) duo capitalia eidem confraternitati, unum ducatorum centum de grossis 31 pro quoque, aliud scutatorum centum de libris septem, ad hoc ut tot missae celebrarentur quot ex fructu eorumdem duorum capitalium possent celebrari iuxta eleaemosinam manualem triginta solidorum, stante qua cessione confraternitas onus acceptavit et facit adimplere, celebrare faciendo dictas duas missas, in quibus compraehenditur onus ipsum. Quae supersunt ex praedictis duabus missis, celebrare fiunt ex devotione ipsiusmet confraternitatis. Sacerdos cappellanus est reverendus dominus Ioseph Salodini, electus amovibiliter a societate praedicta. Altare sancti Ioseph, ex muro constructum et elaboratum, cum portatili et icone depicto, de ratione ipsius confraternitatis. |**103**^{v}| Haeres hoc altare institutum fuit a quondam domina Ursula relicta quondam domini Caroli Antonii Bertantia, in suo testamento diei 12 septembris 1730 in actis quondam domini Ricciardi Bertantia, ibidem ostenso, viso, lecto et restituto, cum onere ut, ex fructu eiusdem hereditatis, tot missae celebrarentur precise in hoc altari quot celebrari possent, habita ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum. Nunc fructus huius haereditatis consistit in libris 101, qui omnis erogatur pro stipe missarum cappellano reverendo domino Laurentio Brognolo, a testatrice vocato; nam in eodem testamento reliquit eidem confraternitati scuta quadraginta librarum septem pro quoque pro usu paramentorum. Vidit in hoc oratorio confessionale, de licentia domini archipraesbyteri tentum, prout etiam in praecedenti visitatione 1712. Vidit sacristiam et in ea paramenta iuxta policeam exhibitam, infra ad litteram F repositam. Redditus huius societatis sunt librae 560 circiter, ex quibus impenduntur pro satisfactione onerum praedictorum. Confraternitas in hoc oratorio est canonice errecta et aggregata fuit archiconfraternitati sancti Ioannis decolati de Urbe anno 1662 die 9 iulii, ut constat ex diplomate autentico, viso et restituto. Conveniunt confratres diebus festis mane et vespere in choro qui est supra portam maiorem eiusdem oratorii, ad persolvendas laudes beatae Virginis Mariae et alias orationes ex eorum institutione; conveniunt quoque ad processiones |**104**| huius loci et praesertim die quaque tertia dominica mensis dum fit processio cum sanctissimo Sacramento. Confratres nunc sunt ad numerum 28 et induunt vestes ex tela nigra. Ordinata. Portatile altaris sancti Ioseph transferatur ad pectus sacerdotis, quid elevetur rimaeque illius obturentur et cooperiatur tela cerata – confessionali ponatur imago pia ex altera parte poenitentis. Cum visitando sanctissimo Eucharistiae sacramento in parochiali ecclesia cognoverit aliquot ex his confratribus, quibusdam frivolis et inanibus rationibus deceptos, communionem paschalem non sumere in ecclesia parochiali nullaque petita licentia parochiali in hoc oratorio ut adimpleant praecepto paschali communicare, ut eorum saluti consuleret falsitatem eorum persuesionis declaravit monuitque illos ne ecclesiae praeceptum nullo vero privilegio suffulti derogarent, cum praeiudicio eorum salutis aeternae ac propterea monuit reverendum dominum Iosephum Salodinum, eorumdem cappellanum, ut abstineat mittere manum in messem spectantem ad archipraesbyterum et reminiscatur censurarum quas sacri canones cominantur contra administrantes sacramenta quae pertinent ad ius parochiale, decernendo contra ipsum et quoscumque alios sacerdotes |**104**^{v}| qui haec attentaverint processum, penis canonicis cohercendo ipsorum attentata. Hisce absolutis, in aedes parochiales saepedictas se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 8 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali in antedictis aedibus sedit, coram quo de suo mandato vocati comparuerunt: reverendus dominus Ioannes Franciscus Dainesi, sacerdos aetatis annorum 72 circiter. Reverendus dominus Dominicus Lunetti, sacerdos annorum 61 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 16 iulii 1742. Reverendus dominus Ioseph Salodini, sacerdos annorum 60 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 9 iunii 1742. Reverendus dominus Ioannes Maria Zuliani, sacerdos annorum 57 circiter. Reverendus dominus Michael Angelus Bertantia annorum 50 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 16 martii 1743. Reverendus dominus Faustinus Bertantia, sacerdos annorum 48 circiter. Reverendus dominus Petrus Boffini, sacerdos annorum 49 circiter. Reverendus dominus Laurentius Brognoli, sacerdos annorum 41 circiter. Reverendus dominus Franciscus Zuliani, sacerdos annorum 32 circiter. Reverendus dominus Silvester Terraroli, sacerdos annorum 32 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 16 maii 1743. |**105**| Reverendus dominus Marcus Antonius Trotti, sacerdos aetatis annorum 30 circiter. Reverendus dominus Bartholomaeus Zuliani, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Reverendus dominus Proculus Salodini, sacerdos aetatis annorum 27 circiter. Reverendus dominus Carolus Lunetti, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Clericus Ioannes Maria Giacomazzi, lector annorum 22 circiter, qui serio fuit admonitus ut fuggiat mulierum conversationes, ne

verba obscena proferat, ne conversetur cum saecularibus malae vitae et famae, protestans numquam ordinibus illum initiaturum nisi dilucide constiterit de omnimoda eius vitae et conversationis mutatione ac rescipiscentia. Clericus Antonius Porcelli, habitum clericalem gestantem, aetatis annorum 18 circiter. Comparuit etiam reverendus dominus Vincentius Gialdi, sacerdos de Desentiano, rector perpetui simplicis beneficii ecclesiastici clericatus nuncupati sub invocatione sanctae Iuliae in parochiali ecclesia Sancti Emiliani de Patingulis, qui ostendit littera apostolicas et mandatum executivum diei 1741, qui obtulit etiam policeam bonorum ipsius beneficii, infra repositam ad litteram F. Comparuerunt domini sindici et primiores huius loci et, interrogati circa vitam, mores, officium et ressidentiam admodum reverendi domini Gasparis Invernici archipraesbyteri nec non circa mores et respectiva officia supradescriptorum ecclesiasticorum ac demum |**105**^{v}| an hic sint aliqui scandalosi, publici peccatores, usurarii et huiusmodi, responderunt eorum archipraesbyterum laudabiliter suam curam parochialem exercere bonisque ipsum ac omnes ecclesiasticos vivere moribus et parochianis exemplo esse ad bene beateque vivendum; nullum vero in hoc loco adesse scandalosum, sed omnia recte procedere. Comparuerunt successive Dominica relicta quondam Stephani Bertazzi et Sancta uxor Caroli Zoia, obstetrices huius loci, quas examinavit circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis et sufficienter edoctas esse invenit. Venerunt subinde, vocati, Felix Bortolameidi, haeremita ordinis sancti Francisci, deputatus ad custodiam simplicis ecclesiae Beatae Virginis Mariae *della Torricella*, infra limites huius parochiae et Franciscus Spaventi, haeremita ordinis minimorum sancti Francisci de Paula, deputatus custodiae oratorii Sancti Ioannis decolati, infra limites huius pareciae Patingularum, qui eorum patentes litteras huius curiae obtulerunt et iisdem ipsas ad sex menses renovari mandavit. Posthaec antedictus admodum reverendus dominus Gaspar Invernici archipraesbyter praesentavit litteras collationis huius beneficii ad sui favorem expeditas et mandatum executivum diei 25 februarii 1736 nec non libros huius curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos bene tentos invenit. |**106**| Interrogavit subinde dictum dominum archipraesbyterum utrum quis ex eius parochianis scandalosis moribus vivat aut si publicus concubinarius, praeceptis ecclesiae inobediens aut aliquo dirimenti impedimento inretitus cohabitet cum ea quam nulliter duxit, et respondit neminem huius generis in eius paroecia – summa Dei miseratione – existere. Ut vero divinus cultus et huius loci spiritualis progressus in dies magis augeatur ac ut quot annis appareat impletum fuisse obligationibus missarum, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus sequens decretum, a se factum et subscriptum, publicari mandavit, tenoris infrascripti, videlicet: Decretum. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera dilectis nobis in Christo reverendis sacerdotibus et clericis terrae Patingularum nostrae veronensis diaecesis salutem et cetera. Ad vineam Domini visitandam missi ut evellamus quidquid eius incolumitati contrarium sit ac ut planctemus in ea edificemusque, omni solertia usi sumus ne huic officio, de quo aeterno summo Pontifici districtam rationem reddituri sumus, aliquando deficeremus, in id praecipue in visitanda hac Patingularum paroecia adlaboravimus, quae cum et ecclesiasticorum virorum exemplis sanctisque moribus adiuvetur et pietate omnium incolarum in primis fulgeat, charior nobis videtur portio gregis nostrae curae |**106**^{v}| commissi, sed ut in dies magis eiusdem gregis pietas ac devotio augeatur, vos venerabiles Christi sacerdotes ac ministri, per eius viscera hortamur ut, verbo et exemplo, ea sanctitate quae vos decet, studiose divinum cultum ac gregis istius salutem promoveatis. Docete igitur vos diebus festis doctrinam christianam pueros et abstinete ab omni specie mali cum sancti sitis, fugientes conversationem illorum, si qui sint, a quibus fortasse praebetur occasio ut vituperetur ministerium vestrum; ne vagemini in platea neve immoremini loquentes aut tractantes cum mulieribus; laici enim suos oculos in vos, veluti in scoppum, dirigunt, ut iam vos monuit optimus episcopus praedecessor noster Ioannes Mahaeus Gibertus. Habitus vester conveniat vestro caractheri, neve patiamini ut per vias aliquis vos videat absque huiusmodi habitu decenti ac praesertim clauso ad collum. Plurimae praedeccessorum nostrorum eaeque sapientissimae constitutiones prodierunt, quibus habitus forma praescripta iam fuit; vestrum est hisce parere, reminiscentes vos in sacro ordine vovisse episcopis vestris obedientiam. Divinum sacrificium ea religione qua par est Deo optimo maximo offerte et suffragia, quae ex oneribus vobis impositis defunctis debenturm persolvite, ne de vobis iterim quis dicat quod olim dictum fuit: comederunt sacrificia mortuorum. Haec ad vos, ministerii nostri coadiutores, |**107**| alloqui officii nostri ratio suasit. Satagite igitur et obedite; nam etiam praecipimus vobis in virtute sanctae obedientiae et vestram oneramus conscientiam, ut sedulam operam impendatis in docendo christianam doctrinam, in deferendo habitu decenti clauso ad collum ac in exequendis oneribus missarum quae suscepisti; praeterea decernimus ut in sacristia huius parochialis ecclesiae liber sit ad formam indicis factus, in cuius indicis locis distinctis describantur officiaturae seu onera singillatim et suo loco quilibet sacerdos obligatus respective ad onus

descriptum se sua manu subscribat toties quoties celebraverit, ad hoc ut appareat quomodo et an absolute compleverit assumptam obligationem. Si vero quis defecerit alicui supra a nobis praescriptae decretaeque ordinationi, quod vix timere possumus, eum nunc pro tunc canonice monemus et decleramus nos contra ipsum processuros et inflicturos poenas a canonibus praescriptas. In quorum fidem et coetera. Datum ex pastorali nostra visitatione Patingularum die 8 maii 1743. Ioannes episcopus veronensis. Quibus haitis factisque infrascriptis ordinationibus, in proprium cubiculum se recepit et incenatus quievit. Ordinata. Clavis tabernaculi fiat argentea – provideatur de fanali maiori et de umbella albi coloris pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos - |**107**^{v}| ornetur interior custodia oleorum sanctorum panno serico violaceo et ad ostium eiusdem custodiae renovetur haec inscriptio: *Olea Sancta* – vascula oleorum Chrismatis, cathecumenorum et infirmorum muniantur operculo ad cocleae formam elaborato – cancellis ferreis muniatur cappella baptisterii, quae nulli pateat nisi quando ministratur baptismus – ciborium super fontem ita aptetur ut rimae non adsint aperte, per quas pulvis aut huiusmodi in ipsum non penetret – confessionali a parte epistolae prope ianuam maiorem novae crates ponantur cum foraminibus spissioribus ac minoribus – confessionalibus ubi deest affigatur a parte paenitentium imago devota, a parte confssarii pagella casuum resservatorum – amoveantur reliquiae a tabernaculo altaris maioris et in alio altari et loco decenti reponantur – exequatur ordinatio in postrema visitatione de anno 1712 facta, de sarciando icone altaris Corporis Christi – portatile altaris Suffragii provideatur de tela cerata qua cooperiatur – provideatur de tela cerata pro cooperiendo altaris Sanctissimae Trinitatis – de tela cerata provideatur portatile altaris sanctorum Ioseph et Francisci Xaverii illiusque rimulae obturentur – cooperiatur portatile altaris sancti Laurenti tela cerata – deprimatur aliquantuluam portatile altaris Rosarii et illius |**108**| rimulae obturentur – altare Conceptionis beatae Virginis Mariae provideatur de novo portatili ad mensuram canonicam et claudatur altare ipsum a lateribus – eo loco pro usu sacrarii non utatur dominus archipresbyter sed alibi et in loco aptiori sacrarium fiat – provideatur a cappellano Suffragii, seu per quos spectat, de veste tallari pro missa celebranda – missalibus addantur missae recentiores sanctorum – prohibetur omnino sacerdotibus missas celebrare cum brevioribus vestibus cinctis ad renes ad formam vestis muliebris. Die iovis 9 mensis maii 1743.

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus summo mane surrexit a lecto ac paulo post sub baldachino, praecedente clero, ad ecclesiam parochialem se contulit ibique facta oratione ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum precibusque persolutis pro defunctis, visitationem ecclesiae parochialis Patingularum et eius totius paroeciae ad maiorem Dei gloriam absolvit. Qua absoluta et ex ecclesia ipsa egressus, rhedam una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus conscendit et, praecedentibus militibus huius loci, deinde populo ac clero in ordine processionis, subsequentibus autem sindicis, deputatis ac primariis Patingularum, iter agressus est Soianum versus, populo interim per vias collesque proximos frequentissimo difuso ac hic illic genuflexo suumque |**108**^{v}| pastorem devoto animo venerante, cum quo comitatu ad eius fines accessus, iterum communitatis Patingularum nomine, a deputatis venerationis ac gratiarum actionis officia excepit, quae dominus archipraesbyter eius loci, suo suique cleri nomine, replicavit; quibus cum amantissime respondisset, transgressus fines Patingularum, obvium habuit nobilem dominum Nicolaum Roveglia, deputatum a communitate Soiani, qui summa humilitate, eiusdem communitatis nomine, salutavit et obsequia sua et praedictae communitatis obtulit. Postquam vero huic humanissimis verbis illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus respondisset, progressus est ad terram usque Chizzolinarum, ubi est oratorium Sancto Carolo Borromeo dicatum, intra fines parochialis Soiani, praecedentibus semper militibus huius loci et subsequentibus praedicto deputato ac principalioribus ipsius communitatis equitantibus. Huc perventus, reverendus dominus Franciscum Amadori, ecconomum ecclesiae parochialis Sancti Michaelis de Soiano, una cum clero eiusdem loci, accedentem vidit audivitque suum gaudium de eius adventu declarantem; et postmodum, ex rheda descensus, ad visitandum [a margine: San Carlo di Chizzoline] oratorium praedictum Sancti Caroli accessit. Ingredienti ipsum oratorium oeconomus aspergillum porrexit, quo aqua lustrali idem illustrissimus et reverendissimus praesul incolis eius terrae et adstantibus benedixit. Tunc facta brevi oratione, ad ipsum oratorium visitandum perexit. |**109**| Hoc oratorium est de iure viciniae Chizzolinarum, a qua de omnibus manutenetur. In eo sunt altaria quae visitavit: maius scilicet, divo Carolo Borromeo dicatum, de iure pariter eiusdem viciniae, cum mensa marmorea cum portatili, palio ex corio et in reliquis ligneum, cum icone depicto. Huic altari est adnexa officiatura ex legato quondam Hieronymi Amadori, qui in suo testamento anni 1630, rogato a quondam domino Georgio Bazoli notario de Monica, cuius exemplum a sindicis eiusdem contratae exhibitum fuit, visum et restitutum, ordinavit ut, in casu quo eius haeredes deccesserint intestati sine liberis, ex eius hereditate celebraretur una missa in ecclesia Sancti Michaelis de Soiano singulo et quolibet die in perpetuum diebus feriatis tam de praecepto quam de devotione et in diebus

ferialibus dicatur et celebretur in ecclesia Sancti Caroli per unum sacerdotem idoneum, eligendum per viciniam de Chizzolinis; cui viciniae curam comisit pro dicta celebratione, instituendo ipsam commissariam bonorum suorum quoad executionem huiusmodi suae dispositionis, una cum reverendo rectore pro tempore, cum praelatione quoad sacerdotes eligendos de familia Amadori, qua deficiente vocavit illos qui fuerint ex familia de Painis. Altare sanctae Ursulae, de ratione familiae e Painis, cum mensa ex muro |**109**^{v}| cum portatili et reliquae eius partes sunt ex ligno. Ipsum provisum est de suppellectilibus tam ad eius ornatum quam ad sacrum faciendum a praedicta familia de Painis, quae suppellectiles describuntur in policea praesentata et in fine huius libri reposita sub littera G. Cum constiterit de neccessariis provisum esse ipsum altare ac de portatili ad mensuram canonicam, in eo ut celebretur concessum iam fuit, mandato huius curiae episcopalis anno 1725. Huic altari sanctae Ursulae relicta fuit officiatura quotidiana perpetua a quondam domino Antonio Paini, ut constat ex eius testamento diei 21 septembris 1701 ibidem ostenso, viso et restituto, rogato in actis domini Ioannis Mariae Ferrari, notarii de Puveniaco, in quo iussum etiam fuit ut ipsum altare errigeretur, sed filius eius domini Franciscus acceptavit haereditatem cum beneficio legis et ex decreto in actis domini Francisci Bartoli notarii diei 17 decembris 1706. Viso quoque et restituto post assignationem bonorum pro debitis eiusdem haereditatis, assignatus fuit locus primus quoad legata pro officiatura praedicta. Super quibus interrogavit dominos Iosephum et fratrem Paini, filios praedicti domini Francisci, quaenam bona aut capitalia pro dicto legato assignata existant et, cum responsum fuerit tota bona huic legato obnoxia a semetipsis possideri, ut modo ex his percipiatur fructus tronorum 151 circiter in anno et iuxta huiusmodi redditum tot missas, detractis |**110**| detrahendis, celebrari facere; quibus intellectis, monuit praedictos dominos fratres Paini et eorum conscientiam oneravit, de quo reddituri sunt rationem in die iudicii, ut diligenti opera investigent, bona et capitalia a semetipsis possessa et obnoxia huic piae dispositioni, ad hoc ut praecise dignoscantur et, quatenus opus sit, onus canonice et, servatis servandis, reducatur. Anno 1616 die 10 augusti in hoc oratorio, quod nondum erat aedificatum, quando constructum fuerit, Andreas filius quondam Benedicti Iorii ordinavit in suo testamento, eiusdem diei et anni in actis Georgii Bazoli notarii, ut eius haeredes tenerentur et deberent celebrare facere quolibet et singulo die unam missam quotidianam per unum sacerdotem, eligendum per dictos haeredes et successores, praefertis tamen reverendis patribus sancti Rochi de Soiano, cum mercede danda sacerdoti celebranti de tempore in tempus libras centum planeti, cum obligatione applicandi sacrificium pro animabus ipsius testatoris et suorum defunctorum, constituendo dictam villam Chizzolinarum et homines illius commissarios et executores et ut in ipso testamento ibidem viso, lecto et restituto et cetera. Anno 1632 die 9 octobris accepta fuit tenuta super bonis spectantibus ad praedictam haereditatem pro parte suprascriptae villae Chizzolinarum et tot bona extracta fuerunt quot sufficerent ad redditum librarum centum planeti, ut apparet |**110**^{v}| ex copia autentica ipsius actus possessionis et tenutae praedicti temporis facta a domino Iosepho Paini notario. Super quibus interrogati fuerunt Amatorius Amadori quondam Ioannis Baptistae et Bartholomaeus Paini quondam Pauli, utrique sindici ipsius villae quando nunc adimpleatur onus praedictum et responderunt se modo non percipere ex capitalibus obnoxiis huic dispositioni nisi libras centum triginta parvulas circiter, eo quod partim capitalium sunt fundi qui non coluntur, partim vero eorum fructus censuarii diminuti sunt ac propterea tot missas celebrari facere quot celebrari possunt iuxta redditum cuiusque anni. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus antistes monuit: primum eosdem homines Chizzolinarum teneri ad integram quantitatem librarum centum planeti, stante possessione accepta bonorum ut supra et, quatenus non probaverint diminutionem huiusmodi secutam non fuisse ob eorum negligentiam, quae aut fundi proportionatos fructus non reddant aut capitalia deperdita aut distracta fuerint; deinde etiam monuit supplicandam esse sanctam Sedem ut remittat misericorditer quidquid ommissum praeteritis temporibus eorum culpa fuit ac demum petendam, ubi opus fuerit, canonicam oneris praedicti redductionem et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit sacristiam retro altare maius huius oratorii et vidit suppellectiles sacras pro sacrificio missae easque |**111**| visitavit et satis competenter provisam esse cognovit. Ordinata. Exequatur ordinatio in postrema visitatione anni 1712 facta de providendo altare sancti Caroli de stragula – elevetur parumper portatile in altari sanctae Ursulae et pedaneum eiusdem altaris firmetur nec non ipsum provideatur de stragula – exequatur ordinatio praedictae visitationis 1712 de manutergio ponendo iuxta labrum in sacristia – apponatur crux cum crucifixo ex ligno sculpto supra armarium in eadem sacristia.

[*Foglio volante di difficile lettura*] Carissimo signor don Gioachino. Mi vedo qui ritornati pel tavolo i due (novizi?) di (Concamarise?). Mancano le costituzioni di Puegnago: scorgesi che dalla Raffa pagarono a Polpenazze: i giorni sono quasi passati; abbiamo anche il mal tempo. Li accludo nonostante: li avrete quando capiteranno. Vedete di mandarmi la copia raccomandata in persona, già ad uso di ufficio, della relazione di visita fatta da monsignor Bragadino nel 1743 all'oratorio di San Carlo in Chizzoline, terra di (Ugiano?): è

registrata a pagina 109. Raccomando qualche risposta, anche inconcludente, intorno alla dispensa matrimoniale Tronelli – Floridi: se nulla capitò inviatelo egualmente, onde possa dire anch'io qualche cosa a questi che la sospirano. I miei rispetti a tutti cotesti signori e alla famiglia. Manerba li 12 marzo (1836?). Tutto vostro affezionatissimo amico G. Betarin.
[A margine: SOIANO] Hisce actis, suum iter continuavit usque ad domum parochialem Soiani, in quam ingressus ac deposito habitu itinerario suisque vestibus episcopalibus indutus, descendit ad ianuam ipsius domus, in cuius limine crucem, sibi a reverendo domino Francisco Amadori oeconomo porrectam veneratus, deosculatus etiam est ac sub baldachino receptus in forma processionis, clero praecedente, ad visitandam ecclesiam parochialem se contulit; quam ingressus et facta oratione ante altare maius ritibusque pontificalibus expletis pro defunctis tam ibi quam in coemeterio, quod visitavit, preces Deo obtulit. Quibus oblatis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum – praemissis thurificatione, adoratione et hymno – quod custoditur in tabernaculo ligneo auratum, cuius ostium sera et clavi, quae est |**111**^{v}| argentea, tute munitum et servatur in pixide argentea, bene instructa. Vidit amigdalam itidem argenteam pro communicandis infirmis distantibus a parochiali nec non ostensorium radiatum ex argento confecto, cuius radia sunt inaurata. Hoc Sacramentum statis temporibus rite renovari consuevit reverendus dominus economus qui, interrogatus, respondit omnes eius parochianos paschali praecepto obedisse, uno tantum excepto, de quo infra. Sub hac cura numerantur animae a communione 220, in totum vero 300. Cum hoc Sacramentum ad infirmos defertur, ea qua par est religione prosequitur a populo et societas eiusdem paravit decentes sacras suppellectiles et cereos, ut decore associetur. Fit processio cum eodem tertia quaque dominica mensis et fit eiusdem expositio in qualibet sexta feria martii. Schedae in Paschate distribuuntur et colliguntur coeteraque exequuntur quae exequi debent, vel dum ad infirmos defertur vel dum publicae venerationi exponitur. Peracta hac Sacramenti visitatione, sacram communionem populo distribuit, quo tempore ille qui – ut supra dictum est – fuit inobediens paschali praecepto, pastoris sui adventu populique devotione comotus, suam inobedientiam |**112**| detestatus acceptaque in tribunali poenitentiae absolutione, cum aliis Panem vitae ab episcopo suo sumpsit. His completis, missam celebravit, assistentibus admodum reverendo domino Georgio Biolchi Polpenatiarum praeposito et reverendo domino Petro Bertazzi, sacerdote eiusdem loci Polpanatiarum et postea sacram communionem iterum distribuit et sacro Chrismate plurimos confirmavit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis visitavit altare sanctissimae Annunciationis in hac ecclesia, marmoreum in mensa cum portatili et palio ex corio aurato, in reliquis ligneum, constructum a quondam domino Bartholomaeo Carminati, ut patet ex instrumento dotationis diei 25 iunii 1648 in actis huius curiae episcopalis, quod postea fuit de ratione nobilis domini marchionis Ioannis Baptistae Piati, nunc vero de iure nobilium dominorum Nicolai, Liviani et reverendi Bartholomaei fratrum de Roveliis, qui in aquisitione universitatis bonorum, quae erant de ratione predicti domini Piati, existentium in hac terra Soiani, aquisiverunt quoque ius supra dictum altare ex transactione diei 16 iunii 1724, ut asseruerunt. In hoc altari est officiatura instituta a quondam Bartholomaeo Carminati, qui praedictum altare dotavit redditu ducatorum septuaginta quinque et grossorum sexdecim, pro quibus primum cessit quaedam capitalia et deinde, si quando haec capitalia affrancarentur, iussit ut per suos haeredes praedicta quantitas reddituum solveretur, cum resservatione sibi et |**112**^{v}| suis haeredibus et successoribus iurispatronatus super cappellaniam seu beneficium simplex quod instituit et cum obligatione sacerdoti eligendo celebrandi quotidie missam in hoc altari, cum applicatione sacrifitii iuxta mentem et intentionem fundatoris, uno tantum die pro qualibet hebdomada libero dicto sacerdoti remanente, in quo, si noluerit celebrare, non teneatur, cum conditione quod sacerdos eligendus sit actualiter sacerdos vel saltem in aetate et dispositione ut intra annum fieri possit et debeat esse sacerdos; alioquin electio ipso facto nulla sit et ad nutum amoveri possit ipsiusmet fundatoris et eius haeredum ac successorum et cum obligatione ipsi sacerdoti ut de suo provideat de cereis tantumodo, quia in reliquis de sacra suppellectili promisit ipse fundator providere et provisum fuisse constat: nam in sacristia armarium asservatur cum ipsis et manutenentur a successoribus praedicti fundatoris Carminati. In hac curia episcopali confirmata fuit huiusmodi cappellaniae institutio, prout apparet ex praecitato instrumento. Ad praesens cappellanus sacerdos ut supra electus est reverendus dominus Dominicus Rosa et adimplet. Super gradus huius altaris extat arca ex ligno nigro cum crystallis ante et retro et haec clauditur tribus clavibus. In loco supra gradum ipsum, in arca autem, quiescunt ossa varia et distincta corporis sancti Albani martiris, |**113**| quae reliquia recognita iam fuit in hac curia episcopali anno 1662 die 26 augusti a generali vicario, prout patet ex exemplo eius recognitionis exhibito, lecto et restituto quaeque munitur etiam pluribus aliis litteris autenticis ac praesertim instrumento quo dominus Bartholomaeus Carminati eamdem reliquiam reponere fecit in hoc altari, in quo instrumento partes corporis distribuuntur et illud est diei 5 octobris 1662 in actis domini Francisci Zadei notarii. Verum, cum arca ipsa deficiat suis

sigillis et recte cauteque hucusque custodita fuerit (nam claves eius loci alia servatur a reverendo rectore pro tempore huius ecclesiae, alia a communitate praedicta et alia a patronis huius cappellae) ideoque, praedeccessorum decretis inhaerens, in sua veneratione reliquit. Vidit altare Corporis Christi, in mensa marmoreum cum palio ex serico, in reliquis ligneum cum portatili et icone depicto, de ratione societatis Corporis Christi, quae olim fuit canonice instituta et providet de suppellectilibus. Haec societas plures habet obligationes missarum, ut iam constat ex praecedenti visitatione anni 1712 nec non enunciatur in policeis a domino Hieronymo Panteo, eiusdem sindico, exhibitis et in fine huius ad litteram G repositis ac etiam ex libro foris inscripto "*Libro della scuola del santissimo Sacramento di Soiano, in cui s'attrovano descritti li legati et obligationi della medesima*", ibidem ostenso, viso et |**113**^{v}| restituto. Verum, cum praesentes polliceae appareant diversae quoad quantitatem missarum, quarum obligatio spectat ad ipsam societatem et cum cognoverit in libro praedicto easdem obligationes ita expressas non esse, ut innotescat quaenam fuerit voluntas eorum qui illas reliquerunt et quinam sint praesentes redditus respective ac in eo frequenter dicatur missas celebrandas esse pro duobus tertiis fructus capitalium ibidem descriptorum; et propterea illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit praedictum dominum sindicum et confratres eiusdem societatis ut, adhibita ea diligentia quae in hoc negotio maxime requiritur, perquiratur voluntas eorum qui huiusmodi legata reliquerunt et describantur accuratius capitalia et redditus obnoxii eidem voluntati, ad hoc ut exequatur intentio pia disponentium et, quatenus redditus non correspondeant oneribus impositis, sibi resservavit decernendum et declarandum quidquid et cetera tamquam in visitatione; onerans interim conscientiam ipsiusmet sindici et eius successorum et confratrum, nisi attente pias fidelium voluntates non perquisierint, et non impleverint. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa, in reliquis ex gypso plastica arte elaboratum, cum portatili et imagine beatae Virginis ex gypso sub crystallis cum misteriis Rosarii circum ipsam, de ratione societatis eiusdem Rosarii, |**114**| quae iampridem canonice instituta dicitur. Praedictus dominus Pantaeus, sindicus huius societatis Rosarii, praesentavit policeam reddituum et obligationum eiusdem societatis, in fine huius repositam ad litteram G, ex qua, cum appareat diversitas ab expositione alias enunciata in visitatione anni 1712, illutrissimus et reverendissimus praesul monuit eumdem et eius confratres ut diligenter – sicut supra dictum est – quoad obligationes societatis sanctissimi Sacramenti perquirantur intentiones piae disponentium et eaedem exequantur, resservando sibi ut supra quatenus et caetera, onerando eorum conscientiam si secus et cetera. Vidit altare sancti Caroli, de ratione familia e de Panteis, quod cum in visitatione anni 1712 declaratum fuerit suspensum, suspensum quoque modo declaratur. Communitas ista tenetur celebrari facere tres missas in hac ecclesia in singula hebdomada, ex dispositione quondam Ioannis Pauli Molinari quondam Petri, ut in eius codicillis diei 6 novembris 1695 in actis Horatii Barzoni notarii, quae obligatio adimpletur per reverendum dominum Ioannem Baptistam Molinari. In sacristia apparet tabella in qua describitur eamdem communitatem teneri ad celebrari faciendum officium cum missis pro quondam Iulia Razina, ex eius testamento in actis domini Iosephi Bazoli notarii, quod pariter adimpletur. Quondam dominus Andreas Rasinus, in eius testamento diei 3 septembris 1603 in actis domini Iulii Pantei notarii, quaedam bona reliquit cum onere |**114**^{v}| missarum trium in hebdomada pro eius anima, committendo communitati, in deficientiam suorum haeredum, commissariam huius officiaturae. Verum, cum Andreas Rasini, nepos et haeres eiusdem testatoris, pro suae conscientiae quiete supplicaverit sacram congregationem Concilii ut, stante deficientia redditum, onus moderaretur, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus die 5 iulii 1739, auctoritate apostolica, onus praedictum moderavit ad celebrationem tot missarum, detractis expensis, iuxta redditum et ut ex decreto ipso, viso et restituto et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, sacro Chrismate quampluribus utriusque sexus christifidelibus collato, scholam doctrinae christianae convocandam mandavit et, divisis maribus a foeminis de more, per se omnes interrogavit circa fidei articulos et divina praecepta eosque satis instructos cognovit. Post haec interrogavit quo ordine schola ista exerceatur responsumque fuit hucusque officiales electos non fuisse, sed doctrinam christianam doceri a sacerdotibus ac ab aliis christifidelibus, qui charitate ad id impelluntur; quapropter distulit super hoc decernere donec huius ecclesiae rectorem dessignaverit vocavitque ad se dominum vicarium foraneum Polpenatiarum, praepositum suamque illi voluntatem declaravit, mandans eidem ut, cum rector dessignatus ad suam hanc ressidentiam accesserit, iuxta regulas congregationis doctrinae christianae Veronae instituatur ordo |**115**| scholae exercendae in hac parochiali ecclesia. Visitavit deinde altare maius, divo Michaeli arcangelo – prout tota haec ecclesia – dicatum, de ratione communitatis, a qua manutenetur; habet mensam marmoream cum portatili et caeteras partes ligneas et iconem antiqua et egregia forma depictum. Vidit olea sancta, in loculo a parte evangelii sub sera et clavi servata, in capsula lignea ex nuce, quae mittitur ad excipienda eadem olea sancta a plebe matrice Manerbae, sera quoque et clavi tute munita. Vidit quoque tria vascula stamnea pro

eadem capsula nec non vasculum cum oleo infirmorum. Retro altare maius vidit chorum, in quo quoddam armarium observavit. Visitavit fontem baptismalem, prope ianuam maiorem ecclesiae in cornu evangelii in cappella positum, cancellis ferreis clausum. Duo visitavit confessionalia, in hac ecclesia disposita pro sacramentalibus christifidelium confessionibus audiendis: unum prope ianuam maiorem ecclesiae, alterum iuxta altare Annunicationis. Visitavit quoque sacristiam et in ea armaria, in quibus servantur sacrae suppellectiles descriptae in pollicea, infra reposita ad litteram G. Alterum vidit armarium in eadem sacristia positum, iuxta |**115**^{v}| portam per quam ab ecclesia in sacristiam ingreditur, in cuius parte depictum est stema familiae de Roveliis; in hoc armario servantur sacrae suppellectiles pro cappellania Carminati supradescripta, in cappella Annunciationis beatae Virginis Mariae, quas suppellectiles visitavit et bene provisum invenit. Quibus absolutis, in aedes parochiales se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 9 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, in antedictis aedibus pro tribunali sedit. Coram quo, de suo mandato vocati, comparuerunt sindici et alii communitatis Soiani antedictae qui, interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio munere fungendo reverendi oeconomi nec non de vita, moribus et servitio ecclesiae sacerdotum et clericorum in hac comunitate degentium et an adsint publici peccatores, usurarii, scandalosi, haeretici vel de haeresi suspecti et huiusmodi, responderunt nullos esse – divina favente gratia – huiusmodi peccatores; oeconomum suas partes implere, caeteros ecclesiasticos honeste vivere, hoc unum tamen deesse: ut huic paroeciae provideatur de rectore qui regat hunc populum et qui in charitate praedictos ecclesiasticos coniunctos retineat. Comparuit subinde reverendus dominus Franciscus Amadori, oeconomus huius parochialis ecclesiae vacantis, qui obtulit mandatum suae |**116**| deputationis in oeconomum diei 12 aprilis 1743 nec non libros parochiales, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum. Interrogatus utrum in eius paroecia sint publici concubinarii, scandalosi aut qui perseverent in matrimonio cum impedimento dirimenti et huiusmodi, respondit nullos huius generis homines esse. Successive comparuerunt, vocati: reverendus dominus Iacobus Paini, sacerdos aetatis annorum 44 circiter. Reverendus dominus Paulus Comincioli, sacerdos aetatis annorum 37 circiter. Reverendus dominus Carolus Panteo, sacerdos annorum 31, cum mandato pro cura animarum ad annum dato die 17 aprilis 1742. Reverendus dominus Dominicus Rosa, sacerdos aetatis annorum 27 circiter. Qui omnes eorum mandata ordinum respective et ad curam animarum obtulerunt, summo obsequio eorum praesulem devenerantes. His peractis, descendit in ecclesiam, quam totam visitavit de parte in partem et in ea vidit organum et suggestum in quo aliquando concionatur, cum mandato et benedictione episcopali et concionator eligitur ab hac communitate, a qua stips erogatur ex piorum eleaemosinis. Vidit quoque campanile et campanas in eo positas. Haec ecclesia non est consecrata et de ratione huius communitatis, a qua de omnibus manutenetur. Beneficium hoc subest iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam |**116**^{v}| sacri Concilii tridentini et ad praesens vacat per obitum quondam reverendi domini Iosephi Pasini, defuncti mense aprilis anni currentis. His actis factisque infrascriptis ordinationibus, ante altare maius genuflexus oravit et pro defunctis preces etiam fudit expletisque consuetis ritibus, visitationem huius ecclesiae et paroeciae complevit. Ordinata. Exequatur ordinatio facta in postrema visitatione anni 1712 de muris coemeterii restaurandis – construatur in ecclesia sepulcrum pro sacerdotibus et aliud pro infantibus – provideatur de altera pixide minori pro asservando semper Sacramento in tabernaculo quoties illud ad infirmos deferri contigerit – ostensorium retro aptetur, ut bene et facili modo claudi possit – vestiatur interius ostium tabernaculi panno serico albo – loculus oleorum sanctorum vestiatur intus ex panno serico violaceo – fiant duo vascula cum operculo aptato ad formam cocleae, in quorum altero reponatur sacrum chrisma, in altero sacrum oleum cathecumenorum et in vasculis appareant caractheres quibus ipsa olea distinguantur – fiat quoque novum vasculum cum opercolo, ut supra constructo, pro oleo infirmorum - |**117**| conficiatur bursa violacea ex serico pro oleo infirmorum – aptetur ciborium fontis baptismalis ita ut rimae non dehiscant et imago sancti Ioannis Baptistae in apice ipsius ciborii sarciatur – cancelli ferrei firmentur et clavi tuta claudantur – fiat lapis nova pro cooperiendo sacrario – confessionale prope ianuam maiorem provideatur de pagella casuum resservatorum ex parte confessarii et de nova crate cum foraminibus minutioribus et foramen statim obturetur quod est iuxta locum eiusdem cratis et, donec obturatum non fuerit, prohibetur in illo excipere confessiones – confessionale prope altare Annunciationis, dictum pro hominibus, suspenditur donec retro ipsum non sit omnino clausum et munitum crate cum foraminibus minucioribus – portatile altaris maioris reducatur proximus pectori celebrantis et altare ipsum provideatur de mappis – amoveatur e choro armarium et alium in locum transferatur, ubi tamen non deformetur ecclesia – exequatur ordinatio in postrema visitatione anni 1712 de elevando portatili altaris sanctissimae Annunciationis et prope pectus celebrantis reducendo – portatile altaris sanctissimi Corporis Christi ita aptetur ut aequaliter omnibus partibus parumper emineat supra mensam et illius |**117**^{v}| rimulae

obturentur – exequatur ordinatio postremae visitationis anni 1712 de elevando portatili altaris beatae Virginis a Rosario eiusque rimulis obturandis – exequantur quoque ordinationes in visitatione anni 1712 factae de apponendo in sacristia labro cum manutergio, de pluviali nigro providendo et de bulla contra sollicitantes servanda – missalibus addantur missae recentiores sanctorum – comparentur omnes libri novi, scilicet matrimoniorum, baptizatorum, mortuorum et status animarum et in partitis baptizatorum describatur etiam hora nativitatis – in libro status animarum describantur nomina omnium parochianorum, eorum aetas et appareat an sint capaces communionis, an sacro Chrismate iniciati fuerint et in partitis matrimoniorum describatur "testibus rogatis" et cetera – sarciantur sperae vitreae huius ecclesiae ubi indigent reparatione. Completa hac visitatione et ex ipsa ecclesia egressus, militibus Soiani precedentibus, deinde ecconomo et clero eiusdem loci, suis familiaribus pedes una cum reverendissimo domino suo provicario generali meque, pastoralis visitationis notario, concomitantibus etiam deputatis et primioribus eiusdem communitatis et populo per vias diffuso prossequente suumque pastorem venerante, ad fines huius |**118**| loci se contulit ubi, exceptis iterum a laudatis deputatis obsequii ac devotionis officiis iisque una cum populo pastorali benedictione relictis, fines ipsos transgressus est obviosque habuit deputatos militesque ac populum communitatis Polpenatiarum et ab excellenti utriusque doctore domino Lauro Glisenti, ad hoc ab ipsa communitate electo, concionem brevem et officio plenam excepit, qua populi Polpenatiarum laetitiam de adventu sui pastoris ac parentis amantissimi declaravit et obsequium obtulit venerationemque protestatus est. Huic cum pari benignitate ac gravitate quae praesulem decet respondisset suique animi affectum erga hanc sui gregis partem exposuisset, praecedentibus militibus Polpenatiarum populoque suisque familiaribus et subsequentibus praedictis deputatis ac proceribus eiusden loci, iter suum pedes prosecutus est ad oratorium usque Beatae Virgini Mariae a Mercede et Sanctae Eurosiae virgini et martyri dicatum, ad cuius ianuam admodum reverendus dominus Georgius Biolchi, praepositus et vicarius foraneus universusque eius clerus ipsum illustrissimum et reverendissimum dominum episcopum praestolabantur ibique, paucis verbis sed adposite, ab eodem praeposito eius obsequio ac veneratione declarata, se se, suum clerum et populum illi commendavit. Quibus cum pastoralem caritatem praesul spopondisset, in oratorium ipsum ingressus, illud visitavit. Hoc idem oratorium publicum, sub titulo Beatae Mariae Virginis a Mercede |**118**^{v}| [a margine: Beata Vergine Maria dalla Mercede] et Sanctae Eurosiae virginis et martyris, est intra limites Polpenatiarum, de ratione domini Laurenti, reverendi Philippi, reverendi Octavii, domini Francini et Mathiae fratrum Tomaselli de Salodio, errectum auctoritate episcopali et dotatum medio instrumenti dotationis diei 2 maii 1724, in actis domini Ioannis Francisci Verichtaei notarii. Unicum habet altare ligneum cum portatili et retro ipsum altare est icon depictus cum imaginibus beatae Virginis Mariae, sanctae Eurosiae et sancti Ludovici regis Galliae. Oratorium ipsum est optima elegantique forma constructum nihilque illi deest quod loci sanctitati et ornamento conveniat. Hunc temporis pro sacristia utuntur loco retro ipsum altare, sed patronis pia intentio est quantotius aedificandi sacristiam et ipsam instruendi de omnibus neccessariis, quam intentionem exequturos patronos facile suadetur, utpote qui peculiaris erga divinum cultum pietatis argumenta hucusque clarissima praetulerunt. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed in eo tantum celebratur ex devotione. Ordinata. Elevetur parumper portatile altaris. Quibus habitis et cetera. Huius oratorii visitatione peracta, iter prosecutus est et, pueris puellisque scholae doctrinae christianae ecclesiae Polpenatiarum praecedentibus in ordine processionis |**119**| laudesque Deo omnium bonorum largitori canentibus. Deinde subsequente populo et clero, sub baldachino a quatuor sacerdotibus superpelliceo indutis omnibus delato receptus eumque prosequentibus praedictis deputatis aliisque suprarecensitis, hoc ordine ad aedes usque parochiales se contulit, quas ingressus, in cubiculum sibi decenti forma paratum se se recepit ac tandem, postquam quieti paululum indulsit, incoenatus ibidem obdormivit.

[A margine POLPENAZZE] Die veneris 10 maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, visitationem huius pareciae incepturus, suis vestibus episcopalibus indutus, ad fores praedictarum aedium descendit, ubi clerus illum praestolabatur et, genuflexus ante crucem, delatam a domino praeposito, illam sibi porrectam deosculatus, surrexit et, servata processionis forma consuetisque canticis decantatis, ad ecclesiam parochialem pervenit, quae Nativitati beatae Virginis Mariae est dicata ac, in eius aditu ritibus pontificalibus persolutis, antequam ad altare conscenderet, genuflexus divinum Sacramentum adoravit actisque caeteris quae praescribuntur a pontificali, populo solemniter benedixit et indulgentiam publicari mandavit. Posthaec pluviali violaceo indutus aliisque sui ordinis vestibus, pro defunctis preces tam in ecclesia quam in coemeterio fudit et coemeterium ipsum visitavit. |**119**^{v}| Iterum ad ecclesiam divertit et in ea sanctissimum Eucharistiae sacramentum, facta prius erga illum de more adoratione, visitavit, quod vidit in pixide argentea intus inaurata repositum. Vidit duas alias pixides minores, quarum cupae sunt argenteae et coeterae earum partes cupreae inauratae. Hoc Sacramentum custoditur in tabernaculo ligneo inaurato, sub

sera et clavi, quae est argentea; vidit etiam ostensorium radiatum ex argento, rite instructum. Statutis temporibus interrogatus reverendus praepositus respondit renovare hoc Sacramentum; cum defertur ad infirmos, decore associari luminibus et suppellectilibus, de quibus providet societas quaeque satis ornatae et instructae sunt. Reverendus praepositus indulgentias publicat tali occasione et praemittis solita campanarum signa; eiusdem sanctissimi Sacramenti fit expositio prima et tertia quaque dominica mensis et singulis sextis feriis mensis martii. Huiusmodi expositiones fiunt expensis partim communitatis partimque ex piorum eleemosinis ac in sextis feriis martii, ex legato quondam Helisabeth Maffizzoli. Preterea fiunt cum hoc Sacramento processiones in die Corporis Christi nec non aliis duobus anni temporibus, pro gratiarum actione. Tempore paschali schedas distribuit et subinde colligit nullumque – Dei gratia – adesse inobedientem ecclesiae praecepto |**120**| idem reverendus praepositus fassus est; et sub hac cura animas a communione adesse 645, in totum vero 884. Quibus peractis, eodem sanctissimo Sacramento populo benedixit ac tercentum circiter utriusque sexux christifideles eucharistico Pane cibavit. Sumptis subinde sacerdotalibus vestibus eidemque in dalmaticis assistentibus admodum reverendo domino Ioanne Paulo Ronca, rectore parochialis ecclesiae de Castronovo diaecesis Brixiensis et reverendo domino Antonio Castrasono, sacerdote huius loci Polpenatiarum, sacrosanctum missae sacrificium aeterno Deo obtulit ac iterum nullis christifidelibus canctissimam Eucharistiam praebuit. Peracta gratiarum actione Deo optimo maximo, ad aedes parochiales antedictas se restituit et prandium sampsit. Die antedicta 10 maii 1743 post prandium. Convocatis operariis ac discipulis scholae doctrinae christianae huius parochialis ecclesiae, accessit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ipsam visitandam viditque mares a foeminis iuxta praescripta distinctos ac divisos et per respectivas eorum classes dispositos; easdem classes visitavit audivitque sacerdotes adultos et pueros docere adposite ad eorum capacitatem doctrinam christianam; deinde iussit ut omnes ita in ecclesia disponerentur ut facile modo interrogari possent. Antequam tamen interrogarentur, nonnullos pueros de more disputantes |**120^{v}**| inter se se summa cum voluptate audivit, quos bene instructos in primis in doctrina christiana quam edidit cognovit ac, disputatione completa, interrogatos pueros puellasque a domino praeposito ac illos respondentes audivit et satis peritos in religionis, legisque divinae rebus expertus est. Mandavit ut, post consuetas preces Deo fusas pueri puellaeque dimitterentur ac ad se operarios tum ecclesiasticos tum laicos vocavit, quibus praesentibus, plurimum eorum solertia et charitate et praecipue reverendi praepositi et sacerdotum comendata, hortatus est sermone gravi et zelo plurimum referto eosdem ut huic operi in quo praecipue christiana charitas elucet, maiori in dies solertia incumberent. Obtulerunt libros officialium huius scholae, in quibus etiam describuntur confratres et tum eorum tum discipulorum frequentia singulis festis diebus declaratur, ex quibus cognovit solertes esse huic christiano operi tum sacerdotes tum laicos ac bene et laudabiliter scholam ipsam, praessidente praedicto reverendo domino vicario foraneo dirigi. His actis, ad visitandam caetera sacramenta se contulit. Et in primis visitavit olea sancta, in loculo in cornu evangelii ad id parato, in capsula ex nuce in tribus vasculis argenteis servata; vidit etiam vasculum olei infirmorum argenteum, rite quoque |**121**| instructum. Haec olea recipiuntur a plebe Manerbae, huius ecclesiae matrice; vascula ipsa habent suos caractheres quibus eadem olea sancta distinguuntur. Vidit fontem baptismalem, prope ianuam maiorem huius ecclesiae positum, sub cancellis ferreis sera et clavi tute custoditum et ibidem vidit olea sancta, cathecumenorum scilicet et Chrismatis in vasculis argenteis rite instructis et bene servata. In eodem loco vidit sacrarium, clausum et bene tentum. Vidit tria confessionali, in ecclesia disposita pro excipiendis christifidelium confessionibus et alia duo pro audiendis puerorum confessionibus, quoque in ecclesia posita. Visitavit subinde altare maius, de ratione huius communitatis, in mensa et gradibus inferioribus marmoreum, in reliquis ligneum cum icone depicto, in prospectu chori posito, a qua communitate manutenetur de omnibus, exceptis cereis et oleo pro lampade, de quibus providet reverendus dominus praepositus. Huic altari nulla adest adnexa obligatio missarum, ut fuit assertum, sed in eo celebrat reverendus praepositus et diebus festis applicat pro populo. Hoc altare est privilegiatum pro universis, ut patet ex brevi apostolico dato Romae die 28 iulii 1741, ad septennium concesso. Vidit super gradibus ipsius altaris sacras reliquias sanctorum martyrum, |**121^{v}**| descriptas iam in postrema visitatione anni 1711; quas, cum sigillis fractis nunc esse viderit, interrogavit dominum praepositum a quibus vel a quo claves harum reliquiarum custodiantur; qui respondit viginti et uno ab hinc annis se esse huius ecclesiae praepositum et semper claves praedictas a se tute custoditas fuisse nec capsulas umquam ex earum loculis extractas nisi octo ab hinc diebus, quo tempore ipsemet unam ex his capsulis extraxit, ut eamdem visitaret antequam accederet dominatio sua illustrissima et reverendissima ad hanc ecclesiam visitandam et vidisse parumper figuram sigilli abrasam fuisse, caeterum tales quales erant tempore sui possessus huius beneficii, servatas in locis super gradibus eiusdem altaris maioris asseruit. Vocavit ad se illustrissimus et reverendissimus praesul reverendum dominum Petrum Senin, aetatis annorum 60 circiter

illumque interrogavit an sciat quid, postquam recognitae fuerunt et sigillatae eaedem sacrae reliquiae, successum fuerit et an a loculis in quibus repositae fuere numquam extractae fuerint; respondit praesentem ipsum fuisse quando a reverendo domino Stephano Gialdi, praeposito antecessore praesentis reverendi praepositi Biolchi, in executionem delegationis sibi factae a felicis memoriae Ioanne Francisco Barbadico episcopo veronensi suo sigillo munitae fuerunt et testificari posse, prout testificatur, repositas ipsas fuisse in iisdem supradescriptis loculis neque |**122**| exinde extractas fuisse; nam claves servabantur tute a praedicto reverendo praeposito antecessore et nulla interfuit occasio qua extraerentur; quin, si aliquando extractae fuissent, sibi quoque notum fuisset eo quia, uti curatus et deinde uti sacerdos et confessarius, semper servivit huic ecclesiae ita ut nihil sibi ignotum de actis quae fieri potuissent in hac ecclesia esse quoque potuisset. Comparuit postea, vocatus, reverendus dominus Paulus Franzonus, sacerdos huius loci aetatis annorum 60 circiter et, interrgatus ut super praemissis dicat et deponat quidquid sciverit aut sciat, respondit se huic ecclesiae parochiali servitium praestitisse ac nullo tempore eidem defuisse, ex quo cognovit et praesens fuit praedictas reliquias sigillo reverendi praepositi Gialdi munitas fuisse, ut in visitatione anni 1711 decretum fuit easque reliquias tunc repositas fuisse in loculis super gradibus mensae altaris et exinde numquam nullaque occasione extractas fuisse; quod, si accidisset, sibi non ignotum fuisset testatus est ac numquam et a nullo audivisse ex locis ubi repositae fuerunt ipsas extractas. Quibus intellectis, consideratis etiam locis ubi extant vestigia sigillorum in cera hispanica impressorum et considerato quod, dum capsulae extrahuntur, necessario sigillorum forma abradatur, eo quia capsulae ipsae ita conectunt cum loculis ubi repositae sunt ut, etsi semel extrahantur, |**122**^{v}| intacta sigilla remanere non possint et, stantibus rebus prout stant, mandavit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mihi notario ut suo parvo sigillo in cera hispanica rubra impresso iterum eaedem capsulae sigillentur et propterea, cum eas ita recognoverit, in sua veneratione ipsa manere decrevit easque deveneratus est. Quibus habitis, cum iam advesperasset, in antedictas parochiales aedes diversatus est et incoenatus quievit. Die sabbathi 11 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, prima luce huius diei consurgens convocatoque populo per solita signa, ecclesiam parochialem antedictam adivit, in qua ante augustissimum Sacramentum stratus preces fudit et pro sacro faciendo praeparationem emisit, qua peracta sacrisque paramentis indutus, sacrosanctum missae sacrificium absolvit eoque absoluto, quampluribus utriusque sexus christifidelibus idem sanctissimum Sacramentum distribuit nonnullosque subinde petentes sacro Chrismate in fronte linivit. Hisce peractis, in aedes parochiales receptus, coram eo comparuerunt excellens utriusque doctor et advocatus dominus Laurus Glisenti, domini Ioannes Baptista Barzoni, Petrus Paolus Bertolinelli et Petrus Castrasoni, agentes etiam nomine domini Ioannis Baptistae Bertazzi, omnes electi ab hac spectabili communitate Polpenatiarum, ad hoc et cetera, ut constat ex actu electionis |**123**| eorumdem in vicinia diei 31 martii proxime elapsi, exhibito, viso et restituto; et humiliter exposuerunt institutum fuisse post mortem quondam Ioannis Comine filii quondam alterius Ioannis in hoc loco hospitale, in executionem ordinationis ab ipso factae in ultimo suo testamento diei 29 augusti 1439, in actis domini Ioannis Comincioli notarii de Soiano, qui ibidem, deficientibus suis haeredibus institutis, iussit ut ipsum hospitale aedificaretur ac illud haeredem suorum bonorum instituit, cum onere ut ibidem sint duo lecta fulcita causa hospitandi sive albergandi pauperes Christi pro tribus noctibus pro amore Dei, ordinando etiam quod ibidem sit unus hospitalarius qui attendat, gubernet et regat dictum hospitale et eius bona et exercere faciat negotia ipsius hospitalis, addens conditionem, in casu quo fructus et redditus dictorum bonorum suae haereditatis superabundarent, distribuerentur per eius commissarios inter pauperes et egenas personas dicti communis seu terrae de Polpenatiis, sive ut placuerit commissariis executoribus et distributoribus. Commissarios etiam elegit et nominavit, quibus deficientibus substituit commune et homines dicti loci de Polpenatiis. Communitas igitur huius loci, commissaria praedictae piae dispositionis, ut aliqua methodo ipsam exequeretur, ut quaedam capitula per reverendos dominos Iulium Pivium, huius loci praepositum |**123**^{v}| et Franciscum Foresti, Sancti Laurentii de Cazzago rectorem, describerentur curavit eaque descripta ab ipsius fuerunt quibus huc usque ut plurimum eadem usa est. Cum autem aliqua fieri consueverunt quae videntur omnino non respondere piae voluntati praedicti testatoris, ut distributio panis et fabarum in die Commemorationis defunctorum, quae fit fortasse iis etiam qui non sunt pauperes Christi et hospitio recipiuntur passim vagi iique testimonialibus carentes, homines praedictae communitatis, commissarii eius piae dispositionis, occasionem accipientes visitationis pastoralis suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, ipsam humiliter supplicaverunt ut, ea auctoritate qua pias disponentium potest interpretari dispositiones, dignetur decernere et declarare pro eorum conscientiae quiete an regulae praedictae sint consonae voluntati institutoris huius hospitalis, an eaedem sint deinceps servandae et quatenus servari debeant, cum nulla canonica auctoritate sint probatae, eas approbare ac servandas deinceps decernere,

declarando quomodo panis distributio sit peragenda et quando et qui pauperes Christi in hospitali sint acceptandi. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, viso et lecto praedicto testamento ab eisdem electis exhibito et ipsis restituto, visis et lectis capitulis ad numerum quatuordecim, cum subsequentibus admonitionibus a supra |**124**| laudatis reverendis Pivio et Foresti, ad id a communitate delectis iisque consideratis ac mature perpensis, considerata etiam longaeva consuetudine qua illa capitula observata fuerunt in huiusmodi hospitali eiusque redditibus dirigendis, consideratis considerandis, omni meliori modo et cetera, decrevit et declaravit pro conscientiae quiete commissariorum, capitula ipsa non dissona esse a voluntate institutoris huius hospitalis iisque uti posse communitatem in hospitali regendo, cum neque sacris canonibus repugnent, declarans tamen in hoc hospitali mares et foeminas nullo modo in eodem cubiculo hospitari esse tolerandum, sed illos ab istis separato in cubiculo esse collocandos, quamvis probassent per testimoniales litteras se invicem coniunctos in primo gradu aut matrimonio copulatos neque a domino notario licentiam ibidem hospitandi cuique concedendam nisi prius exhibuerit iste patentes litteras in forma suae paupertatis, in quibus etiam sit testimonium eius bonorum morum et observantiae praeceptorum ecclesiae, quas litteras veras tantumodo recognoscet, si sint eaedem confectae a curia episcopali cui hospites sint subiecti, nisi fortasse aliqui ex iis discesserint a finitimis huic loco paroeciis, quorum parochorum caracther cognitus sit ipsi notario, declarans insuper nullo modo licere dominis sindicis dare pro eleaemosina aliquam summam pecuniae |**124^{v}**| ipsis hospitantibus, cum neque ex testamento neque ex intentione testatoris id ipsis permissum esse non constet et panem fabasque in die Defunctorum distribuendum tantumodo esse pauperibus Christi, sicut id quod hospitalis et hospitum manutentioni supererit. Ut autem pauperes Christi dignoscantur, ne a sindicis aut ab aliis et hominibus huius communitatis distributio fiat potius iuxta voluntatem eorum et affectiones quam iuxta intentionem testatoris, decrevit ut deinceps petant informationem ab eorum reverendo praeposito et ab ipso describantur qui sint huiusmodi pauperes Christi, cui manifestae sunt et esse debent neccessitates suorum parochianorum et iuxta testimonium eiusdem reverendi praepositi plus minusve pauperibus cum proportione neccessitati cuiusque distribuant; in reliquis vero capitula ipsa approbavit et ita et cetera, omni et cetera. Eidem hospitali a quondam Ioanne Antonio Franzosio in suo testamento 1630 – ut fuit assertum – cuius copia non autentica exhibita fuit, reliquit suam haereditatem, cum conditione manutenendi missam quotidianam in ecclesia parochiali eiusdem loci, dummodo bona relicta sufficiant; quod si non sufficerint, facultatem dedit hospitali et domino praeposito taxandi numerum missarum prout melius videbitur, demandando electionem communitati et hominibus Polpenatiarum, cum consensu |**125**| reverendi praepositi, concedendo sacerdoti ut, invitatus, possit intervenire officiis tam in hoc loco quam extra et cum praelatione sacerdotum familiae Franzosi et, in casu quo, satisfacto oneri missae quotidianae, redditus supererint, ipsi dispensentur iuxta institutum hospitalis. Bona a praedicto testatore relicta aestimata fuerunt, ut apparet ex copia aestimationis exhibita, non tamen autentica, ad summam ducatorum 943 pro ratione 5 pro centenario. Hospitale ipsum ad praesens – ut asseruit reverendus dominus Paulus Franzosius, cappellanus huis officiaturae – celebrare facit missas 95 in anno et non ultra, quarum eleaemosinae cum non respondeant fructui capitalis ut supra extimati et, e contra, reggentes hospitalis exposuerint bona praedicta fortasse vendita fuisse minoris quam extimata apparent et eorum fructus diminutos quoque fuisse (nam hisce in locis vix investiri potest in ratione quatuor pro centenario) ideoque illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit praedictos reggentes ut adhibeant diligentiam ad separanda capitalia huic piae dispositioni obnoxia, ad hoc ut eorum valor et fructus ab iis dependentes dignoscantur, ut iuxta ordinationem testatoris celebretur missa taxanda ab hospitali et a domino praeposito iuxta vires reddituum, servata semper eleaemosina solidorum triginta pro quaque missa et ita et cetera, omni et cetera. Hisce peractis, prandium sumpsit et paulisper quievit. |**125^{v}**| Die antedicta 11 mensis maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus parochialem ecclesiam antedictam petiit in qua, humili facta oratione ante divinum Sacramentum, pluviali indutus quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte signavit. Dimissis subinde sacris paramentis, visitavit altare Conceptionis beatae Virginis Mariae, in mensa marmoreum et consecratum cum palio ex serico, in reliquis ex ligno inaurato consurgit habetque iconem depictum, de ratione societatis sub titulo eiusdem Conceptionis, a qua de omnibus manutenetur. Haec societas antiquitus fuit instituta et a felicis recordationis Clemente papa VIII, anno 1597 die 25 septembris, multis indulgentiis donata, prout constat ex bulla exhibita, visa et restituta et ex sumario auctoritate episcopali typis dato sub die 23 ianuarii 1597, viso itidem et restituto. Societas ipsa, ex legato quondam domini Bartholomaei Sinini, tenetur ad celebrare faciendam unam missam quotidianam in hoc altari in suffragium animae ipsius, eius uxoris et omnium suorum defunctorum per sacerdotem eligendum a confratribus ipsius societatis pro uno voto, a cosilio communitatis pro altero et ab admodum reverendo praeposito huius ecclesiae pro tertio, cui sacerdoti testator

facultatem concessit accedendi ad officia tam in hoc loco facienda quam extra hunc ipsum locum quotiescumque invitatus |**126**| fuerit, addendo ipsi onus coadiuvandi in cura in tertio loco, idest post reverendum curatum praedicti reverendi praepositi et ut latius in eius testamento diei 9 octobris 1630, in actis Gulielmi Ferremi notarii; modo huius officiaturae cappellanus est reverendus dominus Petrus Bertatius, cui societas dat stipem scutorum octoginta brixiensium et adimplet oneri missarum nec non coadiuvat in cura animarum in tertio loco, scilicet post reverendum curatum supradicti reverendi domini praepositi. Habet societas ipsa hoc quoque tempore eosdem redditus, scutorum scilicet 350 circiter brixiensium – ut asseruerunt – ex quibus, praeter adimplendam praedictam obligationem, faciunt celebrare plurimas alias missas, quae ascendunt ad numerum 500 circiter in anno et anniversaria iuxta eius institutum; manutenet hoc altare in oratorio Sancti Petri, quod est de ratione eiusdem societatis. Quibus intellectis, et consideratis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit ut decentius hoc altare ornetur et servetur; neque enim omnis redditus impendendus est in missis celebrandis. Visitavit altare sanctissimi Corporis Christi, de iure eiusdem societatis, cum mensa marmorea cum portatili, palio ex serico et icone depicto; reliquas habet partes ex gypso instructas. Ad hoc altare adest societas eiusdem sanctissimi Corporis Christi, canonice |**126**^{v}| errecta auctoritate ordinaria anno 1698 die 3 martii, ut constat ex decreto exhibito, viso et restituto et habet sua capitula, auctoritate praedicta approbata die 30 iunii 1698, quae pariter exhibita, visa fuerunt et restituta. Societas ista est haeres bonorum quondam dominae Isabellae Maffizzolli, quae in suo testamento diei 12 aprilis 1684, in actis Laurentii Voltolina notarii, suis haeredibus institutis ipsam substituit, cum onere celebrare faciendi missam quotidianam in hoc altare pro animabus suorum defunctorum ac presertim pro anima sua et sui fratris nec non haeredum institutorum et mandavit ut provideretur de paramentis ex bonis suae haereditatis, declarando expresse et ordinando redditus ipsius haereditatis impendendos in operibus piis, ut in dotando pauperes filias, in construenda lampade argentea pro altari Sanctissimi, in providendis paramentis pro celebratione missae et in ipsis manutenendis mundis et candidis aut in egenos et pauperes. Insuper mandavit ut in sextis feriis martii fieret expositio Sanctissimi in hac ecclesia, cum triginta cereis accensis. Hisce oneribus adimplet societas et eligit cappellanum amovibiliter, qui modo sunt duo, utrique pro medietate anni, scilicet reverendi domini Sperindeus Bertazzi et Andreas Bertolinelli, qui pro stipe accipiunt |**127**| pro tota missa quotidiana scutata 73 cum dimidio brixiensia. Nullas tamen puellas dotari asseruerunt, quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, interpretando, decrevit ut quotannis duae puellae huius tantum loci bonae famae honestaeque vitae, quae frequentent doctrinam christianam et sacramenta quaeque muniantur testimoniali reverendi praepositi, a quo etiam testificetur de eorum paupertate, dotentur, assignando pro una quaque quinque scuta brixiensia et, si plurimae sint conditionis suprascriptae, earum nomina in urna ponantur et per innocentem puerum coram dominis sindicis et cancellario huius societatis duas ex his extrahantur et quae duae ex ipsis extrahentur, praedicta dotatio, quando erit casus earum matrimonii, a societate solvatur. Verum, si aliquae sint puellae ex illis a testatrice vocatis, ipsae praeferantur et illo anno vel una vel nulla alia dotetur, si una vel plures dotandae sint vocatae a testatrice. Praeter redditum quem habet haec societas a praedicta haereditate, nonnullos sed parvos habet redditus ex aliis legatis, a quibus tamen nulla derrivat certa obligatio et in totum fructus quos percipit ipsa ex capitalibus a se in praesens possessis, sunt – ut asseruerunt – ducenta circiter scuta brixiensa. Altare sancti Rocchi, cum mensa marmorea, portatili et icone depicto; reliquas habet partes ex gypso constructas, |**127**^{v}| de iure societatis eiusdem sancti Rocchi, a qua manutenetur. Canonice instituta apparet haec societas ex licentia episcopali diei 4 iunii 1688, visa et restituta et habet sua capitula eadem auctoritate approbata die 13 februarii 1690, quam approbationem vidit in finem eorumdem capitulorum, ibidem visorum et restitutorum. Huius societatis redditus sunt librarum tercentum circiter parvularum, ut constat ex libro reddituum, ostenso, viso et restituto; ex his manutenetur hoc altare et alterum quod est in ecclesia Sancti Petri infra limites huius parochialis, quod altare est de ratione huiusmet societatis, quae habet etiam onus faciendi celebrare missas triginta in hoc altari, ex legato quondam Marci Peciae, prout constat in eius testamento 21 iulii 1630, in actis domini Hieronymi Bertazzi notarii, viso et restituto, in quo testamento mandavit celebrandas quot annis perpetuo in dicto altari per reverendum cappellanum, qui conducetur missas triginta per mensem continuum differentem ab aliis, taxando a commissariis pro salute animae eius et suorum defunctorum, pro quibus celebrat reverendus dominus Paulus Franzosi. In hac ecclesia est obligatio celebrandi missam quotidianam ex testamento quondam domini Florini Botteri diei 11 iunii 1630, in actis domini Francisci Bertoldi notarii, quo instituto suo haeredi substituit in casibus ibidem descriptis |**128**| haeredem animam suam, pro qua ab ipso instituta fuit praedicta officiatura quotidiana, cuius commissariam demandavit, post mortem primi commissarii a se instituti, communitati et hominibus Polpenatiarum, declarans per communitatem intelligere tantumodo viciniam formatam a contratis Fontanellae, Vedrinae,

Montis, Pozzolli et Castelli, cui viciniae dedit facultatem non modo eligendi cappellanum, verum etiam efformandi capitula cum congrua stipe, qua victum et vestitum comparari cappellanus sibi possit, addens eidem dandam domum vel partem domus, in qua degere possit; quod, si ipso cappellano satisfacto redditus adhuc supererit ex eius bonis relictis, mandavit ut in aliis piis operibus ipsi impenderentur, prout apparet latius in praecitato testamento, ibidem viso et restituto et cetera. Nunc temporis est policea exhibita a domino Bertolinelli notario – infra reposita ad litteram H – apparet capitalia quae derrivarunt ex praedicta pia dispositione esse in summa librarum 12836.13 parvularum, ex quibus tantummodo nunc percipitur fructus librarum 552 circiter similium, cum quaedam ex his capitalia non sint investita. Quapropter, cum cappellano commissarii praedicti solvant pro quaque missa eleaemosinam triginta solidorum, vix aliquid est residuum pro adimplendis caeteris eius legatis. |**128**^{v}| Huic oneri adimplet reverendus dominus Hieronymus Folli, sacerdos huius loci et missam quotidianam celebrat in altare sancti Rocchi sibi assiganato, prout eius antecessores consueverunt. Quoad domum eius habitationis, illi assignata fuit domus de ratione praedictae haereditatis, quae est in contrata del Castello, quam domum assignant quoque praedicatoribus cappuccinis, aut sacerdotibus saecularibus, iuxta intentionem testatoris tempore quadragesimali et Adventus. In eadem ecclesia alia fuit instituta officitura perpetua quotidiana a quondam reverendo domino Antonio Peccia, ut apparet ex publico instrumento ab ipso cum hac communitate celebrato autentico diei 10 decembris 1626, in actis Iacobi Bertoldi notarii, viso et restituto, in quo ille cessit duo capitalia: unum librarum bis mille de planeti, alterum librarum mille similium, cum facultate ipsi communitati concessa eligendi sacerdotem qui, si non fuerit de eius familia, debebit habere saltem duo tertia votorum viciniae ordinariae, qui etiam sit bonae vocis, conditionis et famae et, antequam electio fiat, stirdetur ipsa alta voce in die feriata post missam altam in publica platea terrae Polpenatiarum saltem per dies octo ante, sub poena nullitatis. Ex libris huius officiaturae apparet capitale eidem obnoxium consistere in libris 7081.18; eius redditus vero in libris 280 circiter, prout ex pollicea exhibita |**129**| a praedicto domino Petro Paulo Bertolinelli, notario communitatis, in fine huius libri ad litteram H reposita. Quapropter, cum redditus huiusmodi non sufficiant ad adimplendam obligationem praedictae missae quotidianae et deficiant suppellectiles in sacristia pro eadem missa celebranda, excellens dominus Laurus Glisenti, nomine communitatis et ab ipsa electus, supplicavit suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ad hoc ut, sua auctoritate, decerneret quomodo adimplenda sit praedicta obligatio et comparandae suppellectiles neccessariae. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, voluntatem piam praedicti reverendi domini Antonii Peciae interpretando et omni meliori modo et cetera, decrevit et declaravit quotannis ex redditibus impendendas esse libras sexaginta, quibus provideatur de suppellectilibus neccessariis, quae erunt communes cum officiatura quondam Iosephi Rasae, de qua infra dicetur et huiusmodi librae sexaginta continuentur impendi donec, una cum redditibus officiaturae Rasae, ut infra, de iisdem provisum fuerit; ressidui vero redditus cappellano dentur, cum obligatione illi iniuncta celebrandi tot missas quot celebrari poterunt, habita ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque missa et ita et cetera, omni et cetera. Instituit huic ipso altari sancti Rocchi officiaturam duarum missarum pro quaibet hebdomada quondam dominus Aurelius quondam domini Pacifici |**129**^{v}| Botti, in suo testamento 9 augusti 1630, in actis domini Hieronymi Bertazzi notarii, exhibito, viso et restituto, legando unam petiam terrae ibidem descriptam communitati Polpenatiarum, cum onere praedictae officiaturae, praeter legatum librarum quinquaginta planeti pro paramentorum manutentione et cerae. Ex libro foris inscripto “Libro de capitali censuarii e livellarii del commun di Polpenazze” anni 1665 apparet petiam terrae relictam subastatam fuisse sub die 15 maii 1650 et ex eius praetio efformata capitalia in summa tronorum 1201.7. Communitas ipsa impendit tronos 325.10 ut satisfaceret pro publicis gravaminibus, prout constat ex eodem libro ad partitam “livelli Botti” atque adeo constat ipsam debere in sua specialitate hanc quantitatem; residuum autem eius summae confusum est inter capitalia pertinentia ad dictum commune ac praesertim capitale tronorum 520, quod ibidem apparet investitum in bonis domini Petri Giustacchini; quod capitale sic investitum reperitur usque ad annum 1692, ut ex libro inscripto “Libro de crediti” 1692, viso et restituto et cetera, cuius fructus impendebatur pro stipe concionatoris. Quapropter constat teneri communitatem ad adimplendam mentem praedicti testatoris, quamvis multis ab hinc annis omiserit celebrationem ordinatam ideoque, cum ipse testator in praedicto testamento declaraverit in casu quod |**130**| si fructus non sufficiant pro celebratione dictarum missarum, ipsae regulentur per reverendum dominum praepositum qui pro tempore erit huius ecclesiae. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mandavit reggentibus huius spectabilis communitatis ut, facto computo reddituum qui percipi possunt a praedictis capitalibus, consulant admodum reverendum dominum praepositum et ab eo fiat moderatio oneris iuxta vires eorumdem reddituum, habito respectu eleaemosinae manualis solidorum triginta pro quaque missa. Quoad vero ommissionem, curent praedicti domini reggentes

ut, quoad fieri poterit, recognoscant principium eiusdem ommissionis et quot annis, praeter missas curentes celebrandas ex redditibus ut supra, alias decem missas celebrari faciant in satisfactionem ommissionis, donec satisfactio ipsa poenitus completa fuerit et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, cum mensa marmorea consecrata, palio ex serico, icone depicto et reliquis partibus ligneis, de ratione societatis sub titulo eiusdem Rosarii, a qua manutenetur. Haec societas canonice instituta apparet ex litteris patentibus generalis ordinis praedicatorum diei 8 aprilis 1660, recognitis in hac curia episcopali die 29 aprilis eiusdem anni, ibidem visis et restitutis. In hoc altari a quondam Peccino di Zani, in suo testamento diei 29 iunii 1629 in actis domini Hieronymi Bertazzi notarii, instituta fuit missa quotidiana, cum obligatione cappellano |**130**^{v}| celebrandi duas missas in hebdomada in ecclesia Sancti Petri, quae officiatura, diminutis redditibus, die 4 septembris 1726 auctoritate ordinaria a vicario generali huius episcopatus reducta fuit ad numerum missarum proportionaliter et ad rationem marculorum triginta pro quaque missa diebus ferialibus et marculorum quadraginta diebus festivis de praecepto et cum conditione quod reverendus cappellanus semel in mense celebret unam ex praedictis missis in dicta ecclesia Sancti Petri. Alia instituta fuit officiatura quotidiana in hoc ipso altari a quondam Iosepho Razo huius loci, in eius testamento diei 19 maii 1630 in actis domini Hieronymi Bertazzi notarii, viso, lecto et restituto, in quo ordinavit ut, ex eius bonis, capitale scutorum mille cederetur communitati Polpenatiarum, cum onere eidem iniuncto sibi celebrari faciendi tres missas in oratorio Sancti Antonii villae Picedi, numquam festivas de praecepto et alias in altari praedicto Rosarii ac eiusdem communitatis consilio Duodecim facultatem dedit eligendi cappellanum qui approbetur cum tribus tertiis votorum eiusdem consilii, praeferendis tamen sibi coniunctis, cum conditione quod cappellanus sit bonae vocis, conditionis et famae et ut latius in praedicto testamento; addens, praeter redditus provenientes ex dicto capitali, eidem cappellano concedendam esse domum a se relictam pro eius |**131**| habitatione, qui tamen cappellanus teneatur providere de cereis et RIVISTO FIN QUI suppellectilibus. Cum vero ad praesens capitale, tam ex praedicto relicto capitali scutorum mille quam ex domo pro Cappellano, quae fuit vendita iuxta leges, sit librarum 8962 et eius redditus sint librarum 400 circiter, ex quibus oneri missae quotidianae adimpleri non potest, ut ex policea infra ad litteram H, a domino Petro Paulo Bertolinelli, notario communitatis exhibita; idcirco excellens utriusque doctor Laurus Glisenti, nomine praelaudatae communitatis agen,s humiliter supplicavit ut onus ipsum reducatur iuxta vires reddituum ac decernatur de providendo de suppellectilibus, quibus haec officiatura caret. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, interpretando piam dispositionem praecitati Iosephi Razo et omni meliori modo et cetera, decrevit ac declaravit ex redditibus quot annis praededucendas libras sexaginta pro providendo de paramentis, quae sint comunia cum officiatura Pecia et id sit continuandum donec ex impensis, tam pro ipsa officiatura Pecia quam pro ista Razo ac etiam pro infrascripta Bolletti satis provisum fuerit de huiusmodi paramentis et non ultra. Residuum vero reddituum nec non redditus omnes, cessante impendio pro paramentis, dentur cappellano, cum onere tot missas celebrandi quot celebrari ab ipsis |**131**^{v}| poterunt, servata ratione eleaemosinae quadraginta solidorum pro missis festivis de praecepto et triginta solidorum pro missis ferialibus, cum obligatione celebrandi in altari Rosarii parochialis ecclesiae singulis diebus festis et un missa in eodem altari singula hebdomada in die feriali, caeteras autem feriales missas in oratorio Sancti Antonii Villae Picedi, ita distribuendas ut quantum fieri poterit una in quoque hebdomada ibidem celebretur et ita et cetera omni et cetera. Adest alia officiatura in hac ecclesia celebranda, quam apparet relictam fuisse a quondam Ioanna Maria Bolletto huius loci in suo testamento diei 29 iulii 1630, prout enunciatur in antiquo libro communitatis foris inscripto: “Ordinamenti anno 1631” et in pagina in qua describitur consilium diei 15 februarii eiusdem anni, qui liber exhibitus fuit, lectus et restitutus. Testator praedictus reliquit communitati eidem capitale librarum 4.000 planeti, cum onere celebrare faciendi missam quotidianam et cum facultate illi concessa eligendi per scrutinium sacerdotem una cum hominibus terrae Montis, quam obligationem ibidem apparet acceptatam fuisse a communitate. Successive, cum ex iisdem libris appareat capitale ipsum aliquantulum diminutum et eius redditus quoque diminuti (nam ex pollicea subscripta a domino Petro Paulo Bertolinelli comunitatis notario, exhibita et infra ad |**132**| litteram H posita, constat capitale ad praesens consistere in libris 6305.10, redditum autem in libris 230 circiter) ideoque praedictus dominus Glisenti, nomine ut supra communitatis, humilime supplicavit suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut decernere dignaretur eiusdem oneris reductionem, declarando quod sit impendendum pro suppellectilibus pro dicta officiatura, quae iisdem fere est destituta. Quibus auditis et consideratis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, interpretando piam dispositionem praedicti Ioannis Mariae Bolletti et omni meliori modo et cetera, decrevit et declaravit praededucendas ex redditibus libras quadraginta quinque, quae, una cum praededucendis ut ante ab officiaturis Pecia et Rezo, impendantur quotannis in providendis iisdem suppellectilibus sacris pro missae

sacrificio, quae sint communes eisdem officiaturis Peciae, Razo et Bolletti, cum conditione quod, statim ac provisum fuerit, cesset haec praedeductio et hoc impendium residuum vero reddituum detur cappellano, a quo tot missae celebrentur quot celebrari poterunt iuxta vires ipsorum reddituum, habita ratione eleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque missa. In eodem altari celebrantur aliae missae iuxta obligationes derrivatas ex testamento quondam Lazari Crescini et ex aliis obligationibus, descriptis in libro foris inscripto: "Crediti del Santissimo Rosario 5°", de quibus tamen obligationibus 0cum? |**132^{v}**| Reggentes eiusdem societatis nescirent informare, eos monuit ut investigent testamenta seu institutiones earumdem et capitalia respective ab iis dependentia, sibi resservando, extra visitationem tamquam in visitatione, decernere quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Vidit subinde sacristiam in cornu epistolae altaris maioris instructam, in qua existunt paramenta posita in diversis armariis respective ad diversas officiaturas atque ea visitavit, de quibus, in polliceis exhibitis, infra ad litteras H repositis. Egressus e sacristia, cum nonnulli essent dispositi ad laudes suae illustrissimae et reverendissimae dominationi celebrandas, ibidem sedit eosque accademico modo recitantes elegantes versus audivit, quibus cum benignitatis suae argumenta praebuisset, ad domum parochialem reversus, ibidem quievit et incenatus obdormivit. Die dominico 2 mensis maii 1743. Summo mane reverendissimus dominus provicarius generalis aequitando se contulit, una cum me notario, ad visitanda oratoria infrascripta et primum visitavit simplicem ecclesiam, olim parochialem nuncupatam Sancti Petri, infra limites parochialis Polpenatiarum, quae ecclesia est de iure communitatis, tribus constructa navibus et in ea tria extant altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius, sancto Petro dicatum, cum mensa marmorea |**133**| cum portatili, icone depicto, in reliquis ex ligno inaurato constructum, de ratione huius communitatis. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in hac ecclesia centum missae celebrantur in anno, ex legato quondam reverendi domini Francisci Delai, ut assertum fuit. Altare sancti Rocchi, in mensa marmoreum super murum constructa cum portatili; caeterae eius partes ligneae, ubi adest imago sancti Rochi in ligno sculpta, cirum quam depicta sunt eius gesta. Hoc altre est de ratione societatis sancti Rocchi, in parochiali ecclesia errectae, in quo celebratur missa prout supra relatum fuit in visitatione altaris sancti Rocchi in ipsa parochiali. In hoc altari quondam dominus Bartholomaeus quondam domini Gabrielis Bersanini de Polpenatiis instituit officituram perpetuam quotidianam, ut apparet ex eius testamento diei prima augusti 1630, in actis domini Hieronymi Bertazzi notarii et subsequentibus codicillis, visis ibidem et restitutis, in quo instituit haeredes in bonis in ipsis descriptis intervenientes pro dicto altari in ecclesia Sancti Petri Loconi, cum onere praedicte missae quotidianae et cum conditione quod, si redditus supersint, impendantur pro manutenendo altari et ut latius ibidem, dans facultatem cappellano applicandi octo missas pro quoque mense pro aliis obligationibus; electionem demandavit huius cappellani pro duobus votis viciniae Vedrinae, et pro |**133^{v}**| uno voto familiae suae descendentibus. In codicillo vero taxavit salarium pro cappellano in scutis 80 brixiensibus, ultra domum et utensilia. At praedicta vicinia Vedrinae die 25 aprilis 1642 – ut apparet ex copia extracta a libro ordinamentorum eiusdem visa et restituta – ius suorum votorum renunciavit familiae praedictae de Bressaninis. Capitalia, quae nunc extant, apparent ex instrumento emptionis bonorum praedictae haereditatis diei 15 decembris 1740 viso et restituto et caetera, in quo bona huiusmodi vendita fuerunt reverendo domino Gulielmo Bertazzi praetio librarum 4051.7, ex quibus idem, tamquam debitor eiusdem pretii, se obligavit solvere livellum in ratione quatuor pro centenario, idest libras 162.1, quae sunt fructus huius haereditatis et officiaturae, pro qua celebrat ipsemet reverendus Bertazzi. Reverendus dominus Bartholomaeus Bertazzi, agens nomine etiam nomine aliorum commissariorum huius officiaturae, tamquam descendentium ex familia de Bersaninis, debita reverentia supplicavit ut a sua illustrissima et reverendissima dominatione decernatur quomodo pia haec dispositio sit adimplenda. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, praemissa supplicatione intellecta consideratisque considerandis, omni meliori modo et caetera decrevit et declaravit quotannis missas celebrandas esse in praedicto altari ita dipartiendas singulis hebdomadibus ut cum proportione in haebdomada dicantur, assignando unicuique eleaemosinam triginta solidorum. |**134**| Residuum vero quod remanet, erogata stipe pro dictis missis nonaginta, impendatur quotannis pro comparandis utensilibus pro altari et suppellectilibus pro sacrificio missae, cum conditione quod, si creverit fructus, numerus quoque missarum cum taxa eiusdem eleaemosinae accrescat, de quibus omnibus detur notitia societati sancti Rochi pro suo interesse et inspectione super executionem praedictae officiaturae, aggravando et onerando conscientiam tam descendentium ex familia Bersanini quam reggentium societatis sancti Rocchi ut solerti cura invigilent pro recuperandis bonis seu capitalibus, si quae inveniri et cognosci poterunt, obnoxiis eidem piae dispositioni et ita et cetera, omni et cetera. Altare sanctissimae Conceptionis beatae Virginis Mariae, de iure societatis eiusdem Conceptionis, errectae in ecclesia parochiali, a qua manutenetur, ubi nulla est obligatio missarum sed celebratur in eo ex devotione. Hoc altare habet mensam marmoream super murum

constructam cum portatili, iconem depictum et caeteras partes ligneas. Vidit in hac ecclesia fontem baptismalem, olim iam suspensum, quod suspensum quoque declaravit. Visitavit confessionale, ibidem servatum de licentia reverendi domini praepositi necnon suggestum, in quo tamen non concionatur. Vidit campanile, ubi duo sunt campanae a comunitate manutentae nec non totam ecclesiam, quae circum depicta est |**134**^{v}| imaginibus, quae decimi quarti saeculi aetatem indicant. Visitavit sacristiam, cui omnia desunt ad sacrifitium peragendum neccessaria, non obstante ordinatione facta in praecedenti visitatione anni 1711; assertum tamen fuit cappellanos qui hic celebrant deferri ex respectivis eorum armariis, exitentibus in sacristia parochiali, paramenta occurrentia et in die sancti Petri, quo clerus huc convenit ad divina officia celebranda, ex eadem sacristia parochiali omnia deferri, quae ad eadem divina officia persolvenda neccessaria sunt; nihilominus ordinavit ut infra dicetur. Vidit coemeterium praedictae ecclesiae adnexum ibique pro defunctis oravit nec non domum contiguam, quam inhabitat Petrus Bodei haeremita ad hanc ecclesiam custodiendam scelectus. Ordinata. Exequantur ordinationes in postrema visitatione anni 1711 factae de providendo altari sancti Petri de portatili ad mensuram canonicam – aptetur in ipso altari imago Christi crucifixi ex auricalco et crux ipsa ac imago purgentur et provideatur de vasculis cum floribus – exequantur ordinata in visitatione 1711 de firmando portatili altaris sancti Rocchi, circum quod rimae obturentur ipsumque paululum attolatur et tela cerata |**135**| cooperiatur de stragula, tobaleis et pulvinaribus providendis –provideatur idem altare de candelabris saltem quatuor, de mappis et removeantur illae quae nunc in eodem altari sunt positae, utpote lacerae superiori excepta; quae omnia si non exequantur intra trimestre, altare hoc sit suspensum, prout nunc pro tunc suspensum declarat – exequatur ordinatio facta in visitatione anni 1711 de providenda stragula pro altari Conceptionis – obturentur rimulae circum portatile ipsius altaris, et provideatur de vasculis cum floribus, de tabellis et icon eiusdem altaris purgetur – confessionali ponatur cratis foraminibus minutioribus a parte sinistra confessarii, a cuius etiam parte ponatur tabella casuum resservatorum et a partibus poenitentium imagines devotae et, donec provisum sit de crate supra ordinata, sit suspensum. Pro sacristia exequatur ordinatio in postrema visitatione anni 1711 – muri coemeterii attollantur ad altitudinem antiquarum murorum, quorum vestigia adhuc remanent – eradantur herbae e coemeterio ipso, comburantur et cineres super ipsum spargantur. Quibus habitis et cetera. Vidit publicum oratorium sub titulo Sacrae Familiae, intra limites parochialis Polpenatiarum errectum anno 1740 |**135**^{v}| [a margine: Sacra Famiglia] a dominis reverendis Iosepho, Bartholomaeo, Carolo et Thadeo sacerdotibus ac Francisco fratribus Gritti, de quorum iure est ipsum oratorium, quod vidit eleganti forma constructum et in quo unicum est altare cum mensa lignea, super murum constructa cum portatili et icone depicto, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit a parte evangelii locum pro sacristia et in ea armarium ex nuce, in quo sacrae suppellectiles servantur et de omnibus neccessariis pro sacro faciendo bene provisum invenit. Quibus habitis et cetera. [A margine: Sant'Antonio] Visitavit publicum oratorium Sancti Antonii, infra limites praedictae parochialis Polpenatiarum, de ratione nobilis domini Pauli Barzoni quondam domini Hieronymi. Unicum habet altare cum mensa marmorea super murum constructa, cum portatili et icone, reliquas partes ex gypso. Nulla inibi est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit fenestellam per quam conspiciebatur in hoc oratorio omnino obturatam. Visitavit sacristiam, in cornu epistolae errectam et in ea paramenta, de quibus sufficienter privisum invenit. Ordinata. Exequatur ordinata in visitatione anni 1711 facta de ramatis |**136**| et speris ad fenestras huiusmodi oratorii aptandis. Quibus peractis, ad parochialem ecclesiam se restituit. Illustrissimus vero et reverendissimus praesul antedictus, cum omnia in ecclesia parochiali disposita essent ad pontificalem missam celebrandam, ut huius communitatis desiderio indulgeret, ad ecclesiam ipsam se contulit, ubi pontificalibus indumentis ornatus ad altare sancti Rocchi accessit iussitque ut extraeretur e custodia sacra reliquia, scilicet sanctae Crucis, quae nondum publicae venerationi concessa fuit eamque visitavit, una cum reverendissimo domino provicario suo generali et recognovit sigillo et litteris autenticis munitam; deinde thurificationis honore illi dato, canentibus musicis, hymno absoluto, cum ipsa populo benedixit. Posthaec eius quoque iussu aliae reliquiae sanctorum Petri et Pauli apostolorum ac Blasii episcopi et martyris extractae et recognitae fuerunt, sigillo et litteris munitae publicoque cultui permissae. Thronum deinde suum conscendit et, solitis adhibitis ritibus et coeremoniis a pontificali romano traditis, infrascriptos clericos, de legitimo matrimonio natos, in aetate debita constitutos et, quoad litterarum scientiam, morum honestatem aliaque de iure requisita per diligens examen habiles et idoneos repertos, attentis etiam exercitiis spiritualibus per decem dies continuos ab ipsis peractis servatisque aliis servandis, ad infrascriptos ordines legitime promovit, videlicet: |**136**^{v}| ad tonsuram et minores, Paulum Hieronymum Simbinelli, filium domini Francisci de Leonato, veronensis diaecesis in habitu ad tonsuram; Ioannem Dusi, filium [*manca*] lectorem de Sancto Felice Riperiae, veronensis diaecesis ad duos ultimos minores. Qua peracta ordinatione, missam pontificalem

celebravit, choro musicorum dulciter canente, assistentibus parochis finitimis et gratiis postea Deo optimo maximo actis, ad aedes parochiales reversus est et prandium sumpsit. Die antedicta 12 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, in eamdem ecclesiam regressus, sub throno panegerim ab admodum reverendo domino Paulo Ronca, rectore Castrasoni diaecesis brixiensis, recitatam audivit, qua erudite et adposite laudes celebravit sanctae Crucis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli ac sancti Blasii episcopi et martyris et populi erga horum reliquias devotionem ac pietatem excitavit, praesulis quoque praesentis pietatem laudibus exornavit, qua hanc gregis sui partem visitare et collere dignatus est. Ad aedes subinde parochiales restitutus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, pro tribunali sedit et coram eo vocati comparuerunt: admodum reverendus dominus Georgius Biolchi, praepositus huius parochialis ecclesiae, aetatis annorum 51 circiter, qui obtulit bullas apostolicas collationis huius beneficii et mandatum executivum diei 22 septembris 1722 nec non vicariae foraneae hodierna |**137**| die confirmatum nec non parendo mandatis obtulit polliceas status huius ecclesiae, in fine huius libri repositas ad litteram H. Deinde praesentavit libros curae animarum, scilicet matrimoniorum unum, alterum baptizatorum, tertium matrimoniorum (*defunctorum*?) ac quartum status animarum nec non librum congregationum, quos omnes vidit ac visitavit et bene instructos invenit. Interrogatus postea de vita, moribus et honestate tam sacerdotum quam clericorum nec non si adsint in hac paroecia scandalosi, usurarii, concubinarii aut alii publici peccatores, respondit – divina miseratione – hic huiusmodi homines non esse, clerum autem honeste et religiose vivere. Reverendus dominus Antonius Castrasoni, sacerdos curatus aetatis annorum 28 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 28 martii 1743. Reverendus dominus Petrus Bertazzi, sacerdos aetatis annorum 38, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 13 septembris 1742. Reverendus dominus Ioannes Borgognini, sacerdos annorum 44 circiter. Reverendus dominus Andreas Bertolinelli, sacerdos annorum 45 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 11 iunii 1742. Reverendus dominus Iacobus Berno, sacerdos aetatis annorum 48 circiter, |**137**^{v}| cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 13 novembris 1742. Reverendus dominus Petrus Franzosi, sacerdos aetatis annorum 45 circiter. Reverendus dominus Sperindeus Bertazzi, sacerdos annorum 38 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 11 iunii 1742. Reverendus dominus Gulielmus Bertazzi, sacerdos aetatis annorum 70 circiter. Reverendus dominus Petrus Senini, sacerdos annorum 59 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 13 septembris 1742. Reverendus dominus Paulus Franzosi, sacerdos aetatis annorum 60 circiter. Reverendus dominus Dominicus Franzosi, sacerdos annorum 37 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 13 septembris 1742. Reverendus dominus Bartholomaeus Bertazzi, sacerdos annorum 34 circiter. Reverendus dominus Ioannes Antonius Filippini, sacerdos annorum 40 circiter. Reverendus dominus Dominicus Cominoti, sacerdos annorum 36 circiter. Reverendus dominus Hieronymus Folli, sacerdos annorum 37 circiter. Reverendus dominus Antonius Delai, sacerdos aetatis annorum 80 circiter. Reverendus dominus Franciscus Bertoldi, sacerdos annorum 38 circiter. Venerabilis clericus Ioseph Ribelli, subdiaconus annorum 22 circiter. Petrus Bodei brixiensis, haeremita deputatus custodiae simplicis ecclesiae Sancti Petri intra fines huius parochialis. Qui omnes illustrissimo et reverendissimo praesuli eorum respective litteras patentes debito obsequio obtulerunt. |**138**| Comparuerunt subinde domini electi huius communitatis, qui interrogati de vita, moribus ac diligentia in proprio officio fungendo admodum reverendi praepositi nec non de vita, moribus et honestate sacerdotum et clericorum ac etiam an in populo sint usurarii, concubinarii, scandalosi aut alii publici peccatores, responderunt admodum reverendum praepositum omni vigilantia officio suo fungi, bonae vocis et famae totum clerum esse nullumque – Dei gratia – extare usurarium, concubinarium aut publicum peccatorem. Comparuit etiam Maria uxor Francisci Turelli, obstetrix huius loci, quae examinata circa administratione baptismi in casibus neccessitatis et bene se instructam esse demonstravit. Antonia vero, uxor Natalis Bolletti, annorum 70, de qua testimonium dedit dominus praepositus circa eius habilitatem in administrando eodem sacramento baptismatis in casibus neccessitatis et in reliquis quae pertinent quoad spirituale ad eius officium, attenta sua gravi aetate, fuit dispensata. [A margine: Oratorio privato Glisenti] Quibus peractis et cetera, reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum oratorium sub titulo Sancti Fidentii, intra privatas aedes nobilium dominorum Lauri, Laurentii et Fabii fratrum Glisenti, auctoritate apostolica errectum de licentia episcopali, ut ex mandato diei 11 martii 1734, quod est intra fines Polpenatiarum et habet altare marmoreum cum portatili |**138**^{v}| et icone ex gypso elaborato, circum ornatum, de omnibus provisum. In cornu epistolae adest locus pro sacristia, in quo vidit paramenta aliaque ad sacrum faciendum neccessaria, bene disposita et servata. Hisce actis, ad aedes parochiales se restituit, in quibus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus diversatus est et pernoctavit. [A margine: Sant'Antonio Abbate] Die lunae 13 mensis maii 1743.

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus summo mane, cum reverendissimo domino provicario suo generali, oratorium publicum Sancti Antonii Abbatis in contrata Pizzedi, intra limites huius ecclesiae parochialis Polpenatiarum, de iure eiusdem villae Pizzedi, illud visitaturus petiit; quo perventus, missam a reverendo suo cappellano a secretis celebratam audivit et subinde vidit in hoc oratorio duo altaria et visitavit primum: Altare maius, quod est de ratione ipsiusmet contratae, a qua manutenetur, ut manutenetur etiam ipsum oratorium et habet mensam marmoream super murum constructam; reliquae eius partes ex muro quoque sunt elaboratae, cum portatili et icone depicto. In hoc altari fuit instituta officiatura quotidiana a quondam domino Iacobo quondam domini Sancti Radii de Polpenatiis, ut apparet in eius testamento diei 12 augusti 1630 in actis domini Bartholomaei Giorii notarii, viso, |**139**| lecto et restituto, in quo primo suo haeredi in casibus ibidem descriptis substituit haeredem universitatem Pizzedi, cum onere celebrare faciendi perpetuis temporibus missam quotidianam in ecclesia divi Antonii terrae praedictae pro anima ipsius testatoris et suorum defunctorum, quae officiatura modo peragitur a reverendo domino Francisco Bertoldi, cappellano electo ab universitate praedicta amovibiliter, a qua stipem annuam accipit scutorum 75 brixiensium. Ex perantiqua consuetudine, quae fortasse derrivavit ex aliqua pia dispositione, solet ipsa vicinia Pizzedi celebrare facere missas centum triginta, quas modo celebrat reverendus dominus Ioannes Borgogninus, electus ab ipsa universitate amovibiliter, a qua accipit stipem librarum 169 et onus – ut fuit assertum – adimplet. Visitavit alterum altare, beatae Virgini Mariae a Carmelo dicatum, decenti forma constructum et decentibus suppellectilibus ornatum, ex quo cognovit paritum fuisse decreto in visitatione anni 1711 facto. Hoc altare in omnibus partibus est ex muro constructum, cum portatili et in eo est imago beatae Virginis Mariae Carmeli in ligno inaurato sculpta, sub crystallis. In hoc altari errecta est canonice societas eiusdem beatae Virginis Mariae a Carmelo, ut apparet ex diplomate eius institutionis admisso auctoritate episcopali die 27 iulii 1716. |**139^{v}**| Pro confratribus eiusdem societatis est privilegiatum hoc altare in die Commemorationis defunctorum, illius octava ac feria quinta cuiuslibet hebdomadae, ut ex brevi apostolico ad septennium dato et in hac curia episcopali recognito die 31 octobris 1741. Vidit sacristiam, in cornu evangelii errectam et in ea armarium ex nuce, in quo sacra paramenta servantur, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Visitavit coemeterium contiguum inibique preces pro defunctis fudit. Ordinata. Obturentur rimulae portatilis altaris maioris – in sacristia semper teneatur liber in quo, singulis diebus quibus suprascripti cappellani celebrant et celebrare debent pro officiaturis, se scribant et subscribant, ad hoc ut appareat eorum onera adimplevisse. Quibus habitis, in aedes parochiales receptus, prandium sumpsit. Die antedicta 13 mensis maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in antedictam ecclesiam descendit, in qua pias Deo optimo maximo preces fudit; deinde visitavit totam hanc parochialem ecclesiam, quae est de iure communitatis ipsius loci Polpenatiarum et subest iurisdictioni episcopali conferturque per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini et est consecrata et anniversaria dies collitur die 8 octobris. |**140**| Vidit suggestum, in quo concionatur diebus festivis Quadragesimae ac feriis secunda, quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae tempore quadragesimali. Concionator eligitur a communitate huius loci, cui stipem tradit scutorum triginta, cum mandato et benedictione episcopali, cum qua etiam concionatur tempore Adventus et eadem communitas erogat honorarium scutorum decem. Vidit organum et campanile caeterasque ecclesiae partes, quas omnes bene instructas esse reperiit fecitque sequentes ordinationes et decretum. Ordinata. Reficiantur muri coemeterii ubi reficiendi et eradantur herbae in eo sucrescentes et rasae continuo serventur illaeque comburantur et cinis super ipsum dispergantur – tabernaculum vestiatur intus panno serico albo – provideatur de umbella ex serico albo pro associando Sanctissimo ad infirmos – custodia oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violaceo – in confessionalibus puerorum non audiantur confessiones mulierum – obturentur confessionali posito iuxta altare sanctissimi Crucifixi foramina maiora quae sunt in cratibus, vel crates ipsae mutentur et ponantur aliae cum foraminibus minutioribus - |**140^{v}**| exequatur ordinatio postremae visitationis anni 1711 de portatili ponendo in altari maiori ad mensuram canonicam intra trimestre, aliter altare suspensum remaneat – altare ipsum maius provideatur de vasculis cum floribus – provideatur altare Conceptionis beatae Virginis Mariae de mappis, ut semper mundae sint et de vasculis cum floribus – elevetur paulisper portatile altaris sanctissimi Corporis Christi – provideatur de nova cerata et de mappis ad hoc ut mutari possint et mundae semper sint ut decet altaris sanctitatem et ut ordinatum fuit praecipue a quondam Isabella Maffizzolli, benefatrice huius altaris – comparentur tobaleae ut mutari possint et mundae semper adsint in altari sancti Rocchi – provideatur a comunitate pro paramentis reverendi praepositi et de mappis pro altari maiori, ut mutentur et mundae semper sint in ipso altari – de pluviali nigri coloris et de pleneta nigra ex serico – inauretur clavis ferrea cutodiae superioris tabernaculi – suspenditur paramentum violaceum de ratione societatis Rosarii donec provisum sit de stola, manipulo et sarcita fuerit planeta – provideatur a Ssocietate praedicta de

paramentis nigri et viridis colorum et de paramento albo et illud quod existit suspenditur – in armario ubi servantur paramenta ipsius societatis |**141**| Rosarii asseres ductiles ponantur, super quibus posita sint paramenta – pro cappellaniis communitatis sarciatur paramentum variorum colorum et provideatur de velo et bursa pro eodem – provideatur quoque paramentum colorum viridis et violacei, de stola, manipulo et bursa – provideatur sacristia de manutergio, semper in ea servando mundo – omnibus planetis in parte anteriori construatur corda, qua illa firmetur corpori celebrantis – provideatur de pelvibus pro urceolis omnibus altariis. Decretum. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, visitando sacristiam, observavit et cognovit in eadem non esse neque retineri neque custodiri librum in quo describantur et subscribantur sacerdotes celebrantes et adimplentes oneribus missarum sibi iniunctis, quod cum sit recto ordini contrarium ac constitutionibus ecclesiasticis, decrevit ut in eadem sacristia duo libri semper existant, in quorum primo de die in diem omnes sacerdotes celebrantes se se subscribant, in altero vero, qui ad formam indicis est conficiendus, in cuius indicis locis distinctis sint descriptae obligationes adimplendae in hac ecclesia et sacerdotes in iisdem locis respective ad suas obligationes |**141^{v}**| scribant et se subscribant de die in diem, quo celebrant pro respectivis praescriptis obligationibus, ita ut in fine anni a commissariis officiaturarum dignosci possit ex ipso libro an iuxta voluntatem institutorum ipsarum et iuxta in hac visitatione vel a praedeccessoris emanatas reductiones celebraverint et, quatenus relevaverint ex eodem libro onus cuique cappellano impositum adimpletum, satisfaciant cappellanum ipsum, decernendo et declarando non esse stipem solvendam illi vel illis qui ita in eodem libro non se subscripserint et, ad hoc ut libri praedicti continuis temporibus serventur et custodiantur, ordinavit ut, ex sacerdotibus huius loci, instituatur unus sacrista et ille sit qui celebrat primam missam et habet stipem a communitate scutorum quatuordecim, cui dabuntur praeterea, ut ex parte ipsius communitatis et societatum oblatum iam fuit scuta sex pro satisfaciendo huic muneri et ita et cetera, omni et cetera. Quibus absolutis completaque – post preces pro defunctis oblatas et adorationem sanctissimi Sacramenti – visitatione ecclesiae parochialis et pareciae Polpenaiarum, rhedam ascendit una cum reverendissimo domino suo provicario generali caeterisque suis familiaribus, militibus eiusdem loci praecedentibus et subsequentibus deputatis ac principalioribus nec non clero concomitante populo per vias diffuso, benedictionem |**142**| sui pastoris poscente illumque venerante, ad fines eiusdem loci pervenit, ubi accepit benigne officia admodum reverendi domini praepositi et eius cleri, dominorum deputatorum ac principaliorum Polpenatiarum iisque bnedictis, fines ipsos trangressus est et obvium habuit nobilem dominum Michaelem Nicolosi, artium et medicinae doctorem, cum aliis a spectabili communitate Puveniaci deputatis, a quo eiusdem communitatis veneratio et obsequia oblata fuerunt, paternis verbis respondit illustrissimus et reverendissimus praesul et ita ecclesiam versus Puveniaci prosecutus est, militibus eiusdem loci ordine consueto populoque suum praelatum stipantibus. Antequam ad aedes Puveniaci pervenisset, admodum reverendus dominus Ioannes Dusi, archipraesbyter huius ecclesiae parochialis eiusque clerus illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo occurrit eique omne sui animi et officii obsequium peculiari humilitate obtulit. Cum his quoque ad parochialem domum venit ac ibidem paulo post incoenatus obdormivit.

[A margine: PUVEGNAGO] Die martis 14 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, omnibus in ecclesia dispositis ad ingressum eius occurrentibus populoque ibidem congregato, descendit ad portas domus parochialis et ibidem sub baldachino, delato a quatuor praesbyteris, ante crucem ab admodum reverendo archipraesbytero gestatam genuflexus, eamdem sibi porrectam deosculatus est; deinde, cantico decantato et antiphona caeterisque completis ritibus, in altari |**142^{v}**| populo benedixit et de suo mandato indulgentia publicata fuit. Exequias etiam tum in ecclesia tum in coemeterio, quod visitavit, persolvit et deinde visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea in cupa intus inaurata, in pede ex auricalco, in tabernaculo ligneo inaurato sub sera et clavi, quae est argentea, servatum et custoditum. Vidit parvam pixidem pro communicandis infirmis distantibus, in cupa argenteam, in caeteris partibus cupream. Visitavit quoque ostensorium, in radiis argenteum, in pede cupreum, quae omnia sunt de ratione communitatis, a qua manutenentur. Ex factis interrogationibus habuit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; dum ad infirmos defertur, in vespere, si id comode fieri potest, dantur signa; adesse neccessarias suppellectiles, de quibus providet communitas et idem Sacramentum associari cum sufficientibus luminibus, de quibus providet societas sanctissimi Sacramenti; indulgentias quoque associantibus concessas publicari; tempore paschali communicatis schedas distribui et subinde colligi nullumque – divina favente gratia – inconfessum existere dominus archipraesbyter fassus est animasque a communione sub hac cura esse ad numerum 399, in totum vero 520. Cum hoc divino Sacramento fit expositio quaque dominica prima mensis, a sancta Cruce maii ad sanctam Crucem mensis septembris et |**143**| in qualibet sexta feria mensis martii, omnibus impensis huius communitatis. Hoc idem

Sacramentum processionaliter defertur in die Corporis Christi et qualibet tertia dominica mensis. Hisce actis, populo hoc augustissimo Sacramento benedixit ac nonnullos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit. Reposito sanctissimo Sacramento sumptisque sacerdotalibus paramentis, sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Quo absoluto, visitavit olea sancta, in loculo a parte evangelii sub sera et clavi, in capsula ex nuce, sera et clavi munita, in vasculis stamneis, quae mittuntur ad accipienda eadem sacra olea a plebe Manerbae, bene custodita. Vidit etiam olea infirmorum, Chrismatis et cathecumenorum, in vasculis argenteis singillatim bene tenta. Visitavit subinde fontem baptismalem, in cappella prope ianuam maiorem, rastris ligneis clausa. Vidit quoque tria confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus christifidelium confessionibus, sufficienter instructa. Quibus peractis, ad antedictas parochiales aedes reversus, in iisdem diversatus est, prandium sumpsit et paulisper quievit: Die antedicta 14 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, convocatis per solita signa pueris |**143**^{v}| et puellis ac operariis omnibus scholae doctrinae christianae huius parochialis ecclesiae, in ipsam descendit et scholam eamdem visitavit viditque mares a foeminis seiunctos esse et in suas classes distributos; audivit sacerdotes et magistros adposite docentes eamdem doctrinam christianam et demum dominum archipraesbyterum universos discipulos interrogantem, a quibus respondentibus cognovit eorum profectum in scientia legis divinae ac articulorum fidei, ita ut quam maxima consolatione affectus fuit. Vocavit ad se clerum et operarios omnes huius scholae, a quibus illi exhibiti fuerunt libri pertinentes ad ipsam et, cum dignovisset ex his quoque et sacerdotum diligentiam et saecularium operariorum charitatem, eos plurimum laudavit ac hortatus est ut in hoc pio ac saluberrimo officio permanerent. Haec schola instituta fuit haeres a reverendo domino Francisco Marzadri quondam domini Horatii huius loci, in suo testamento diei 22 decembris 1697, in actis domini Ioannis Mariae Ferrari notarii, cum onere ex redditibus eius facultatis perpoliendi superficiem interiorem ecclesiae; quo executo, ordinavit ut iisdem redditibus quotannis compararetur tanta quantitas frumenti quanta ex his emi poterit, ex quo fiant panes distribuendi confratribus et consororibus huius scholae, ita tamen ut, si quis operarius vel operatrix defecerit tribus continuis |**144**| vicibus ab exercitio huius scholae et a cancellario punctati fuerint, excludantur ab hoc beneficio. Magistris vero qui frequentaverint assignavit eleaemosinam huius panis dupplicatam, saltem singulis duobus annis; sacerdoti qui se occupabit in quarta classe quintuplicatam eleaemosinam; reliquis confratribus et consororibus, non exclusis pueris et puellis, residuum panis voluit ut distribueretur super eorum capita, declarando incapaces illos qui in ecclesia Dei scandalose et immodeste se gessissent et ut latius in ipso testamento, ibidem ostenso, viso et restituto. Commissarios huius piae dispositionis ibidem voluit admodum reverendum rectorem huius ecclesiae parochialis et successores reverendi domini Dominici Marzadri et Ioannis Mariae Ferrari, ab ipsis deputandos et qui a successoribus istorum deputabuntur. In obedientiam publicarum legum, commissarii, quamvis testator fideicommissum suorum bonorum instituisset, favore ipsius scholae bona ipsa relicta vendiderunt anno – ut asseruerunt – 1707 et ex quibus capitalia confecta sunt, quorum fructus ad praesens est tronorum 300 circiter et iuxta dispositionem praedictam distribuitur. Visitavit subinde altare maius, in mensa marmoreum super murum constructa, cum palio ex serico et auro, cum |**144**^{v}| portatili, in reliquis ex ligno inaurato constructum, cui retro in prospectu chori est icon depictus, qui rappresentat sanctum Michaelem, titularem huius ecclesiae. Hoc altare est de iure communitatis, a qua manutenetur de omnibus, exceptis oleo pro lampade et cereis, de quibus providet dominus archipraesbyter, quae tamen cerae a communitate ponuntur quando hic, ex dispositione ipsius communitatis, expositiones vel huiusmodi peraguntur. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo celebrat dominus archipraesbyter et diebus festis applicat pro populo. Vidit in cornu evangelii ipsius altaris et in loculo ad id parato sacras reliquias ex ligno sanctissimae Crucis et ex ossibus sanctorum Innocentium martirum et sancti Silvestri papae et martiris, in singulis thecis repositas sigillisque et documentis autenticis munitas, quas propterea recognovit illasque veneratus est, adhibita thurificatione sanctae Cruci. Visitavit altare sanctissimi Corporis Christi, cum mensa marmorea super murum constructa, cum portatili, palio ex serico et icone depicto, in reliquis ex ligno inaurato constructum; est de ratione societatis eiusdem sanctissimi Corporis Christi, a qua de omnibus manutenetur. Hanc societatem constat antiquitus errectam fuisse; |**145**| nam ex eius monumentis apparet ipsam extitisse ab anno 1585, quae habet redditus – ut asseruerunt – librarum 150 circiter, ex quibus confratres celebrare faciunt duodecim missas cantatas a domino archipraesbytero singulis annis, quibus intelligunt adimplere oneribus legatorum eidem societati relictis, quorum onerum, quamvis nonnulla appareant descripta in eorum libris, certa tamen non constat notitia neque societas cognovit utrum bona possideat relicta pro eisdem oneribus, praesertim cum petiae terrae, quae enunciantur a pie disponentibus relictae, ad praesens non possideantur ab ipsa societate, a qua tamen adimpletur onus impositum a quondam patre Dominico novitio cappuccinorum (in saeculo Ioanne Petro quondam Dominici Turrini) qui eidem

confraternitati reliquit petiam terrae, prout constat in libro ipsius societatis antiquo ad paginam 79, viso et restituto, ad hoc ut sexta pars introytus dictae petiae terrae cedat beneficio societatis, aliae quinque partes per rectorem huius ecclesiae parochialis dispensentur pauperibus infirmis. In hoc altari supra mensam tria sunt locula, in quorum singulis adsunt reliquiae sanctorum martyrum, scilicet Libiosi, Probi et Prosperi, in parva arca lignea inaurata cum cristallis in eius prospectu; in altera simili reliquiae sanctorum martyrum Probi, Desiderati et Generosae, quas cum viderit |**145**^{v}| suis sygillis et autenticis documentis munitas, recognovit et veneratus est. Adsunt etiam aliae reliquiae in uno ex his locis positae in capsula lignea, carta ondulata cooperta, vitta sericea rubri coloris colligata et sigillis in cera rubra hispanica impressis, signata cum patentibus litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Eusebii de Cianis, episcopi Massae et Populoniae, quae nondum in hac curia episcopali recognitae et publicae venerationi concessae fuerunt. Claves horum loculorum custodiuntur, sicut etiam claves reliquiarum sanctae Crucis, santorum Innocentium et sancti Silvestri ,sub custodia in sacristia, cuius custodiae claves sunt duae, quarum unam tenet dominus archipraesbyter, alteram spectabilis communitas. Huic communitati admoum reverendus Iulius Rotta, olim rector huius ecclesiae parochialis, legavit capitale librarum 3.000 planeti, quarum fructus erant librarum 180 planeti, ut in hoc altari Corporis Christi offeretur sanctum missae sacrificium pro eius anima et suorum defunctorum a sacerdote bonae vitae et famae, qui teneatur personaliter et non per alium sacerdotem, nisi causa infermitatis vel absentia per paucos dies, celebrare omnibus diebus festivis et aliis diebus feriatis, ita ut celebret quatuor in hebdomada missas neque possit amoveri, nisi scandalum praebeat male vivendo et, in |**146**| casu electionis, voluit ut ille ordo servetur in suffragiis ferendis qui praescribitur in statutis criminalibus Riperiae, capite 23. Reliquit etiam calicem argenteum cum patena ponderis unciarum viginti quatuor et alia pro sacrifitio missae et ut latius in particula testamenti praedicti reverendi Rotta, in actis domini Horatii Barzoni notarii, ibidem visa et restituta; nunc temporis communitas, ex capitali obnoxio huic oneri, percipit tantumodo tronos 256.2, cum fructus annui census minores in dies fiant, ut exposuit dominus Sperandeus Folli, notarius communitatis; quam summam tronorum 256.2 communitas ipsa cedit sacerdoti adimplenti praedicto oneri missarum quatuor, qui ad praesens est reverendus dominus Ioannes Baptista Comincioli, a quo satisfit. Altare beatae Virginis a Rosario, cum mensa marmorea super murum constructa, palio ex serico et portatili; in reliquis ex ligno inaurato consurgit, in quo est imago ex ligno inaurato sculpta eiusdem beatae Virginis Mariae a Rosario sub crystallis, circum quam depicta sunt misteria eiusdem Rosarii. Hoc altare est de ratione societatis ipsius Rosarii, a qua de omnibus manutenetur. Societati huic quondam dominum Ioannes Giorius quondam domini Martini huius loci, in suo testamento diei 8 maii 1696 in acis domini Ioannis Mariae Ferrari notarii, exhibito, viso et restituto, reliquit haereditatem suorum bonorum, cum onere faciendi celebrare |**146**^{v}| missas tres in hebdomada, comprehenso die festivo et in hoc ipso altari, declarans sacerdotem eligendum ab ipsa societate, cui omnes redditus suae haereditatis concessit, exceptis scutis duobus cum dimidio solvendis quot annis societati praedictae pro apparamentis et suppellectilibus, onerans ipsum cappellanum ad praestandos cereos neccessarios pro recitatione sanctissimi rosarii in ecclesia Sancti Ioannis Baptistae in contrata *di Padul*, recitandi omnibus diebus festis de praecepto, quem vult interesse et assistere eidem recitationi vel alium substituere, cum praelatione tamen quoad sacerdotem favore illorum praesbyterorum qui erunt ex descendentia masculina Ioannis Antonii Girelli, qui removeri non poterunt quatenus adimpleant praescriptas obligationes; quibus, si defecerint, societas praedicta poterit alterum idoneum cappellanum eligere. Ex bonis huius haereditatis, venditis iuxta publicas leges, retractae fuerunt ultra librae 9000, quibus capitalibus addendae sunt tres petiae terrae possessae a cappellano, ex quibus fructus recipit et, praeter hos fructus, accipit ex capitalibus modo fructantibus libras 285.12.2, ut apparet ex partita libri foris inscripti “Heredità del quondam Giovanni Orio e libro de capitoli di detta eredità” sub die prima maii huius anni, exhibita, visa et restituta. Ad praesens est cappellanus reverendus dominus Antonius Girelli. Haec societas instituta fuit haeres a quondam domino Iosepho Soncina quondam |**147**| Francisci, in suo testamento 18 augusti 1686, in actis domini Pauli Bonardi notarii, viso et restituto in omnibus suis bonis, cum onere imposito sindicis eiusdem impendendi omnes redditus in tot missis celebrandis a sacerdote, cuius electionem demandavit confratribus eiusdem societatis, praelatis tamen coniunctis ipsius testatoris primum ex linea masculina et deinde ex linea foeminina et inter ipsos seniorem, cum conditione quod pro quaque missa assignentur solidi triginta parvuli. Ad praesens cappellanus huius officiaturae est reverendus dominus Ioseph Soncina, vocatus a testatore praedicto, qui quotidie celebrat et accipit stipem librarum 591; quae summa superat suam eleaemosinam taxatam in ratione solidorum triginta pro quaque missa ab eodem testatore in tronis 42, quos societas, ex conventione inita durante vita ipsius reverendi domini Iosephi Soncina, solvit ad hoc ut ipse manuteneat ceras, vinum et ostias pro huiusmodi celebratione. Caeterum, fructus huius haereditatis in totum sunt troni 730.11, ut testatur et asserit dominus Sperindeus Folli, notarius

et cancellarius ipsius societatis. Altare sancti Rocchi, de iure communitatis, a qua manutenetur; habet mensam marmoream super murum constructam, palium ex serico, portatile et iconem; in reliquis ex muro quoque est fabrefactum. In hoc altari adest obligatio quatuor missarum in anno, relicta a quondam Iacoba Perdini et onus faciendi celebrare ipsas missas |**147**^{v}| est penes communitatem huius loci, quae est commissaria eiusdem piae dispositionis, cui reliquit in suo testamento unam petiam terrae, cum onere praedictae obligationis et cum onere etiam impendendi residuum fructus in ornamento dicti altaris et ut latius in eodem testamento diei 17 iunii 1719, in actis domini Ioannis Mariae Ferrari, exhibito, viso et restituto. Petia terrae relicta devendita fuit iuxta leges et communitas ex ea habuit praecium tronorum 466, ut constat ex libro "Capitali attivi e passivi" ad paginas 15-16 eiusdem communitais, exhibito, viso et restituto et percipit fructus tronorum 23.6; satisfit oneribus praedictis et reverendus dominus Ioannes Baptista Comincioli celebrat missas. Quondam Ioannes Antonius Marchiori huius loci, in suo testamento diei 7 maii 1637 in actis domini Christophori Girelli notarii, (cuius exemplum autenticum exhibitum, visum fuit) legavit communitati Puveniaci unam petiam terrae ibidem descriptam, ad hoc ut ex eius fructu celebrari faceret perpetuis temporibus tot missas quot iuxta vires reddituum celebrari possent et oneri adimpletur ut infra. Ex libro communitatis foris inscripto "Capitali attivi e passivi" ad paginas 7-8-9 et 22 apparent partitae capitalium diversorum, quae sunt obnoxia huic officiaturae, ex quibus coalescit summa tronorum 137.12 et his erogatur stipendium sacerdotibus celebrantibus duas missas in quaque hebdomada, qui ad praesens sunt reverendi domini Ioannes |**148**| Leali, Laurus Comincioli, Ioannes Maria Bertantia et Hieronymus Melchiori, quibus equaliter praedictae missae sunt assignatae singulo trimestri pro quoque. Reverendus dominus Hieronymus de Signoris, in suo testamento diei 9 maii 1710 in actis domini Ioannis Mariae Ferrari notarii, ibidem exhibito, viso et restituto, iussit ut perpetuo in ecclesia hac parochiali celebraretur officium anniversarium per duodecim sacerdotes, a quibus quoque applicanda est missa pro anima eiusdem et suorum defunctorum, constituendo ipsis eleaemosinam decentem iuxta consuetudinem temporum; pro quo officio eius haeredes domino archipraesbytero solvunt stipem tronorum sex, ad quam spectat providere de ceris pro eodem officio; sacerdotibus vero dant eleaemosinam triginta solidorum. Insuper in eodem testamento mandavit ut per eius haeredes provideretur de uno sacerdote qui in dominicis primis et tertiis cuiusque mensis et in praecipuis diebus festis cuiusque anni audiat et audire debeat confessiones, ut parochus sublevetur et populo maiori comodo cedat; adiungens ut ipsemet sacerdos teneatur in diebus quibus audiet confessiones celebrare sacrifitium missae in suffragium animae eius et suorum defunctorum, in hac ipsa parochiali ecclesia et declarans praecipuos dies festos intelligere festa Paschatis ressurrectionis, diem Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, diem Pentecostes et diem Sanctorum Omnium, praeferendo omnibus sacerdotibus |**148**^{v}| suos descendentes, si qui fuerint. Ad praesens onus adimplet reverendus dominus Ioannes Baptista Comincioli, sacerdos et confessarius huius loci et accipit stipem tronorum sexaginta octo, qui electus fuit ab haeredibus testatoris ipsius et adimplet. Reverendus dominus Franciscus Turrini, huius loci, in suo testamento diei 26 iulii 1630 in actis domini Ioannis Antonii Gioanini notarii, substituit suis heredibus primis institutis viciniam Castri, vulgo *la Villa del Castello*, cum obligatione faciendi celebrare in ecclesia parochiali missam continuam, cui celebrationi praeferantur sacerdotes eius familiae et inter ipsos sibi propinquiores, quibus deficientibus, sacerdotem eiusdem villae et inter ipsos senior, cum obligatione ipsis etiam gratis docendi omnes cui fuerint eiusdem villae, taxando eleaemosinam ipsi sacerdoti scutorum octuaginta, concedens eidem sacerdoti libertatem non celebrandi pro dicta officiatura duobus diebus in hebdomada. Praedicta villa et homines administrant haereditatem huiusmodi et percipiunt ex ipsa fructum octuaginta quinque circiter scutorum et provident etiam de paramentis pro ipsa officiatura, quae paramenta descripta sunt in policea exhibita et in fine huius libri ad litteram I posita. Quibus peractis, ad aedes parochiales se restituit et incenatus quievit. Die mercurii 15 mensis maii 1743. Reverendissimus dominus provicarius generalis, facto mane, se contulit ad |**149**| visitandum [a margine: San Gaetano] publicum oratorium in contrata Montis Acuti, sub invocatione Sancti Caietani, infra limites parochialis Puveniani, de ratione reverendi domini Calimerii Barbaleni, sacerdotis filii quondam domini Iosephi, successoris quondam domini Septimii Brusati et reverendi domini Francisci Giacomini, quod oratorium visitavit et unicum habet altare, quod est in mensa ligneum, cum portatili et palio ex serico acu elaborato et iconem depictum. Vidit in cornu evangelii in armario ligneo sacras suppellectiles, de quibus sufficienter hoc oratorium instructum est, tam quoad ornatum altaris quam quoad sacrum faciendum. Vidit confessionale mobile, de licentia domini archipraesbyteri ibidem servatum, in quo excipiuntur confessiones vel ab ipso paroco vel a sacerdote ab eodem toties quoties occurrit delegato. Vidit etiam ante hoc oratorium constructam parvam plateam et ibidem adesse additum publicum, ex quo comperuit executioni demandatas fuisse ordinationes in visitatione anni 1711 praescriptas, praeterquam illas de errigenda nova sacristia. Ordinata. Exequantur ordinationes in

postrema visitatione anni 1711 decretae de construenda sacristia ac de ipsa providenda de omnibus neccessariis – reducatur portatile ad pectus celebrantis, circum quod obturentur rimulae. |**149**^{v}| Quibus habitis et ad aedes parochiales idem reverendissimus dominus provicarius generalis restitutus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam parochialem antedictam adivit, in qua, praemissis oratione et adoratione ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumptisque sacerdotalibus indumentis, sacrosanctum missae sacrificium peregit; quo absoluto, nonnullis utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem erogavit dimissisque sacerdotalibus paramentis indutusque pontificalibus, tercentum circiter utriusque sexus christifidelibus sacro Chrismate perunxit. [A margine: San Giuseppe] Hisce actis, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo sancti Ioseph in contrata *della Mura*, intra fines parochialis Puveniani, de iure eiusdem contratae, a qua de omnibus manutenetur. In hoc oratorio die 21 maii 1583 concessum fuit ab episcopo veronensi ut sacrum missae ibidem per sacerdotem ab hominibus eiusdem villae *della Mura* eligendum celebraretur, ita tamen ut missa diebus festis ibi celebrari non possit nisi post celebrationem missae parochialis de Puveniaco, ut parochiani ipsi ad parochialem ecclesiam prius et comode pro audienda missa festis diebus accedere possint et postmodum in oratorio praedicto celebrari modo quo supra utique possit atque haec omnia fiant sine praeiudicio iurium quorumvis eiusdem parochialis ecclesiae, homines dictae villae declarando teneri providere oratorium ipsum de omnibus et dare eleaemosinam sacerdoti celebranti et applicando legata et eleaemosinas |**150**| dicto oratorio hucusque factas et in futurum faciendas, quae si non sufficient, ad supplendum homines praedicti tenebuntur. Actus ipse descriptus est in libro "delli Ordinamenti" Villae Paludis versus finem eiusdem libri in pagina 25 ante ultimam libri ipsius, qui actus ab hominibus Villae Paludis exhibitus fuit et ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo visus, lectus et restitutus et cetera. In eodem oratorio duo extant altaria, scilicet: altare maius ligneum, quod visitavit, de ratione eiusdem contratae, cum portatili, icone depicto et palio ex serico. In hoc altari est officiatura missarum quatuor in hebdomada, cuius origo ignoratur, sed tamen ab immemorabili vicinia eamdem facit adimplere, qua fortasse suppletur obligationibus antiquis quibus onerata fuit eadem vicinia. Praeterea huius contratae vicinia habet obligationem faciendi celebrare quinquaginta missas quot annis perpetuo in hoc oratorio, ex legato quondam domini Dominici Baldo diei 19 maii 1678 in actis domini Iulii Panteo notarii, ut apparet ex copia particulae eiusdem testamenti, non tamen autentica, exhibita, visa et restituta. Pro huiusmodi missis celebrandis electus fuit a praedicta vicinia reverendus dominus Franciscus Folli, ad praesens cappellanus et iisdem missis supplet. Huic altari errecta fuit societas sub nuncupatione Sanctorum Ioseph et Simonis, auctoritate illustrissimi et reverendissimi domini domini Augustini Valerii, cardinalis et episcopi veronensis, a quo concessa fuit indulgentia centum |**150**^{v}| et quadraginta dierum confratribus in quibusdam annis temporibus, ut apparet ex eius diplomate diei 14 iunii 1584 viso et restituto; eiusdem societatis capitula approbata fuerunt die 30 maii 1592, ut constat ex rescripto vicarii generalis huius curiae diei et anni suprascriptorum, viso pariter et restituto. Eidem confraternitati plenaria indulgentia in die sancti Ioseph visitantibus hoc oratorium et aliae partiales a Paulo V pontifice concessae fuerunt die 20 maii 1611, ut ex eius brevi auctoritate ordinaria publicato die 18 octobris 1648, viso et restituto; quae tamen indulgentiae cessaverunt stante alio brevi Innocentii XII sub datum Romae die 22 maii 1692, quo alias indulgentias plenarias et partiales eisdem confratribus concedit, ut ibidem, cum clausula revocatoria indulgentiarum alias antea concessarum. Breve ipsum fuit executum auctoritate ordinaria die prima iulii 1694, ut constat ex eodem brevi, exhibito quoque, viso et restituto. Vidit in hoc ipso altari sacras reliquias ex palio sancti Ioseph, sponsi beatae Virginis Mariae et ex ossibus sancti Simonis apostoli, intus singulas thecas argenteas, sigillis et litteris autenticis munitas, in custodia lignea inaurata, sub sera et clavi servatas, quas recognovit et deveneratus est; quae tamen custodia, quamvis in forma parvi tabernaculi constructa videatur, in ea tamen numquam Sacramentum fuit repositum neque reponendum futuris |**151**| temporibus ab illustrissimo et reverendissimo praesule fuit permissum, quin immo ne reponatur vetuit et omnino prohibuit. Clavis praedictae custodiae custoditur a praedicto reverendo Francisco Folli cappellano. Alterum visitavit altare in hoc oratorio, divo Antonio patavino dicatum, quod est ligneum in mensa cum portatili, palio ex serico et icone depicto, de ratione ipsius viciniae, a qua de omnibus providetur. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo tantum celebratur ex devotione. Visitavit sacristiam, a latere evangelii altaris maioris et in ea sacras suppellectiles et vasa sacra aliaque neccessaria ad sacrum faciendum, de quibus sufficienter esse provisum invenit. Vidit parvum campanile, in quo unica tantum extat campanula. Ordinata. Altare maius sancti Ioseph claudatur a lateribus – portatile altaris sancti Antonii provideatur de tela cerata, qua cooperiatur et reductaur ad pectus celebrantis illiusque rimulae obturentur. Quibus habitis et cetera. Visitavit subinde oratorium inter privatas aedes nobilis domini Boni Nicolosi, intra limites parochialis

ecclesiae Sancti Michaelis de Puveniaco (quamvis in facultate episcopali pro huiusmodi |**151ᵛ**| oratorii constructione per errorem dictum sit intra fines Polpenatiarum) [a margine: Oratorio privato Niccolosi] auctoritate apostolica errectum, ut ex brevi apostolico diei 25 iunii 1732 et mandato huius curiae episcopalis executivo eiusdem brevis diei 3 octobris ipsius anni, ibidem ostensis, visis et restitutis. Vidit in eo altare cum mensa lignea, portatili, palio ex serico et icone nec non suppellectiles ad sacrum faciendum et ad ornatum neccessarias, quibus decore provisum esse cognovit. Hisce habitis, ad aedes parochiales restitutus, prandium sumpsit et defatigato corpori quietem aliquantulum concessit. Die antedicta 15 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, in antedictis aedibus pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: admodum reverendus dominus Ioannes Dusi, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae, quam obtinuit per concursum ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi et ostendit bullas suae collationis et mandatum executivum die [*manca*] ad sui favorem relaxatum parendoque mandatis obtulit polliceas suae huius paroeciae, quas infra reposui ad litteram I; exhibuit quoque libros parochiales, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum nec non status animarum, quos invisit bene tentos et instructos esse. Interrogatus subinde an in hac paroecia adsint scandalosi, |**152**| usurarii aut alii publici peccatores, respondit divina favente gratia nullum extare in hac paroecia scandalosum, usurarium aut publicum peccatorem; de clero quoque interrogatus, dixit omnes sacerdotes et clericos vivere prout sacerdotalem dignitatem decet. Comparuerunt subinde, vocati, domini deputati et principaliores huius spectabilis communitatis et, interrogati super vita, moribus et officio admodum reverendi Ioannis Dusi archipraesbyteri nec non super vita et honestate sacerdotum et clericorum eorumque respective officiis et praeterea utrum in hac paroecia sint scandalosi homines, publici concubinarii et huiusmodi: responderunt dominum archipraesbyterum esse bonae vitae et famae, diligentem in proprio munere fungendo; sacerdotes et clericos honestam vitam ducere nullumque adesse scandalosum, concubinarium aut publicum peccatorem. Successive comparuerunt: reverendus dominus Antonius Girelli, sacerdos aetatis annorum 60 circiter. Reverendus dominus Angelus Girelli, sacerdos aetatis annorum 53 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Comincioli, sacerdos aetatis annorum 55 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 20 augusti 1742. Reverendus dominus Franciscus Folli, sacerdos aetatis annorum 40 circiter. Reverendus dominus Franciscus Turrini, sacerdos aetatis annorum 55 circiter. Reverendus dominus Ioseph Soncina, sacerdos aetatis annorum 40 circiter. Reverendus dominus Antonius Beltrame, sacerdos aetatis annorum 33 circiter. |**152ᵛ**| Reverendus dominus Ioannes Maria Bertantia, sacerdos aetatis annorum 32 circiter. Reverendus dominus Laurus Comincioli, sacerdos aetatis annorum 40 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Leali, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Hieronymus Melchiori, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Calimerius Barbaleni, sacerdos aetatis annorum 33 circiter. Venerabilis clericus Ioannes Franciscus Turrini, diaconus aetatis annorum 23 circiter. Comparuerunt subinde Catharina relicta quondam Petri Felter et Helisabeth uxor Francisci Felter, ambo obstetrices huius loci, quae singillatim interrogatae fuerunt circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, bene se esse edoctas ostenderunt. Quibus expletis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus visitavit sacristiam et in ea vidit paramenta, in armariis partim ligneis partimque ex nuce, in quibus servantur et de quibus bene provisum esse invenit, ut ex polliceis in fine huius libri ad litteram I repositis. Vidit quoque librum qui servatur in sacristia et in quo describuntur reverendi sacerdotes celebrantes pro obligationibus iisdem iniunctis aliisque et cetera. [A margine: San Giovan Battista] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sancti Ioannis Baptistae, in contrata Paludis, quod est de iure admodum reverendi archipraesbyteri pro tempore parochialis Puveniaci et manutenetur a contrata praedicta Paludis. In hac ecclesia olim erat beneficium simplex et anno 1578, in visitatione cardinalis Augustini Valerii, prout constat ex |**153**| eius actu, descripto in libro viciniae villae Paludis nuncupato “Ordinamenti” et in principio eius, rector ultimus fuit reverendus dominus Hieronymus Verzina, sacerdos de Sancto Felice, qui in eadem visitatione obtulit episcopo ut haec ecclesia et eius beneficium uniretur parochiali ecclesiae Sancti Michaelis. Haec autem unio facta fuit ab eodem Augustino Valerio die 16 aprilis 1603, ut apparet ex actu unionis descripto in eodem libro ad paginam 9, qui actus exhibiti fuerunt ab hominibus villae Paludis et ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo visi, lecti et restituti et cetera. Unicum in ea est altare, in mensa marmoreum super murum constructa, cum portatili, icone depicto, palio ex ligno et caetera eius partes sunt quoque ligneae. In eo est officiatura instituta a quondam domino Vincentio quondam Marci Bernarda, tunc degente Venetiis in contrata sanctorum Ermagorae et Fortunati, in eius testamento diei prima februarii 1623, in actis domini Costantini Zoppini notarii veneti, viso et restituto, in quo testamento reliquit ducatos quingentos, quos debebat communitas Boarni, ut ex his instituereturmansionaria in hoc oratorio

Sancti Ioannis, cuius commissarios voluit esse suos descendentes et viciniam villae Paludis, a quibus eligatur cappellanus cum praelatione eorum sacerdotum eius cognationis et, casu quo non officiaretur ut supra instituta mansionaria, voluit ut reverendi patres Sancti Bernardini illam officiarent. Cum descendentes |**153**^{v}| coniuncti eidem testatori non supersint, commissarii huius officiaturae remanserunt tantumodo villa et homines Paludis et administrant capitalia obnoxia eidem officiaturae, ex quibus percipiuntur ad praesens troni 214.11.9, ut apparet ex libro foris inscripto "Saldi della villa di Palude 1700" in partita ad paginam 96, quem fructum assignant praedicti commissarii reverendo domino Antonio Girelli, ab ipsis electo cappellano, a quo celebrantur duae missae in quacumque hebdomada; quod, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus intellexisset et cognovisset, celebratis duabus missis in hebdomada, adhuc ex stipe data cappellano superesse circa tronos 40, ideo decrevit ut, praeter duas missas praedictas, celebrentur ab eidem cappellano tot aliae missae quot poterunt celebrari iuxta quantitatem reddituum eiusdem officiaturae, ita ut cuique missae correspondeat eleaemosina triginta solidorum parvorum et non aliter nec alio modo, detractis tamen tronis 18, qui cedere debent pro usu paramentorum occurrentium huic officiaturae et ita et cetera, omni et cetera. Dominus Alexander Calzaveglia brixiensis, in suo testamento diei 8 februarii 1622 in actis domini Marci Bernardi notarii, viso, lecto et restituto, legavit hominibus huius villae Paludis petiam terrae ibidem descriptam, cum onere missae quotidianae celebrandae in hoc oratorio per idoneum sacerdotem bonae vocis et famae, in remedium |**154**| animae suae et suorum defunctorum. Haec officiatura die 11 iulii 1634 auctoritate apostolica felicis recordationis Marcus Iustinianus reduxit ad tres tantum missas qualibet hebdomada celebrandas, ut constat ex actu reductionis eiusdem diei et anni, in autentica forma exhibito, viso et restituto. Cappellanus huius officiaturae est reverendus dominus Angelus Girelli, electus ab hominibus huius villae, quatuor celebrat missas in hebdomada, ita mandantibus hominibus praedictis in satisfactionem huius oneris, suasi ex redditibus huius officiaturae hanc missarum quantitatem posse adimpleri et accipit stipem tronorum 301.7, ut apparet ex praecitato libro ad paginam praedictam. Super gradus huius altaris extat custodia lignea, in qua vidit sacram reliquiam ex ossibus sancti Ioannis Baptistae, in theca argentea reposita, litteris et sigillo munita, quam recognovit et veneratus est. Claves huius custodiae sunt paenes admodum reverendum archipraesbyterum una, altera poenes homines huiusmet viciniae. Vidit etiam sacristiam, a parte epistolae huius altaris errectam et in ea paramenta, vasa sacra et alias suppellectiles tum ad ornatum altaris tum ad sacrum faciendum neccessaria, de quibus sufficienter provisuum invenit. Adest campanile cum unica campanula. Ordinata. Provideatur de pelvi pro urceolis. |**154**^{v}| Reversus idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad parochialem ecclesiam antedictam (quae est divo Michaeli arcangelo dicata subestque iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini, cuius archipraesbyter ad praesens est praefatus admodum reverendus dominus Ioannes Dusi), illam visitavit et in ea vidit chorum cum scamnis ex nuce constructis, organum et suggestum in quo concionatur tempore quadragesimali diebus tantumodo festivis; concionator eligitur ab hac communitate, a qua accipit stipem librarum octuaginta quatuor et proprium ministerium exercet in hac parochiali, cum mandato et benedictione episcopali. Vidit quoque campanile, in quo sunt duae tantum campanae et denique visitavit domum parochialem, quam aliqua in parte colabentem esse reperiit. Hisce habitis factisque infrascriptis ordinationibus, illustrissimus et reverendissimus praesul quieti se tradidit et incoenatus pernoctavit. Ordinata. Sarciantur muri coemeterii et, cum super ipsum propter eius angustiam multum terrae impositum sit, ut ipsa fere superet muros et cadaverum ossa profunde, ut par est sepultura, non existant, dilatetur coemeterium ipsum seu aliud alibi construatur, ubi profundius ossa exhumentur et ab illo terra superflua deferatur in istud - |**155**| tabernaculum vestiatur intus panno serico albo– provideatur de fanali maiori pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos et in processionibus deferendo – loculus oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violaceo – ciborium fontis baptismalis ponatur novum, bene tutum et instructum – firmentur cancelli baptisterii et muniantur sera et clavi – fiat operculum lapideum sacrario quo bene claudatur – confessionalibus ponantur imagines devotae a partibus poenitentium – obturentur rimulae portatilis altaris maioris – exequatur ordinatio in visitatione anni 1711 de claudendo altari sanctissimi Corporis Christi a lateribus – exequatur ordinatio in visitatione praedicta anni 1711 de claudendo altari beatae Virginis Mariae a Rosario a lateribus illiusque portatilis rimulae obturentur – obturentur rimulae portatilis altaris sancti Rocchi – in libro status animarum aetas cuiusque describatur et notentur ii qui sunt confirmati – provideatur de pelvibus pro urceolis – provideatur de calice et patena pro officiatura Turrini – describantur sacerdotes in libro sacristiae et se subscribant omnes, etiam illi qui ex aliqua obligatione non celebrant, |**155**^{v}| sed pro sua devotione – restauretur domus parochialis ac praesertim eius locus proximus cubiculis in quibus degit dominus archipraesbyter et fornix subtus culinam, stabulum laboratoris et tectum supra idem stabulum. Die iovis 16 maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus

in ecclesiam parochialem antedictam descendit ibique divino Numini precibus et gratiis peractis ac pro defunctis ipso exorato, visitationem eiusdem parochialis ecclesiae Puveniaci, cleri et populi absolvit et, ex ipsa ecclesia egressus una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus, rhedam conscendit, visitaturus paroeciam Sancti Ioannis Baptistae de Portesio suumque iter agressus ordine quo ad Puveniacum venit, hac discessit et ad fines huius terrae perventus, ab admodum reverendo domino archipraesbytero et a dominis electis eiusdem communitatis Puveniaci perhumaniter obsequii et gratiarum actionis officia suscepit iisque sua cum benedictione dimissis, obvios habuit dominos deputatos a communitate Portesii, cuius nomine ab excellenti domino Antonio Olivari humilime salutatus fuit et omnia ex eius parte obsequia pollicita, aderant milites ipsius terra Portesii et populus frequentior, quibus ante rhedam praeuntibus, concomitantibus vero post ipsum dominis deputatis, iter prosecutus est propius ecclesiam parochialem, ubi illi occurrit reverendus dominus Antonius Novelli curatus cum Clero ac sui |**156**| animi venerationem declaravit. Accessit illustrissimus et reverendissimus praesul tendem ad aedes, a spectabili huius loci communitate sibi decenti forma paratas, quae sunt haeredum quondam Ioannis Baptistae Mazzoleni Zenari, a qua communitate etiam sumptus facti sunt pro hac visitatione et, ibidem assumptis suis episcopalibus vestimentis, descendit ad aedium ipsarum portas, ubi dominus curatus cum cruce illum praestolabatur et sub baldachino crucem sibi ab eodem porrectam adoravit et deosculatus est.
[A margine PORTESE] Tunc processionis ordine ad ecclesiam parochialem venit ac ibidem, accepto thurificationis honore et antiphona decantata caeterisque ritibus, ut in pontificali, absolutis, populo benedixit et ut indulgentia publicaretur mandavit. Pontificalibus subinde indumentis acceptis, pro defunctis tam in ecclesia, quam in coemeterio, quod et visitavit, preces fudit ac successive, solitis sacris caeremoniis praemissis, sacramentum sanctissimae Eucharistiae visitavit, in pixide argentea in cupa inaurata, in caeteris partibus cuprea, in tabernaculo ligneo inaurato sub sera et clavi, quae est argentea, custoditum. Vidit etiam pixidem minorem ex cupreo inaurato nec non ostensorium radiatum argenteum pro exponendo sanctissimo Sacramento, de quibus providet societas eiusdem sanctissimi Sacramenti. Ex factis perquisitionibus habuit hoc Sacramentum statutis |**156**^{v}| temporibus renovari; schedas tempore paschali communicatis distribui ac subinde colligi; sub hac cura animas degere ad numerum 348 nullumque praecepto ecclesiae adesse inobedientem. Dum ad infirmos defertur, hoc Sacramentum sufficientibus luminibus comitatur, de quibus providet eadem societas Corporis Christi, quae providet etiam de cereis hoc altare maius et a qua suppeditantur suppellectiles pro associando Viatico. Cum hoc eodem Sacramento fit processio in die Corporis Christi et eiusdem expositio fit singula quaque tertia dominica cuiuslibet mensis, expensis supradictae societatis et in singulis sextis feriis mensis martii, impensis communitatis nec non postremis tribus diebus baccanaliorum fit expositio, piorum eleaemosinis. Hac peracta visitatione, populo cum ipsomet Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, missam celebravit, qua absoluta actisque Deo gratiis, in antedictas aedes se restituit et ibidem prandium sumpsit. Die antedicta 16 mensis maii 1743 post prandium. Congregata schola doctrinae christianae huius parochialis ecclesiae, ad ipsam visitandam petiit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus viditque mares a foeminis seiunctos, qui festis diebus |**157**| ad suas respective classes conveniunt ut ab assignatis magistris erudiantur; iussit ut admodum reverendus dominus curatus suo more exercitium eiusdem scholae perageret ac discipulos tum parvulos tum adultos interrogaret. Hos respondentes audivit ac ita in rebus fidei ac morum instructos cognovit ut non mediocrem praesulis paterna charitas consolationem acceperit, qua non potuit contineri quin multoties laudaverit reverendi curati eiusdem et omnium qui in hoc munere illum iuvant solertiam atque pietatem quibus utuntur in edocendis discipulis scholae praedictae. Hoc exercitio absoluto, thronum conscendit et ad se vocavit officiales ac operarios huius scholae, a quibus exhibiti fuerunt libri ubi operariorum ac officialium ordo et discipulorum frequentia describitur et ex his observavit dominum curatum esse priorem huius scholae, quod semper servatur; caetera officia exerceri a laicis iuxta primaevam institutionem Ioannis Matthaei Giberti episcopi veronensis, quae apparet ex libro cuius titulus “Boni Pastoris exemplum”. Ex iisdem libris vidit etiam solertes esse sacerdotes ac frequentes in hoc exercitio et laicos huic non deficere; quapropter sui animi laetitiam praesul iterum patefecit suaque voce laudavit cleri et laicorum pietatem iisque omnibus comendavit ut huic piissimo operi in dies magis incumberent. Hisce peractis, multis petentibus Confirmationis sacramentum |**157**^{v}| distribuit. Visitavit deinde olea sancta, in custodia a latere evangelii, bene instructa. Vidit vascula argentea in capsula ex nuce, quae mittuntur ad recipienda olea sancta praedicta ad cathedralem; in altera capsula extant vascula cathecumenorum et chrismatis, argentea cum respectivis oleis, bene tenta. Vidit etiam vasculum argenteum cum oleo infirmorum, bene bene instructum. Vidit fontem baptismalem, iuxta ianuam huius ecclesiae rastris ligneis circumdatum; vidit quoque, prope ipsum fontem, sacrarium. Visitavit tria confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis christifidelium sacramentalibus

confessionibus, quae bene instructa invenit. Visitavit propterea altare maius, cum mensa marmorea consecrata, in reliquis ligneum inauratum, cum icone depicto in prospectu chori, de ratione communitatis, a qua manutenetur et praestatur oleum pro lampade; cerae vero suppeditantur a societate sanctissimi Corporis Christi, quae in hoc altari est errecta ab anno 1585, die 19 februarii, ad instantiam cardinalis Augustini Valerii episcopi veronensis, ut constat ex diplomate ipsius errectionis eiusdem diei, ibidem ostenso, viso et restituto et a qua societate etiam manutenentur suppellectilia pro defferendo sanctissimo Viatico ad infirmos, quae vidit et rite ac decenter |**158**| instructa cognovit. Huic societati Paulus papa V indulgentias plenarias et partiales concessit, ut ex eius brevi dato nonis martii 1607, executo in curia episcopali die 19 aprilis 1608, exhibito, viso et restituto. In hoc altari celebrantur quotannis missae octo in singulis mensibus cum officio, in executionem piae dispositionis reverendi domini Avanzini Putelletti, scriptae in suo testamento diei 10 aprilis 1578 et codicillis 16 aprilis eiusdem anni, in actis domini Bartholomaei Frepii notarii, viso et restituto et iuxta reductionem auctoritate episcopali factam die 26 ianuarii 1667, visam et restitutam ac propterea ex residuis ultra celebrationem praedictarum missarum exequitur voluntas testatoris iuxta eamdem reductionem. Praedicta societas habet suos redditus, ex quibus tenetur ad plurima onera adimplenda, prout descripta sunt in tabella posita in sacristia, quam vidit illustrissimus et reverendissimus antistes et interrogavit utrum adimplerentur, applicando et faciendo applicare missas respective ad eadem onera; responsumque, cum illi fuerit societatem, celebrare facere tot missas iuxta vires reddituum, quos percipit et in executionem suarum obligationum, indistincte tamen, ideoque monuit sindicos et confratres huius societatis ut, diligentia adhibita, investigent capitalia dependentia ab oneribus quibus societas obnoxia est, distincte tamen quoad fieri poterit et, si redditus capitalium erunt sufficientes |**158**^{v}| ad adimplenda onera respectiva, haec impleantur; sin minus, petatur reductio; sin autem non poterunt cognosci aliqua capitalia subiecta alicui oneri, ita ut confusa sint inter se, monuit eosdem ut circa huiusmodi obligationes petant a sancta Sede methodum qua deinceps oneribus huiusmodi sit satisfaciendum et, quatenus in praeteritum non adimpleverint, petant ab eadem sancta Sede absolutionem et ita et cetera. In hoc ipso altari nulla alia est obligatio missarum, sed in eo celebrat reverendus curatus et diebus festis applicat pro populo. Visitavit postea altare Omnium Sanctorum, cum mensa marmorea consecrata, palio ex serico et icone depicto, in reliquis ex ligno constructum, de ratione communitatis, a qua manutenetur. Extant in hoc altari sacrae reliquiae olim descriptae in postrema visitatione anni 1711, quas in sua veneratione reliquit. In hoc ipso altari errectum est beneficium simplex de iure patronatus familiae Novelli, cum onere missarum sexaginta, ut ex instrumento errectionis huiusmodi beneficii diei 5 iulii 1698 et decreto episcopali 6 iulii eiusdem anni, ostensis, visis et restitutis et cetera. Huiusmodi beneficii ad praesens rector est reverendus dominus Dominicus Gratioli, qui ostendit bullas episcopales et mandatum executivum diei 26 iunii 1732 et satisfacit oneri praedicto. Altare Conceptionis beatae Virginis Mariae, cum mensa marmorea |**159**| consecrata, palio ex serico et icone depicto; in reliquis est ex ligno elaboratum, in quo extat imago beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta, sub chrystallis. Hoc altare est de ratione communitatis, sed tamen manutenetur a societate Conceptionis, quae inibi errecta canonice fuit, ut asseruerunt. Hoc altare est privilegiatum pro confratribus et consororibus ipsius societatis in die commemorationis defunctorum, illius octava ac feria quarta cuislibet hebdomadae, ut ex brevi apostolico diei 14 augusti 1739, ad septennium dato et in hac curia episcopali viso et approbato die 30 octobris eiusdem anni. Huius societatis confratribus indulgentia plenaria aliaeque partiales concessae fuerunt ab Innocentio papa XI sanctae memoriae, ut ex eius brevi auctoritate episcopali publicato die 7 maii 1683. Societas praedicta Immaculatae Conceptionis instituta fuit haeres a quondam Francisca relicta quondam Bartholomaei Tonolo huius loci, in eius testamento diei 2 augusti 1685 in actis domini Petri Pauli Brunelli notarii, ibidem exhibito, viso et restituto, non tamen autentico sed posito in libro instrumentorum scholarum huius loci pagina 150, cum onere iniuncto reggentibus praedictae scholae ut convertant fructum eiusdem haereditatis in faciendo celebrare in dicto altari tot missas quot annis pro anima sua et suorum defunctorum. Eius haereditas consistebat in capitali unius domus, descriptae |**159**^{v}| in eodem testamento, quae olim concessa fuit ad livellum pro capitali librarum 921.3 planeti, ex quibus percipiebantur librae 36.16.3 planeti, ut in libro "Ordinamenti" huius societatis folio 179 tergo; deinde vero, obortis controversiis quae describuntur in eodem libro ad paginam 24 et sequentibus, tandem, a livellario restituto capitali, constat in libro praedicto ad paginas 179 tergo, 180, 181, 182, 183 capitale ad praesens esse librarum 964.13 parvularum, ex quibus percipit societas fructum in ratione quatuor pro centenario, scilicet tronos 38.11.9 a reverendo domino Petro Orio sacerdote huius loci, ex instrumento ibidem relato diei 15 iunii 1726 in actis domini Petri Novelli notarii, a quo relatio praedicta in eodem libro descripta fuit; qui reverendus Orio tenetur celebrare missas viginti sex iuxta praesentem redditum; praedictis consideratis, celebrandas decrevit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ita ut, crescente vel decrescente redditu eodem, cum

proportione manualis eleaemosinae triginta marculorum pro quaque missa, crescat vel decrescat numerus ipse missarum et ita et cetera. Eidem societati Conceptionis Vincentius et Lucia fratres Tagietti huius loci, in eorum codicillis diei 24 martii 1723, in actis domini Petri Novelli notarii, visis et restitutis, reliquerunt legatum eorum domus cum conexis, descriptae ibidem nec non eorum mobilia, ad hoc ut, post utriusque mortem, subastarentur et capitale |**160**| proveniens ex eorum praetio investiretur et eius redditus pro medietate cederet beneficio scholae et pro altera medietate impenderetur in celebrare faciendo tot missas in suffragium eorum animarum et id perpetuis temporibus. Ex libro inscripto "Ordinamenti et effetti" huius societatis paginis 185 tergo, 186 tergo et 190 tergo, apparet capitale retractum ex bonis legatis ut supra esse in tronis 960.8, ex quibus societas percipit fructum tronorum 38.8.6, ut ex eorum libro viso et retituto, quorum medietas est tronorum 19.4.3; quapropter illustrissimus et reverendisssimus dominus dominus episcopus decrevit ut ex his a societate tribuantur sacerdoti troni 19.10, ad hoc ut sacerdos ab ipsa electus celebret missas tresdecim, assignata cuique missae aeleaemosina manuali solidorum triginta et hoc stante praesenti fructu; quod si accreverit vel decreverit, augeatur vel diminuatur cum proportione missarum numerus, quibus semper assignabitur aeleaemosina triginta marculorum et ita et cetera. Haec ipsa societas instituta fuit haeres a quondam domino Ioanne Baptista Tagietti quondam domini Francisci, huius loci, in eius testamento diei 11 iulii 1728 in actis domini Petri Novelli notarii, cum onere ut, ex redditu capitalis provenientis ex ipsa haereditate, tot missas celebrare faceret quot – detractis impensis – celebrare possint et ut in eodem testamento, viso ibidem et restituto. Societas ipsa acceptavit onus praedictum, cum conditione |**160**^{v}| administrationis tantumodo reddituum, non vero ut haeres, declarando se non fore obligatam nisi quoad quantitatem fructuum bonorum seu capitalium quorum habuerit administrationem, quam declarationem suo decreto vicarius generalis huius episcopatus approbavit die 28 iulii 1738 nec non illustrissimus et excellentissimus provisor Salodii et capitaneus Riperiae alio suo decreto diei 13 augusti 1738 eamdem declarationem confirmavit, quae decreta exhibita, visa et restituta fuerunt et ita, inhaerendo praedictis decretis, societas eamdem administrationem acceptavit, ut in libro currenti "Ordinamenti" ad paginam 51. Ex libro inscripto "Eredità Tagietti" a folio 42 usque ad folium 63 inclusive et ex libro "Ordinamenti et effetti" huius societatis foliis 187, 188, 189, 190 et 192, exhibitis, visis et restitutis, apparet capitalis huic piae dispositioni obnoxii summam esse tronorum 11592.1.6; fructuum autem summam esse tronorum 404.7.11, quam impendit societas in celebrare faciendo tot missas quot celebrari possunt habita ratione aeleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque missa; quod, cum consonum cognoverit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus piae dispositioni praedicti Ioannis Baptistae Tagietti, sua auctoritate appobavit, mandans tamen ut distintius partitae quae conficiunt praedictam summam capitalis |**161**| describantur in libro distincto ab aliis oneribus, foris inscribendo "Aministrazione della pia disposizione del quondam Giovanni Battista Tagietti", in quo libro annuatim describantur etiam fructus percepti et e contra impensae quae occurrerint ac demum quantitas missarum celebratarum et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit subinde altare beatae Virginis Mariae a Rosario, cum mensa marmorea consecrata, in reliquis ligneum, cum imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta sub crystallis. Hoc altare est de ratione communitatis, sed manutenetur a societate sanctissimi Rosarii, quae est inibi errecta ab anno 1611 sub die 4 aprilis, ut ex diplomate procuratoris et vicarii generalis ordinis praedicatorum eiusdem diei et anni, exhibito, viso et restituto. Eidem societati concessae fuerunt indulgentiae plenariae et partiales a Paulo papa V, ut ex eius brevi dato Romae nonis martii 1607, admisso auctoritate episcopali die 9 aprilis 1608 et est hoc altare privilegiatum pro confratribus eiusdem societatis in die Commemorationis defunctorum illius octava ac feria sexta cuiuslibet haebdomadae, ut ex brevi ad septennium dato die 23 decembris 1740, in curia episcopali admisso die 25 ianuarii 1741. Huic societati supradictae plurima legata relicta fuerunt cum onere missarum, prout in tabella existente in sacristia, quorum redditus cum non sint distincti sed confusi inter se ac non appareat distincta executio respectivorum |**161**^{v}| onerum ideoque illustrissimus et reverendissimus praesul mandavit reggentibus eiusdem societatis ut, adhibita neccessaria diligentia, recognoscant non modo respectivas obligationes assumptas, verum etiam curent ut capitalia obnoxia respective obligationibus ipsis distinguantur, ad hoc ut quae impleri possunt iuxta intentionem piae disponentium adimpleantur; si quae vero indigeant reductione, de his petatur reductio ac demum, si ex ipsis aliqua confusa ita sint ut non possint recognosci distincte, recuratur ad sanctam Sedem, supplicando prout res èpostulabit et ita et cetera, omni et cetera. Altare sanctissimo Nomini Iesu dicatum, quod est consecratum, cum mensa marmorea, in reliquis ligneum, cum icone depicto, de ratione communitatis huius loci. In hoc altari errecta est societas sub nuncupatione eiusdem Nominis Iesu, a qua idem altare manutenetur, cuius errectionis principium ignoratur, sed tamen est antiqua, cui concessae fuerunt indulgentiae plenariae et partiales a Paulo V pontifice, ut ex eius brevi dato nonis martii 1607, admisso in hac curia episcopali die 19 aprilis 1608, viso et restituto. Haec

societas, unitim cum praedictis societatibus Conceptionis et Rosarii, pro sua tertia parte sicut praedictae duae societates pro aliis duabus tertiis partibus, tenetur celebrare facere quot annis perpetuo officium missarum viginti, distribuendarum in tribus officiis pro anima |**162**| quondam domini Francisci Villa huius loci, iuxta eius piam dispositionem in suo testamento scriptam et in codicillis diei 28 martii 1662 in actis Bartholomaei Gratioli notarii, exhibitis, visis et restitutis, pro quo onere quaeque societas habet redditus tronorum viginti, ut apparet ex libro inscripto "Effetti della scuola del santo Nome di Gesù" pagine 28 et 30, quod onus adimpletur ab eadem societate. Eidem societati sanctissimi Nominis Iesu Dominica Persecini, in suo testamento diei 8 augusti 1685 in actis domini Ioannis Baptistae Novelli notarii (cuius particula autentica exhibita fuit, visa et restituta), reliquit legatum petiae terrae descriptae ibidem, cum onere ut ex tribus partibus reddituum eiusdem petiae terrae celebrarentur tot missae pro anima sua suorumque parentum et tertia pars cederet beneficio eiusdem societatis. Capitale derrivatum a praetio retracto ex venditione petiae terrae relictae est in summa tronorum 854, ex quo percipitur fructus tronorum 25.13, ut apparet ex praedicto libro "Effetti della scuola" pagina 41; qua propter, cum duae tertiae partes huius fructus consistant in tronis 17.2, celebrandae erunt missae undecim, prout celebrandas illustrissimus et reverendissimus praesul decrevit, hac tamen lege ut, vel si augeatur vel si diminuatur fructus, cum proportione semper missae celebrentur, assignata cuique missae aeleaemosina triginta solidorum et ita et cetera. omni et cetera. |**262**^{v}| Preter praedictas obligationes, in altaribus ut supra visitatis descriptas, in alia tabella posita in eadem sacristia et ipsae obligationes execuuntur iuxta vel dispositiones defunctorum, vel respective iuxta decreta reductionum in eadem tabella recensitarum, quae decreta servantur etiam in processu foris inscripto "Reductiones missarum communitatis Portesii" et decretum in visitatione nec non alia describuntur in annexa notula autentica, foris inscripta "Decreta pro legatis piis", quae omnia exhibita fuerunt, visa, et restituta. Verum, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus cognoverit ex legatis in tabella nominatis "Rogationi et Grassae" ommissas aliquas missas, ideo ordinavit ut spectabilis haec communitas satisfaciat pro iisdem missis ommissis, aggravando hominum communitatis conscientias ut huismodi oneribus quantocitius fieri poterit satisfaciant et ita et cetera. Legatum tamen quondam Laurentii Tonoli, reductum ac moderatum in reductione 1659 praecitata, ad missas 170 et si quid ex fructibus haereditatis supererit iuxta piam dispositionem testatoris pro panno comparando ad pauperes induendos. Reggentes communitatis iterum moderandum humilime petierunt eo quod – ut asseruerunt, et ut etiam apparet ex libro foris inscripto "Eredità del quondam Lorenzo Tonolo" pag. 43 tergo – anno proxime |**163**| elapso reddituum summa, quam perceperunt ex capitalibus eidem obnoxiis tantumodo fuit tronorum 205.5, qui redditus diminuti sunt eo quod fructus censualis in dies magis diminuatur, ita ut ad praesens investiantur capitalia in ratione trium usque ad quatuor ad summum pro centenario, ex qua summa fructus, cum centum septuaginta missae ad rationem aeleaemosinae triginta solidorum pro quaque celebrari non possint, ideoque insteterunt ut numerus ipsarum ita reducatur ut iuxta quantitatem reddituum qui quot annis percipiuntur tot missas communitas celebrari faciat quot, habita ratione praedictae aeleaemosinae manualis celebrari poterunt. Quibus intellectis et consideratis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit iuxta superius petita, monens tamen reggentes communitatis ut sedulo attendant ne eorum culpa capitalia huius piae dispositionis decrescant aut confundantur et redditus diminuantur in praeiudicium pie disponentis et in perniciem eorum et ita et cetera, omni et cetera. In praecitata tabella obbligationum communitatis apparet duodecim missas celebrandas esse iuxta piam dispositionem quondam Iacobi Novelli, sed ita celebrandas ut huic oneri adimpletum sit ante diem anniversariam mortis testatoris. Verum, cum non constet de die huiusmodi anniversaria neque in libris parochialibus dies ipsa inveniri potuerit, cum desint libri eius temporis, reggentes communitatis supplicaverunt ut, |**163**^{v}| donec inveniri et recognosci poterit dies obitus praedicti testatoris, interim decernatur tempus quo huiusmodi missae duodecim sint celebrandae. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut praedictae duodecim missae celebrentur tempore quadragesimali et ita et cetera, omni et cetera. Franciscus quondam Iacobi Tabarelli huius loci, in suo testamento diei 15 augusti 1630 in actis domini Iacobi Corsetti notarii, ibidem exhibito, viso et restituto, decedente eius filio sine successoribus, instituit haeredem spectabilem communitatem Portesii, cum onere quod ipsa celebrare faciat sex missas quolibet mense in perpetuum, in remedium animae suae et suorum defunctorum et de eo quod supererit ex introitibus huius haereditatis debeat dispensare prout ipsi communitati videbitur et, in casu magnae neccessitatis, pauperes subveniantur. Praedictus Franciscus Tabarelli fuit haeres quondam Francisci Rottae salodiensis, qui in ultimo suo testamento illum haeredem – suis filiabus decedentibus sine filiis – substituit pro medietate suae haereditatis, iubens ut alia medietas impenderetur in dotandis tot puellis, quae sint boni patris et matris, ex fructibus tamen huius medietatis, ut apparet ex ipsius dispositione, relevata publico decreto die 12 iunii 1631, viso cum ipsamet ultima voluntate,

lecto et restituto. Successit revera in haereditate praedicta Franciscus Tabarelli, ut ipsemet declaravit in praecitato suo testamento. Cum igitur specrabilis |**164**| communitas successerit tam in bonis particularibus Tabarelli quam in bonis haereditatis Rottae, consuevit ab immemorabili – praeter missarum onus praescriptum – dotare etiam ex residuis puellas iuxta intentionem praedicti testatoris Rottae. Verum, cum pro executione harum piarum dispositionum nulla certa methodus observata hucusque fuerit, domini Matthias Amici et Faustinus Olivari, agentes ut sindici praedictae communitatis et nomine eiusdem, humilime supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut sua auctoritate, qua sibi concessum est interpretare ultimas pias dispositiones, decernat et declaret quomodo onera praedicta sint adimplenda, subiicientes fructum huiusmodi haereditatis ad praesens ascendere ultra tronos 7000 prout ipsimet nec non dominus Dominicus Novelli, notarius eiusdem communitatis testificati sunt ac deposuerunt. Qua supplicatione intellecta visisque testamentis supradictorum Rottae et Tabarelli, considerata etiam praxi qua administrata fuit huiusmodi haereditas, consideratis considerandis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, interpretando piam dispositionem praedicti Francisci Tabarelli, haeredis Francisci Rottae et omni meliori modo et cetera, decrevit ac declaravit missas quot annis celebrandas esse sex in quoque mense, sed ita ut quarta pars reddituum provenientium ex haereditate praedicta impendatur quot annis in dotandis puellis boni patris et matris huius communitatis Portesi, cum |**164**^{v}| has tamen conditione quod, antequam assignetur illis dos, habeat unaquaque testimonium admodum reverendi curati pro tempore de eius vitae honestate, de frequentia sacramentorum et doctrinae christianae ac etiam de paupertate, super quibus aggravatur conscientia reverendi curati praedicti, ad hoc ut testificetur tantumodo de huiusmodi conditionibus quando sint verae et ipse cognoverit laborare puellas vera paupertate. Caeteras autem tres partes huis haereditatis, praeter aeleaemosinas missarum praedictarum, taxatas in ratione triginta solidorum pro quaque, decrevit impendendas esse: primo in dando in aeleaemosinam libras 56 praedicatori tempore quadragesimali iuxta consuetudinem; in erogando stipendium librarum 84 magistro electo a communitate et augendo honorario reverendo domino curato pro tempore, cum annua praestatione librarum 160. Residuum vero reddituum impendendum in operibus piis ac praesertim in aeleaemosinis pro pauperibus et ita et cetera, omni et cetera. Hisce actis, in antedictas aedes diversatus est et incoenatus quievit. Die veneris 17 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam parochialem antedictam adivit in eaque praemissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrifitium obtulit aeterno Patri; quo absoluto, nonnullis utriusque sexus christifidelibus augustissimum |**165**| Eucharistiae sacramentum ministravit. Visitavit subinde sacristiam et in ea vidit armaria, bene disposita, in quibus servantur paramenta, absque vasa sacra descripta in pollicea praesentata et in fine huius libri reposita ad litteram L. Vidit etiam libros in quibus sacerdotes se subscribunt quando missas celebrant, ex quibus, cum non ordinate ut par est fieri cognoverit, decrevit ut in sacristia ipsa sit liber, et continuo ibidem existat, in quo omnes celebrantes, tam pro sua peculiari devotione quam pro aliqua sibi iniuncta obligatione, singulis vicibus se se subscribant, declarantes intentionem pro qua applicaverint. Praeterea mandavit ut quique sacerdos habeat suum peculiarem librum, servandum in sacristia, pro sua peculiari obligatione, quae sibi iniuncta fuerit, in quo describat quantitatem stipis sibi assignatam vel quantitatem fructuum cappellaniae quam exercet et deinde singulis vicibus quibus celebrat se subscribat, declarando suam intentionem qua applicaverit pro sua obligatione, ad hoc ut, in fine cuiuslibet anni vel quando expleverit suam obligationem, appareat satisfecisse eidem vel tot missas celebrasse quot redditus perceperit, iuxta respectivas institutiones vel reductiones earum. Visitavit chorum, in quo vidit sedilia ex nuce constructa, |**165**^{v}| bene disposita. Vidit quoque locum iuxta sacristiam et in eo retro altare sanctissimi Nominis Iesu vidit locum prospicientem in eodem altari in quo extant sacrae reliquiae sanctorum Christi martyrum Marcelli et Coronae, in arca lignea inaurata repositae anno 1717; supra pulvinari serico rubri coloris sancti Honorati, santi Placidi, sanctae Severae et sanctae Vincentiae martyrum duobus in bracchiis ligneis depictis auro linitis nec non sanctorum martyrum Chari, Iusti, Probi, Iustini, Marcellini, Iulianae, Constantiae et Fortunatae in duabus figuris seu ligneis imaginibus depictis et auratis in pectore, quas recognovit sub crystallis, litteris sigillisque munitas et deveneratus est. Claves harum reliquiarum servantur a reverendo curato. In hoc loco vidit confessionale quo utitur pro maribus tantum. Visitavit subinde domum parochialem, prope ipsam ecclesiam existentem et sufficienter esse instructam invenit. Quibus habitis, ad antedictas aedes reversus est et, defatigatus a visitationibus hucusque peractis, residuam huius diei partem quieti concessit. Die sabbathi 18 mensis maii 1743. Ad antedictam parochialem ecclesiam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus se contulit in eaque sacrum fecit et subinde quamplures utriusque sexus christifideles communicavit et petentibus Confirmationis sacramentum ministravit. Vidit et visitavit subinde dictam parochialem ecclesiam, quae est |**166**| sufficientis structuae compactam et divo Ioanni Baptistae praecursori dicatam; est consecrata et anniversaria dies colitur die 4

octobris cuiuslibet anni; constat eadem consecratio ex documento diei 4 octobris 1595, non tamen autentico, ibidem exhibito, viso et restituto. In ea vidit organum et sugestum in quo tempore quadragesimali concionatur diebus festis, secunda, quarta et sexta feria ac die sabbathi cuiuslibet hebdomadae; concionator accipit stipem a communitate, a qua eligitur, scutorum viginti octo brixiensium et officio suo fungit cum mandato et benedictione episcopali. Haec eadem ecclesia est de ratione huius communitatis, a qua omnino manutenetur. Hisce peractis, in praefatis aedibus diversatus est et prandium sumpsit. Die antedicta 18 mensis maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, in proprio cubiculo pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: admodum reverendus dominus Antonius Novelli, sacerdos aetatis annorum 40 circiter, curatus amovibiliter electus ab hac communitate et praesentatus iuxta antiquam ipsius communitatis consuetudinem, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 5 novembris 1742; qui, parendo mandatis, obtulit polliceas huius ecclesiae, infra positas ad litteram L; et interrogatus |**166**^{v}| utrum in eius paroecia sint publici peccatores, scandalosi, innobedientes ecclesiae praeceptis, irretiti aliqua censura ecclesiastica vel impedimento dirimenti et huiusmodi ac utrum sacerdotes suum officium religiose peragant honesteque vivant, respondit omnes eius parochianos obedire divinis et ecclesiasticis legibus nullosque inter ipsos adesse qui scandalosi sint aut huius generis peccatores; praesbyteros vero omnes tam in officiis suis quam in morum honestate omnes suas partes exequi. Obtulit quoque libros parochiales matrimoniorum, renatorum et mortuorum nec non status animarum, quos illustrissimus et reverendissimus praesul vidit et visitavit et bene instructos esse invenit. Comparuerunt successive, vocati: reverendus dominus Ioannes Baptista Villa, sacerdos aetatis annorum 42 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 14 iulii 1742. Reverendus dominus Ioannes Baptista Zane, sacerdos aetatis annorum 35 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum dato die 22 martii 1743. Reverendus dominus Dominicus Gratioli, sacerdos aetatis annorum 35, rector suprascripti beneficii Novelli. Reverendus dominus Hieronymus Gratioli, sacerdos aetatis annorum 30, cum mandato pro cura animarum ad annum hodierna die confirmato. |**167**| Reverendus dominus Iacobus Gratioli, sacerdos aetatis annorum 25 circiter. Comparuerunt subinde domini sindici huius terrae et, interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio munere fungendo reverendi curati nec non de vita et moribus sacerdotum et an in hoc loco adsint usurarii, concubinarii, publici peccatores aut huius generis, responderunt reverendum curatum summa diligentia officio suo fungi, praesbyteros bonis vita et moribus vivere nullumque – Deo dante – adesse publicum peccatorem aut scandalosum. Vocata etiam comparuit Margarita uxor Dominici Tonoli annorum 58 circiter, obstetrix, quae examinata circa sacramentum baptismi in casibus neccessitatis, se optime instructam esse ostendit. Praedicti domini sindici, scilicet domini Aririci et Olivari, supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ad hoc ut decerneret executionem piarum dispositionum circa ressidentiam institutam in hac parochiali ecclesia, declarando methodum qua ipsa ressidentia exercenda sit; qua supplicatione audita, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus sibi resservavit extra visitationem tamquam in visitatione, habita informatione et visis piis ordinationibus testatorum, decernere et declarare quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. His actis, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ecclesiam parochialem antedictam regressus est ubi, fusis ante divinum |**167**^{v}| Sacramentum precibus ac defunctis divinae miserationi comendatis factisque infrascriptis ordinationibus, Portesii paroeciae, populi et cleri atque ipsius ecclesiae parochialis visitationem absolvit.Ordinata. Eradantur herbae a coemeterio et rasae omnino semper serventur et comburantur earumque cineres spargantur super idem coemeterium, ut fuit etiam ordinatum in postrema visitatione anni 1711 et executum non apparet – provideatur de conopeo pro pixide maiori et illud quod modo positum est huic pixidi aptetur pixidi minori – exequatur ordinatio postremae visitationis anni 1711 qua decretum fuit ut fons baptismalis esset divisus – cancelli ad ipsum fontem attolantur et custodiantur clausi sub sera et clavi – fiat novum operculum sacrario, ne imunditiae in ipsum defluant – in loco iuxta sacristiam obturetur latrina inibi existens. Absoluta visitatione Portesii, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus iter direxit, rhedam conscensus cum suo reverendissimo domino provicario generali caeterisque suis familiaribus, paroeciam versus Sanctorum Felicis et Adaucti Riperiae, ad cuius fines dominorum electorum communitatis Portesii, admodum reverendi curati et cleri humilima obsequii officia recepit; |**168**| quibus benedictis ac finibus Portesii praeteritis, ipsi occurrerunt excellens utriusque doctor dominus Ioseph Cominelli, electus a spectabili communitate Sancti Felicis praedicti et dominus Hieronymus Bonazzi, sindicus aliique principaliores eiusdem communitatis, una cum militibus loci ipsius ac frequentissimo populo et dominus Cominelli brevi elegantique concione suae communitatis laetitiam de eius adventu declaravit eamque humilimis et officio plenis verbis pietati ac pastorali dilectioni illius plurimum comendavit, omnia exhibendo eiusdem hominum

et populi erga pastorem amantissimum obsequia, cui, cum a sua dominatione illustrissima et reverendissima omni dilectionis officio responsum fuisset, populo et militibus praecedentibus ac subsequentibus praedictis deputato, sindico et principalioribus, iter prosecutus est donec, proximus huic terrae, obvium habuit admodum reverendum dominum Matthaeum Albertini, praepositum huius parochialis ecclesiae Sanctorum Felicis et Adaucti Riperiae, una cum suo clero, a quo eius gaudium ac totius cleri et populi humilimis verbis declaratum fuit, supplex petendo ut ab antistite illustrissimo et reverendissimo super omnes eius benedictiones elargirentur. Cum his igitur ad aedes heredum Bertozzi, a spectabili communitate sibi paratas ac ornate instructae, se contulit; cuius communitatis impensis omnia ad hanc visitationem neccessaria providentur ibique, itinerario habitu deposito, et suis vestibus episcopalibus indutus, statim visitationem **|168^{v}|** huius paroeciae aggressus est

[A margine: SANTI FELICE ET ADAUCTO DI RIVIERA] ac de more sub baldachino, a principalioribus loci gestato, crucem a reverendo praeposito sibi porrectam in egressu ipsius domus deveneratus ac deosculatus est ac deinde, canente clero canticum *Benedictus*, in ecclesiam parochialem ingressus ac a reverendo praeposito thurificatus, decantatis etiam antiphonis et caeteris pontificalibus ritibus observatis, pro defunctis oravit tum in ecclesia tum in coemeterio, quod itidem visitavit et subinde ad visitationem sanctissimi Eucharistiae sacramenti, in peculiari huius ecclesiae cappella positi, se contulit ubi, genuflexus ante altare et pixide sacra a reverendo domino praeposito extracta, cum hymno et thurificatione sacram ipsam Eucharistiam veneratus est. Surrexit et, assensis altaris gradibus, eamdem visitavit atque invenit illam servari in tabernaculo marmoreo, sub sera et clavi – quae est argentea – custoditam, in pixide argentea in cupa et in reliquis partibus cuprea inaurata, bene instructa. Vidit etiam aliam pixidem minorem argenteam et tertiam pixidem minimam pro deferendo sanctissimo Viatico infirmis distantibus, quae pixis minima argentea est in cupa et in reliquis partibus ex auricalco. Vidit etiam ostensorium radiatum, ex argento et iuxta sacros ritus elaboratum. Interrogatus subinde admodum reverendus praepositus, respondit **|169|** statutis temporibus hoc augustissimum Sacramentum renovari; cum ad infirmos deferendum est, data opportunitate dari signa in sero; indulgentias associantibus concessas publicari; satis decenter comitari luminibus et suppellectilibus, quae suppeditantur ab infrascripta societate ipsius sanctissimi Sacramenti; sub hac cura animas degere a communione 584, in totum vero 785 nullumque adesse inobedientem praecepto ecclesiae tempore paschali; cum hoc ipso Sacramento fieri processionem in die Corporis Christi et singulis tertiis dominicis, impensis societatis praedictae, a qua etiam providetur pro expositione, quae fieri solet per totam octavam eiusdem Corporis Domini, tertia quaque dominica mensis post vesperas et singula sexta feria mensis martii. Populo denique eodem Sacramento benedixit ac illud in tabernaculo reposuit. Absoluta visitatione sanctissimi Sacramenti, se contulit ad altare maius, ubi coram sua illustrissima dominatione comparuit dominus Hieronymus Bonazzi, sindicus huius communitatis et, debito obsequio, exposuit in hoc altari venerari cultu immemorabili sacras reliquias sanctorum Christi martyrum Felicis, Adaucti et Flaviae virginis et martyris eaeque ut recognoscantur humiliter suam illustrissimam et reverendissimam dominationem supplicavit, ut cultus idem in dies magis augeatur, praesertim cum populus huius loci tamquam suos patronos veneretur et ad eos, dum calamitate aliqua opprimitur, reccurrit, easdem reliquias **|169^{v}|** venerando; cui supplicationi illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus benigne annuens, super gradus altaris ascendit viditque arcam marmoream constructam supra mensam ipsiusmet altaris, supra quam eminent imagines, in marmore pariter sculptae, sanctorum, quam circuivit et in eius parte posteriori observavit sequentem inscriptionem: “Intus sanctorum Felicis et Adaucti ac divae Flaviae corpora iacent, perillustris et admodum reverendi domini Angeli Monighae de Sancto Felice, procuratoris generalis cassinensis opera parata anno salutis die XXX augusti MDCXXIV”. In parte vero anteriori vidit adesse laminam cupream inauratam, qua clauditur additus eiusdem arcae; vocavit igitur ad se excellentem utriusque doctorem dominum Iosephum Cominelli, civem Riperiae et degentem Salodii, originarium tamen huius loci nec non dominum Romanum Bonazzi notarium, filium quondam domini Lucidori huius terrae eosque rogavit testes adesse earum omnium quae in recognitione harum reliquiarum occurrent et ut opus erit. Hoc facto, praesentibus ipsis testibus aliisque plurimis sacerdotibus ac principalioribus huius communitatis, iussit ut lamina inde tollatur quae per reverendos dominos Stephanum Navoni et Hieronymum Fiorentini sacerdotes ad id adhibitos – detractis quatuor clavis ferreis spirali modo efformatis et ita aptatis ut firme ad ostium arcae consisteret lamina ipsa – inde ablata haec fuit; qua **|170|** ablata, vidit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus cratem ferream antepositam arcae eidem, sub qua custodiuntur tres capsulae lignae inauratae cum crystallis, ex quibus apparebant quaedam ossa ita in iis posita ut sacrae reliquiae consuescunt poni in capsulis in quibus exponuntur. Quapropter mandavit ut cratis ferrea inde quoque removeretur, quam observavit tribus clavibus clausam esse. Postulavit igitur ut praedictis sacerdotibus

exiberentur claves, interrogans a quibus ipsae custodirentur; dominus sindicus respondit hasce claves ab immemorabili tempore custoditas fuisse a familia dominorum de Moniga huius loci; nam reverendus pater Angelus Moniga, procurator ordinis cassinensis, sacras huiusmodi reliquias communitati dono dedit ac propterea, ob tale beneficium eidem collatum, benefactoris familiae claves ipsae custodiendae relictae fuerunt. Quibus auditis, accersivit dominum Innocentium Moniga, ultimum superstitem huius familiae et eidem mandavit ut claves sacerdotibus ipsis traderet easque ipse prompto animo obtulit, una cum duobus documentis, quorum alterum diei 20 iunii 1622 in actis domini Iulii Blanchi, notarii almae Urbis, ex quo cognoscitur corpora sanctorum Christi martyrum Felicis et Adaucti extracta fuisse auctoritate pontificia ex coemeterio in via ostiensi extra Urbem atque dono data praedicto domino Angelo Moniga; alterum vero diei 7 aprilis |**170**^{v}| 1623 in actis domini Antonii de Prava, notarii romanae curiae, ex quo apparet corpus sanctae Flaviae virginis et martyris extractum fuisse ex coemeterio Calisti et deinde donatum praedicto domino Angelo Moniga, a quo tria huiusmodi sacra corpora huic spectabili communitati donata fuerunt, ut apparet ex actu procurae diei 7 maii 1624 in actis domini Pauli Massarini, notarii regiensis, quem actum pariter idem dominus Innocentius Moniga humilime suae illustrissimae et reverendissimae dominationi obtulit iisdemque actibus visis, lectis et consideratis traditisque clavibus praedictis sacerdotibus, ab ipsis serae apertae fuerunt et ab arce detracta fuit etiam crates ferrea. Quo facto, iussit ut inde extraherentur tre illae arcae seu capsulae et extractae fuerunt; illas vidit et diligenter observavit viditque ligneas esse fabrefactas auroque linitas in forma quadrata sed oblonga et in quatuor partibus suis crystallis munitas; earum longitudo commensurata fuit unciarum novem, latitudo quinque, altitudo quatuor absque pedibus; eas tamen nullo sigillo obsignatas invenit, sed a parte anteriori apparebat foramen in singulis per quod posset introduci parva clavis. Hoc observato, interrogavit utrum adessent claves quibus aperirentur ipsae tres arcae et praelaudatus dominus Innocentius Moniga duas obtulit parvulas claves, quarum manubria ex auricalco confecta sunt; iussit igitur eorum praecitatis testibus ut aperirentur arcae, sed |**171**| ob clavium et serarum rubiginem duae capsulae aperiri non potuerunt et tantummodo cum una ex his clavibus aperta fuit tertia arca, qua aperta adstantibus semper praedictis testibus, vidit pagellam supra sacra ossa positam cum hac inscriptione: “Santa Flavia vergine martire”, quam inscriptionem obtulit mihi notario, ut antiquitatem characteris observarem eamque observavi vidique characterem respondere aetati qua extractum fuit hoc corpus e coemeterio Calisti, quam subinde inscriptionem idem illustrissimus et reverendissimus praesul in eamdem arcam reposuit. Cum vero recognoscendae essent reliquiae aliarum duarum capsularum, ex quibus foris nulla apparebat inscriptio, iussit ut Iosephus Catanus, praesens faber lignarius salodiensis, suis instrumentis illas aperiret easque aperuit et in una earum supra sacras reliquias vidit positam in pagella hanc inscriptionem: “Sanctus Felix martyr”; in alia vero hanc quoque inscriptionem: “Sanctus Adauctus martyr”; quas inscriptiones mihi notario tradidit ut eas recognoscerem et experirer utrum earum caracter respondeat tempori quo extractae fuerunt a coemeterio in via ostiensi. Eas igitur vidi et observavi earumque characterem cognovi respondere tempori earum inventionis; quo recognito, idem illustrissimus et reverendissimus antistes ipsas inscriptiones disctincte posuit in capsulis ex quibus illas extraxit. |**171**^{v}| Quibus ita peractis, iterum vocavit ad se dominum Innocentium Moniga et monitum ut iure iurando deponat circa ea de quibus interrogabitur et, praestito per ipsum iuramento, tactis et cetera, ad delationem et cetera fuit. Interrogatus quam notitiam circa has reliquias habeat, respondit: “Io mi raccordo che il mio signor nonno per nome Giovanni Angelo, che morì circa l’anno 1690 in età d’anni 78 circa, custodiva diligentemente le chiavi che presentemente io ho consignato e più volte ho sentito dire dalla sua bocca che, quando furono donate a questa comunità dal signor suo padre per nome Gerolamo, come procuratore del padre don Angelo di lui fratello, furono riposte in questa stessa arca dove presentemente si trovano, restando – non so poi dire perché – le chiavi dell’arca stessa dalla nostra famiglia custodite; in oltre egli mi diceva che sempre sono state in grande veneratione appresso di questo popolo et io posso attestare che, da che ho avuto cognitione, sempre ho osservato un culto particolare verso queste sacre reliquie et ho custodito io pure con tutta gelosia le chiavi sopradette, non avendo mai consignate le chiavi piccole ad alcuno, ma solamente le chiavi della ferrata al sacerdote sacristano di questa chiesa, per ripulire i reliquiarii, li quali sempre però sono stati come sopra ben chiusi”. Interrogatus utrum sciverit vel audierit arcas huiusmodi |**172**| apertas aliquando fuisse, respondit: “Io ho l’età d’anni 78 et ho sempre custodite appresso di me tanto le chiavi dell’inferriata che le chiavette delle cassette, né mai o io o altri hanno aperte le stesse cassette; così pure posso testificare che, nel tempo che viveva mio signor nonno Gerolamo, non sono mai state aperte, perché da lui ho sentito che sono state conservate sempre intatte tali quali furono poste nell’arca”. Quibus habitis et cetera, communicatus et cetera et lectum confirmavit. Vocavit ad se reverendum dominum Iacobum Tirandi, sacerdotem huius loci, uti unum ex senioribus huius cleri, eumque monitum ut iure iurando deponat quidquid et cetera circa huiusmodi reliquias praestitoque

more sacerdotali iuramento fuit. Interrogatus ut dicat et deponat quidquid noverit circa ipsasmet reliquias, respondit: “Io ho l’età d’anni circa 72 e da che ho cognitione ho sempre vedute collocate nell’arca di quest’altare queste tre cassette, adesso riposte sopra la mensa dello stesso altare nella medesima forma e situazione in cui erano avanti che fossero estrate, né mai ho saputo o inteso a dire che siano esse mai state aperte e facilmente l’averei saputo, essendo io nato, educato e vissuto quasi sempre in questo luogo et ho servito questa stessa chiesa nelle funzioni ecclesiastiche. In oltre posso attestare che verso queste sacre reliquie |**172**^{v}| è stato sempre dal popolo usato un fervoroso divoto culto, il quale nelle sue neccessità con molto suo vantaggio è riccorso a venerarle per ricevere la protezione di questi santi suoi avocati. Ho ancora sentito a dire dai vecchi che vivevano nel tempo della mia gioventù che queste sono le reliquie che furono donate dagl’antichi della casa Moniga a questa chiesa, dove si sono venerate e si venerano”. Interrogatus utrum audiverit eas capsulas apertas aliquando fuisse vel ab aliis repositas in arca supra altare qui non fuerit de familia Moniga, respondit: “Io non so dir altro se non quello che ho detto e lo so per la prattica continua di questa chiesa e di questo luogo”. Quibus habitis et cetera, sacerdos et cetera et L.C. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus iussit subinde mihi notario ut legerem actum postremae visitationis illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Barbadici anni 1711, quem legi et ex eo cognovit capsulas ipsas diligentia et pietate custodiri et a praedicto suo antecessore sanctorum praedictorum corpora cum thurificatione adorata fuisse et in sua veneratione relicta. Quibus omnibus actis visisque ut supra documentis autenticis, visis inscriptionibus respectivis positis in capsulis earumque characteribus observatis, visa praedictorum testium depositione ex qua capsulas cum iisdem reliquiis |**173**| eas ipsas esse quas procuratorio nomine huic communitati donavit dominus Hieronymus Moniga et intactas, numquam apertas fuisse cognovit et cultum immemorabilem erga ipsas sacras reliquias praestitum relevavit, visis videndis et consideratis considerandis, inhaerendo etiam intentioni suorum antecessorum, easdem reliquias authenticas cognovit, ex quibus particulas ossium cuiusque corporis extraxit, praesente et plaudente domino sindico praedicto, pietati ac devotioni illustrissimi et reverendissimi praesulis posuitque involutas in distinctis paginis, ut paenes se illas adoraturus retineret mihique deinde notario mandavit ut singulis capsulis apponeretur sua cuique conveniens inscriptio, describenda in charta pergamena et ponenda subtus crystallum anteriorem, ad hoc ut recognoscatur cuius sancti martyris in quaque capsula sit corpus; deinde ut opercula ex capsulis remota iterum ipsis tute adponerem et suo sigillo in cera rubra hispanica impresso in locis superioribus et inferioribus ubi opus erit coram suprascriptis rogatis testibus munirem. Quo facto, mandavit ut in crastinum publice venerationi in hoc ipso altari et in loco eminenti exponerentur et interea idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ex altari descendit et ibidem venerabundus sacras reliquias adoravit illisque thurificationis honorem concessit. Pro cuius mandati executione, ego visitationis notarius infrascriptus |**173**^{v}| apposui inscriptionem in charta pergamena factam subtus crystallis unicuique ex dictis capsulis, quibus opercula aptavi ac illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi suprascripti sigillo tam superiori in parte quam in inferiori munivi iuxta tenorem suprascripti decreti, ad quod et cetera et ita et cetera. Et, cum advesperasset, illustrissimus et reverendissimus praesul ad antedictas aedes se restituit et ibidem incoenatus pernoctavit. Die dominico 19 mensis maii 1743. Omnibus dispositis in ecclesia parochiali ad missam pontificalem pertinentibus et sacris reliquiis supra altare maius in eminentibus locis iuxta decretum heri vespere emanatum collocatis publicaeque venerationi religioso ac ornatissimo apparatu propositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes in ipsam ecclesiam descendit ubi, hora tertia a musicis decantata, pontificalibus indumentis ornatus, cum assistentibus neccessariis iuxta pontificalem ritum, missam ipsam incepit ac, evangelio decantato, homiliam ex throno populo dixit. In ea visitatione suae intentionem declaravit, quam populum ad poenitentiam excitaturus suscepit multisque argumentis ac evangelica eruditione frequentissimos auditores hortatus est ne gratiam illis a divina providentia oblatam recusarent ac paternis amantissimis verbis illos ita comovit ut omnes vultu gestuque parentis sui monita sibi suavissima ac acceptissima declaraverint, |**174**| praesertim vero quod exemplo suorum patronorum sanctorum martyrum Felicis, Adaucti et Flaviae, illos ad suave Christi iugum amplectendum ac subeundum suaserit, a quibus peculiari cura populus ipse custoditur ac tuetur. Hac concione absoluta, sanctum sacrificium Deo obtulit oblatoque ipso et gratiis bonorum omnium largitori peractis, ad aedes suas ressidentiae reversus est ibique prandium sumpsit. Die antedicta 19 maii 1743 post prandium. Ad ecclesiam parochialem praedicta iterum perexit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes ibique facta adoratione divini Sacramenti, ad altare maius olea sancta visitaturus accessit, ubi coram ipso comparuit iuxta altare maius stante nobilis dominus Innocentius Moniga, qui exposuit, gravi aetate cum se sentiat confectus, antequam ex hac vita a Deo revocetur, ad hoc ut claves arcae in qua servantur sacrae reliquiae sanctorum Christi martyrum Felicis, Adaucti et Flaviae diligentia eadem deinceps

custodiantur qua praeteritis temporibus ab avo et proavo suo et a semetipso custoditae fuerunt, cupere ut a dominatione sua illustrissima et reverendissima acceptarentur et ab illa tradantur illi vel illis custodiendae, prout eius pietati et zelo comodius videbitur et suas supplicationes etiam adiiciens easdem claves ad numerum trium in manus praedictae suae illustrissimae et reverendissimae dominationis tradidit et eidem illas pro effectu praedicto consignavit, praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini, archipraesbytero Sancti Ioannis ad Forum |**174**v| et magistro caeremoniarum et admodum reverendo domino Iacobo Riva, rectore Sancti Petri in Archivolto Veronae, familiari a secretis suae illustrissimae et reverendissimae dominationis aliisque plurimis ex clero huius ecclesiae et principalioribus huius communitatis testibus et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, comendata pietate antecessorum praedicti nobilis domini Innocentii Monighae ac praesertim devotione ac peculiari religione quibus exornatum se praebet idem dominus Innocentius, easdem claves acceptavit, annuendo supplicationi ut supra sibi factae decrevitque praedictas tres claves per me notarium tradendas esse ita ut clavis quae aperit seram in cornu evangelii cratis ferreae tradatur et consignetur admodum reverendo domino Matthaeo Albertini praeposito, ut ipse et eius successores praepositi perpetuo illam custodiant; clavis vero quae aperit seram in medio eiusdem cratis tradatur et consignetur spectabili communitati huius loci, a qua custodiri debeat in arca ubi custodiuntur pecuniae et praeciosiora mobilia Montis eiusdem communitatis; tertia autem clavis, quae aperit seram in cornu epistolae, tradatur et consignetur domino Hieronymo Bonazzi, sindico huiuscemet communitatis, ut ipse et successores eius sindici illam apud se custodiant, hac conditione ut, quoties renovetur officium sindici, sindicus qui cessabit ab officio, ante altare maius huius ecclesiae praedictae, domino notario communitatis et uno ex ipsius consulibus |**175**| tradat et consignet suo successori clavem hanc ipsam et ita et cetera, omni. Pro cuius decreti executione traditae fuerunt a me notario infrascripto claves praedictae, suprascriptis admodum reverendo domino praeposito, domino sindico et communitati, cuius nomine illam acceptavit Dominicus Florioli quondam Sanctes, ipsius communitatis consul actualis, illas servandas et custodiendas iuxta scriptum decretum illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi, ad quod et cetera et ita et cetera. Praesentibus reverendo domino Hieronymo Mazzoldi, sacerdote curato coadiutore huius pareciae et domino Francisco Dugazzi filio quondam domini Antonii huius loci, testibus et cetera. Visitavit subinde olea sancta, in loculo a cornu evangelii altaris maioris parata et vascula maiora stamnea, in capsula ex nuce, quae mittuntur ad accipienda eadem olea sancta ex plebe Manerbae. Vidit quoque vascula pro sacramento baptismatis, scilicet olei cathecumenorum et Chrismatis argentea, rite instructa nec non vasculum cum oleo infirmorum argenteum, rite pariter elaboratum. Visitavit fontem baptismalem, prope ianuam huius ecclesiae, qui iuxta sacros ritus non satis est instructus, cuius ciborium rimis ubique patet, cancellis ferreis circumdatum, non tamen sera et clavi clausis, qui alias est transferendum ob reaedifictionem huius ecclesiae, iuxta licentiam concessam destruendi muros ipsius |**175**v| ecclesiae ipsamque reaedificandi. Visitavit tra confessionalia in ecclesia disposita et alterum vidit in anditu sacristiae, cuius usus est tantummodo pro maribus, ut assertum fuit; quod, cum bene inspexerit, pro huiusmodi tantumodo usu illud permisit, prohibens ne foeminae in illo audiantur; in aliis vero tribus in ecclesia ut supra dispositis excipiuntur sacramentales mulierum confessiones. Visitavit altare sanctissimi Corporis Christi, marmoreum cum portatili et imagine sanctissimi Crucifixi, ex ligno sculpta, de ratione societatis ipsius sanctissimi Corporis Christi, a qua manutenetur et a qua providetur etiam de cereis et suppellectilibus pro associando sanctissimo Viatico ad infirmos, praeter alia quae praestat, ut supra relatum fuit in visitatione huius augustissimi Sacramenti. In hoc altari est beneficium cuius institutio apparet ex relatione missa ad sacram congregationem Concilii ab hac curia episcopali, cuius copia exhibita fuit et in fine huius libri posita sub littera M, in qua etiam refertur eidem beneficio unio facta alterius beneficii quod erat errectum ad altare beatae Virginis Mariae, quae duo beneficia sic unita possidet admodum reverendus praepositus uti rector earumdem duarum cappellarum, cum oneribus prout in eadem relatione et cetera. Reverendus dominus Albertus de Albertinis, praepositus huius parochialis |**176**| ecclesiae, in suo testamento diei 30 ianuarii 1702 in actis domini Ioannis Dominici de Marchis notarii, viso et restituto et in subsequentibus codicillis diei 25 maii 1706 in actis domini Ioannis Baptistae Dugazzi notarii et tandem in eius scriptura sua manu scripta diei 29 ianuarii 1708, itidem visis et restitutis, ordinavit ut ex capitali scutorum 1200 redditus impenderentur a communitate, cui capitale ipsum reliquit ut, detractis impensis, tot missas celebrari facere iuxta vires eorumdem reddituum, taxata eleaemosina solidorum triginta, declarando ut praedictarum missarum maior pars in hoc altari celebraretur, praeferendo primum eos qui fuerint de eius familia, deinde, iis deficientibus, eos qui fuerint sibi coniuncti usque ad quartum gradum ac demum, omnibus his non extantibus, illos qui a communitate eligentur; quae electio de triennio in triennium erit renovanda, cum conditione tamen quod omnes eligendi, etiam de eius familia et cognatione, sint sacerdotes bonae vitae

et famae. Ad praesens huic oneri supplet reverendus dominus praepositus Matthaeus Albertinus, nepos eiusdem testatoris. Redditus anni praeteriti apparet – ex libro foris inscripto "Cappellania perpetua instituta dal quondam reverendissimo Alberto Albertini", ab ipsa communitate servato – fuisse tronorum 375.7, pro quibus celebravit tot missas dictus dominus praepositus in ratione eleaemosinae triginta solidorum pro quaque. |**176**^{v}| Societas praedicta Corporis Christi canonice fuit instituta et aggregata archiconfraternitati sanctissimi Sacramenti de Urbe sub die 13 augusti 1636, ut patet ex diplomate aggregationis exhibito, viso et restituto habetque redditus supra tronorum mille. In hoc altari exercetur officiatura missarum centum quinquaginta, pro quibus dat stipem viginti quatuor solidorum pro quaque missa ipsament societas cappellano, qui ad praesens est reverendus dominus Ioseph Tirandi, a quo oneri sibi iniuncto suppletur. Haec societas huiusmodi missas ex antiqua consuetudine celebrare facit cum intentione supplendi antiquioribus suis obligationibus, quatenus gravetur et quatenus non haberet obligationes pro confratribus defunctis. Alias obligationes haec societas habet prout describuntur in tabella existente in sacristia, cuius copia exhibita in fine huius ad litteram M fuit reposita quaeque describuntur etiam in libro foris inscripto "Obligationi della scuola del Santissimo", in suis distinctis partitis exhibito, viso et restituto; in quo, praeter obligationes descriptas in supra recensita tabella, apparent etiam aliae partitae ad paginas 21, 22, 24, 25, in quibus describuntur quator aliae obligationes dispensandi panem et aliquando vinum temporibus a |**177**| piis mentibus statutis, quae omnes obligationes, tam missarum celebrandarum seu officiorum quam dispensandi panem et cetera iuxta intentionem testatorum, omnino adimplentur et servantur etiam piae consuetudines celebrandi missas et anniversaria, prout in dicta tabella, exceptis infrascriptis, scilicet obligatione celebrandi officium cum decem missis praescriptum a persona secreta, ut enunciatur in eodem libro pagina 4, a quo taxata fuit cuicumque sacerdoti aeleaemosina solidorum quatuor et cuicumque clerico aeleaemosina solidorum duorum; quae intentio, cum exequi non possit eo quod non percipitur fructus ex hac pia dispositione nisi librarum quinque, societas – ut ibidem apparet – facit celebrare unum anniversarium cum aeleaemosina eiusdem fructus tronorum quinque, quae aeleaemosina, cum pro celebrando uno anniversario sit iuxta consuetudinem huius loci – ut ex eodem libro apparet – illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus declaravit deinceps quoque onus istud ita esse adimplendum. Sicuti idem etiam declaravit pro altera obligatione, descripta in eodem libro folio 7 eiusdem tenoris et ita et cetera, omni et cetera. Altare Sanctissimae Trinitatis, cum mensa marmorea super murum constructa, cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, de ratione communitatis, sed manutenetur a societate Charitatis, quae hic errecta et canonice fuit |**177**^{v}| instituta, ut apparet ex libro foris inscripto "Massaria della Carità" in fine eiusdem, ubi undecim capitula descripta sunt auctoritate episcopali felicis recordationis cardinalis Augustini Valerii in eius visitatione huius paroeciae, publicata die 8 iunii 1578, exhibita, visa et restituta, in quibus capitulis, cum facile dignoscatur spiritus christianus quo illa confecta fuerunt, illustrissimus et reverendissimus praesul interrogavit utrum eadem capitula a confratribus exequerentur; cumque illi responsum fuisset nunc temporis nullos fere esse confratres – exceptis duodecim consulibus – a spectabili communitate iuxta eadem capitula electos atque adeo eadem capitula non observari, excepto quod redditus, qui sunt et esse possunt tronorum centum quinquaginta circiter – ut ex eodem libro apparet – impenduntur iuxta intentionem eorumdem capitulorum et in manutenendo altari praedicto. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus antistes vocavit ad se consules praedictos nec non reverendum dominum praepositum et, ea charitate qua fovere pro zelo suo pastorali solet, opera huiusmodi paternis verbis hortatus est praedictos consules ut omni industria curent ad hoc ut describantur ex hoc populo plurimi qui dent adiutrices manus iuxta eadem capitula ad pauperum indigenties sublevandas, declarando se concedere indulgentiam quadraginta dierum cuicumque confratri toties quoties in opere a capitulis |**178**| ipsis praescripto se se exercebit. Praecepit etiam praedicto reverendo domino praeposito ut in solemnioribus anni diebus festis, concione adposita, suum populum suadeat et hortetur ut quisque quantum fieri poterit suum nomen det huic societati ac perlegat publice capitula ipsa, ex quibus facile quisque cognoscet meritum quod hisce operibus impendendis aquiret et subsidium quod pauperibus conferetur et ita et cetera. In hoc altari exerceri solet officiatura, relicta a quondam reverendo domino Petro Bona in suo testamento diei 5 martii 1500 in actis domini Ioannis de Tornesii notarii, viso, lecto et restituto, qui aggravavit suos haeredes ad solvendum uni sacerdoti, per tantum quantum capiet ex provenientibus suae hereditatis ibidem descriptae, ut celebret divina officia et missas in praedicta ecclesia, eligendo a praedictis heredibus et commissariis. Ad praesens haeres est dominus Ioseph Dugazzi et sacerdos electus est reverendus dominus Pompeus Dugazzi, qui missam celebrat iuxta praedictam obligationem, ut in postrema visitatione anni 1711 indicatum fuit; nam provenctus huius haereditatis – ut assertum fuit – vix ad ducentas libras ascendunt. Altare sanctae Mariae ad Nives, cum mensa marmorea super columna, cum portatile et icone depicto, in reliquis ligneum, de ratione communitatis, a qua

manutenetur, ubi repositae sunt reliquiae descriptae in postrema visitatione anni 1711, |**178^{v}**| quas decreto eiusdem visitationis inhaerendo in sua manutentione reliquit. Nullam adesse obligationem missarum in hoc altaris assertum fuit, sed in eo celebrari tantum ex devotione. Visitavit altare sancti Ioannis decolati nuncupatum, in quo tamen extat icon ab excellenti pictore Romanino depictus, a quo rappresentatur circumcisio Domini nostri Iesu Christi, cum mensa marmorea consecrata; in reliquis est ligneum. In hoc altari est beneficium de iure patronatus communitatis, cui onus curae animarum iniunctum, prout patet ex relatione missa ad sacram congregationem Concilii ab hac curia episcopali die 28 iulii 1742, cuius copiam exhibitam infra reposui ad litteram M. Huius beneficii rector estrReverendus dominus Carolus Baronio, cum bullis episcopalibus et mandato executivo diei [*manca*]. Reddituum in eadem relatione summa describitur. In hoc ipso altari nulla alia est obligatio missarum. Altare sanctissimi Rosarii, cum mensa marmorea consecrata, in reliquis ligneum, cum icone depicto, circumquam depicta sunt misteria eiusdem Rosarii; hoc altare est de ratione societatis eiusdem tituli, quae inibi canonice errecta apparet, ut recognitum fuit in postrema visitatione anni 1711. Haec societas habet onera descripta in tabella quae nunc existit in sacristia et etiam ex libro foris inscripto "Capituli del Rosario" a pagina 196 tergo usque ad paginam 197, ex quo libro apparet solere celebrari facere ab hac societate anniversaria |**179**| pro omnibus defunctis die 3 februarii, 16 martii, 16 augusti, 9 septembris, iuxta eiusdem societatis capitula et ex aeleaemosinis quae colliguntur. Officia autem diei 15 ianuarii, 25 et 28 iulii, ac 10 octobris societas facit celebrare iuxta obligationes respectivas in eodem libro descriptas, quarum tenorem vidit in eadem libro sibi exhibito et restitutus. Praeterea ipsa societas – ut apparet ex eodem libro ad paginam 195 tergo – habet onera pro aliis missis, ex legatis quondam Bartholomaei Gratioli, Lelii Bertozzi, Franciscae Saletti et Iulia Pulli et quot annis celebrare facit missas ducentas circiter, iuxta reddituum quantitatem provenientem ex capitalibus ut supra legatis, prout constat ibidem pagina 171 tergo, in qua a nomine Anastasiae Moniga ad nomen Angeli Quartazoli sumantur librae 240 circiter, quae erogantur cappellano celebranti praedictas missas ducentas et ad praesens electus est cappellanus reverendus dominus Christophorus Gallina, qui adimplet. Altare sancti Leonardi, cum mensa marmorea consecrata, palio et icone depicto, in reliquis ligneum, de ratione communitatis, a qua manutenetur de omnibus. Huic altari duae officiaturae institutae fuerunt, quarum prima a quondam Bono Pasio medio sui testamenti diei 20 iunii 1607 in actis domini Bartholomaei Gorelli notarii, cuius particula autentica exhibita fuit, visa et restituta, qui |**179^{v}**| tres mille libras planeti commuitati huius loci reliquit, ut cum redditibus earumdem conduceret et manuteneret sacerdotem qui celebret in hoc altari perpetuo missam quotidianam. Altera officiatura relicta fuit a quondam domina Pesarina, filia quondam domini Bonibelli Pacis relicta in secundis votis quondam domini Francisci Raimondi de Salodio, in suo testamento diei 3 februarii 1662 in actis domini Antonii Rottae notarii, cuius copia antiqua, non tamen autentica, fuit exhibita, visa et restituta, tria capitula assignando ad hoc ut, ex eorum fructibus unitis iis quos legavit eius frater Franciscus de Pacis, missa quotidiana celebraretur pro anima sua et cetera. Utriusque officiaturae redditus ad praesens non excedunt summam tronorum 220.10, ut constat ex libro a communitate tento, foris inscripto "Cappellania Pasotta" sub die 9 aprilis 1743 et pagine 12, 28 et 29 eiusdem libri, qui redditus cum non suffecerint, anno 1686 5 iulii reductum fuit onus utriusque officiaturae ad missas 258, ut constat ex actu reductionis huius curiae episcopalis, viso et restituto. Verum, cum capitalia obnoxia eisdem officiaturis partim direpta fuerint a militibus exteris, prout refertur etiam in postrema visitatione anni 1711 ac in praesens quae residua remanent non reddant fructum ultra summam praedictam tronorum 220.10, qui fructus tamen idem semper non est, eo quod summa capitalis in diversa capitalia partitur et |**180**| saepesaepius censuarii vel livellarii se se affrancat et interea sine fructu capitalia affrancata iacent in hoc sacro Monte Pietatis, ideoque dominus Romanus Bonazzi, notarius huius communitatis et a praedicta electus pro praesenti visitatione, nomine eiusdem comunitatis, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem supplicavit ut dignaretur moderari onera ipsa, ita ut tot misse celebrentur quot singulis annis celebrari poterunt iuxta vires reddituum annuorum. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus onera utriusque officiaturae moderavit ac reduxit iuxta supplicationem sibi porrectam, ita ut tot missae – detractis neccessariis impensis occurrentibus pro conservandis capitalibus iisque investiendis – celebrentur quot celebrari poterunt iuxta vires eorumdem redditum annuorum, assignata cuique missae aeleamosina viginti quatuor solidorum, iuxta paeculiarem morem huius loci. Altare sancti Ricchi, cum mensa marmorea cum portatili, palio, icone depicto ab excellenti pictore, in reliquis ex gypso, de ratione communitatis, a qua de omnibus manutenetur. In hoc altari est officiatura cui communitas eligit cappellanum, qui ad praesens est reverendus dominus Ioseph Mazzoldi, sed tamen ab ipsa ignoratur a quo haec officiatura instituta |**180^{v}**| fuerit; nihilominus in libro foris inscripto "Cappellania San Rocco" describit ipsa communitas capitalia et redditus de ratione eiusdem officiaturae, qui ad praesens sunt in summa tronorum 285.10 ac pro his celebrare facit tot missas in ratione

eleaemosinae pro quaque illarum viginti quatuor solidorum. Altare sancti Bartholomaei, de ratione comunitatis; nunc est demolitum, quia ibidem consurgit murus pro raedificatione huius ecclesiae. Huic altari officiatura relicta fuit ex legato quondam nobilis dominae Emiliae, filiae quondam nobilis domini Iacobi de Emileis brixiensis, in suo testamento diei 19 augusti 1591 in actis domini Ioannis Hieronymi Taietti notarii de Portesio, ibidem exhibito, viso et restituto, in quo ordinavit ut quotidiana missa ibidem celebraretur per sacerdotem eligendum a suis commissariis institutis. Cum vero commissarii omnes defecerint, communitas haec, ne ipsa officiatura omnino periret, assumpsit eius administrationem, cum decreto eiusdem communitais diei 27 novembris 1718. At, cum redditus ex capitalibus remanentibus non sufficiant ad adimplendum onus iniunctum (nam ex libro foris inscripto "Cappellania di San Bortolamio" ab ipsa communitate tento et a domino Romano Bonazzo eiusdem notario descripto) apparet fructus non percipi ad praesens ultra libras septuaginta, prout ibidem pagine 12 et 13 ideoque praedictus dominus |**181**| Romanus Bonazzi, nomine ut supra, supplicavit moderandum hoc quoque onus iuxta reductionem factam officiaturarum Pace seu Pasotta et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, audita supplicatione sibi ut supra facta, onus praedictae officiaturae moderavit et reduxit, ita ut tot missae – detractis neccessariis impensis – celebrentur quot celebrari poterunt iuxta vires eiusdem reddituum, assignata pro quaque missa aeleaemosina viginti quatuor solidorum et ita et cetera, omni et cetera. Ibidem adest alia officiatura, instituta a quondam Lelio Bertozzi in eius testamento 24 augusti 1679, cuius particula autentica exhibita fuit, visa et restituta et est in principio libri foris inscripti "Cappellania Bertozzi". Testator praedictus reliquit communitati capitale scutorum mille quingentorum brixiensium, cum onere faciendi celebrare sex missas in hebdomada, quod onus communitas assumpsit iuxta reductionem et declarationem eiusdem oneris factam a felicis memoriae Ioanne Francisco Barbadico, episcopo veronensi, cum suo decreto diei 22 martii 1714 existente in ipso libro, viso et restituto, in quo decrevit ut – detractis impensis – omnes fructus huius capitalis fideliter atque totaliter impendantur omni anno in celebratione missarum, maiori numero quam fieri poterit cum aeleemosina pro quaque missa iuxta taxam sinodalem, iuxta quod decretum die 30 maii |**181**^{v}| 1738 ipsamet communitas consensit in administrationem et executionem huius oneris, prout ex instrumento praedictae diei, in actis domini Deodati Bertelli notarii, in eodem libro existente; nunc ex hoc capitali percipitur fructus tronorum 336, ut apparet in eodem libro paginae 1, 2, 3 et 101 et celebrare comunitas facit missas biscentum viginti quinque, cum aeleaemosina marculorum triginta pro quaque. Verum, cum observasset illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in eodem libro a reverendo domino Iacobo Palea, cappellano huius officiaturae, missas applicare extra ecclesiam Sancti Felicis et pro localitate committere alteri sacerdoti ut in praedicta ecclesia et in dicto altari celebret, monuit reverendum cappellanum praedictum hoc modo non adimpleri intentioni testatoris, qui praecepit missas celebrandas in ecclesia Sancti Felicis et in praedicto altari, cum applicatione sacrifitii pro eius anima et suorum defunctorum atque adeo teneri vel per se vel per substitutum ibidem missas celebrare et applicare. Visitavit altare beatae Virginis Mariae, cum mensa marmorea cum portatili et palio, in reliquis ligneum, in quo est imago beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, inaurata, sub crystallis servata. Hoc altare est de ratione communitatis, a qua de omnibus manutenetur. In hoc altari reverendus Benadusius Quartuzola, praesbyter huius loci, in suo testamento diei 31 octobris 1549, exemplato a domino Ioanne Francisco Dextro notario, viso, lecto et restituto, |**182**| instituit officiaturam perpetuam quotidianam, aggravando suos haeredes ad onus ipsum impleri faciendum per sacerdotem eligendum et ut suo codicillo diei 26 ianuarii 1550 autentico et ut supra viso et restituto. Communitas haec agit commissariam huius officiaturae et obtinuit moderationem huius oneris ab auctoritate episcopali, ut apparet ex decreto diei 5 iunii 1709, viso et restituto, quo onus ipsum reductum fuit ad vires reddituum ita ut fructus ipsi qui exigentur totaliter impendantur et erogentur in celebrationem tot missarum quot poterunt celebrari cum consueta eleaemosina. Ex capitalibus huius officiaturae hoc anno perceptus fuit fructus tronorum centum quinquaginta duorum et celebrantur a reverendo domino Ioanne Baptista Poli tot missae iuxta vires eiusdem fructus, cum aeleaemosina solidorum viginti quatuor pro quaque, ut apparet ex libro foris inscripto "Cappellania Benadusa". Hisce peractis, ad aedes praedicta reversus, quieti se tradidit et incoenatus obdormivit. Die lunae 20 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictam parochialem ecclesiam adivit, in qua piis Altissimo fusis precibus sacrisque paramentis indutus, sacrosanctum missae sacrifitium peregit; quo absoluto, quampluribus utriusque sexus christifidelibus sacram Eucharistiam ministravit. Reposito augustissimo Sacramento, petentes sacro Chrismate linivit dimissisque |**182**^{v}| subinde sacris indumentis, ad aedes suae ressidentiae se restituit, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 20 mensis maii 1743 post prandium. Convocatis tam per solita signa in hac parochiali ecclesia pueris et puellis, ad eamdem illustrissimus et reverendissimus praesul petiit ibique,, divisis maribus a foeminis, iussit ut more solito huius

scholae exercitium perageretur ac deinde ut admodum reverendus dominus praepositus illos interrogaret, quos omnes unitim interrogatos in primis instructos in rebus ad salutem pertinentibus cognovit ac observavit methodum tum a reverendo praeposito et a Ssacerdotibus, tum a laicis operariis bene ordinatam in hac schola peragit, ex quo summa laetitia affectus est, praesertim cum viderit edoctos discipulos iuxta novam aeditionem doctrinae christianae eius iussu publicatam. Hoc exercitio peracto, tronum conscendit ac ibidem vocavit ad se sacerdotes aliquosque magistros et officiales, a quibus libri huius scholae sibi exhibiti fuerunt et ex iis observavit tum sacerdotes tum laicos diligentes esse ac proterea eorumdem charitatem ac in primis reverendi praepositi pietatem laudavit eosque omnes hortatus est ut in hoc sancto et piisimo officio permanerent. Visitavit deinde altare maius, marmoreum cum portatili, de ratione comunitatis, a qua manutenetur, exceptis cereis et oleo pro lampade, de quibus providet reverendus dominus praepositus; in festis tamen dominicae Ressurrectionis, |**183**| Pentecostes, Corporis Domini, Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, in hebdomada maiori et singulis tertiis dominicis aliisque huiusmodi, cerae manutenentur a societate Corporis Christi. Adest in hoc altari beneficium sub titulo sanctorum Felicis et Adaucti, cuius rector est reverendus dominus Hieronymus Mazzoldi, cum litteris episcopalibus et mandato executivo diei [*manca*], cuius institutio redditus et onus describuntur in praecitata relatione ad sacram congregationem Concilii. Hic admodum reverendus praepositus diebus festis applicat missam pro populo. Communitas haec alias missas celebrari facere tenetur et primum ex legato quondam Paulae Caccinellae diei 23 novembris 1627, quae reliquit medietatem suorum bonorum dictae communitati, reddentem fructuum scutorum viginti quinque monetae romanae, cum onere missae quotidianae, quod onus reductum fuit auctoritate apostolica a felicis memoriae Sebastiano Pisani episcopo veronensi ad missas centum septuaginta duo, cum conditione quod, si aliquando augeantur redditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse missarum et ut latius in ipso decreto diei 5 iunii 1686, exhibito, viso et restituto. Cum vero nunc fructus huius officiaturae auctus fuerit ad tronos ducentos, prout constat ex libro inscripto “Cappellania Caccinella” ab ipsa Communitate servato, exhibito, viso et restituto, ad partitam diei 12 martii 1743. Hinc comunitas maiorem numerum missarum iuxta conditionem eiusdem |**183**^{v}| reductionis cum proportione eiusdem fructus celebrare facit, ut apparet ex eodem libro in partita sub die 10 martii 1743. Secundo, tenetur ipsa communitas celebrare facere missas iuxta ordinationem quondam Ioannis Bonetti de Barilettis, praescripta in eius testamento diei 4 augusti 1560, in actis quondam domini Bernardini Barbazani notarii, qui reliquit missam quotidianam, quae tamen auctoritate ordinaria reducta fuit ad vires reddituum, ita ut fructus qui ex capitalibus huius officiaturae exiguntur totaliter impendantur et erogentur in celebratione tot missarum quot poterunt celebrari cum consueta aeleaemosina sacerdotibus contribuenda pro quaque missa et ut latius in decreto reductionis diei 5 iunii 1709, exhibito, lecto et restituto. Ad praesens fructus huius officiaturae esse possunt tronorum centum viginti circiter, ut constat ex libro, a communitate tento, foris inscripto “Cappellania Bonetta” ad paginam 4, 20 et versus finem eiusdem libri, qui tamen fructus integre hodie non percipitur, cum duo capitalia iaceant deposita in sancto Monte, sed ex fructibus qui nunc percipiuntur tot missas celebrare facit communitas a reverendo domino Ioanne Baptista Micheli, ut constat ex eodem libro in praedicta partita versus finem. Ex libro eiusdem communitatis, foris inscripto “Cappellania Santibona”, constat obligatio eiusdem communitatis faciendi celebrare missas pro officiatura praedicta Santibona. Haec obligatio |**184**| ressultat ex instrumento transactionis die 2 iulii 1632, in actis domini Calisti Bertozzi notarii, exhibito, lecto et restituto, in quo super vertentiis circa validitatem testamenti quondam domini Hieronimi Sanctibona diei 13 septembris 1630 et circa effectum eiusdem dispositionis, transactum fuit inter sorores praedicti domini Hieronimi Santbona diei 13 septembris 1630, et circa effectum eiusdem dispositionis transactum fuit inter sorores praedicti domini Hieronimi ex una et communitatem huius loci ex altera, ut quaedam capitalia cederentur eidem communitati ibidem descripta, cum onere eidem iniuncto celebrare faciendi tot missas, ex redditibus praedictis, in hac ecclesia parochiali Sancti Felicis in perpetuum pro anima dicti Hieronymi et eius defunctorum et superius eidem communitati relaxaverunt quaedam mobilia in eodem testamento nominata, una cum calice et cetera, ad hoc ut eadem mobilia forent ad usum pro celebratione missae praedictae. Ex capitalibus ita cessis ad praesens percipitur fructus tronorum 138.15, ut ex partita eiusdem libri diei 30 martii 1743, visa et restituta; ex quo fructu tot missae celebrantur a reverendo domino Iosepho Tirandi, cappellano electo ab ipsa communitate iuxta eamdem transactionem. Quondam dominus Laurentius Dugazzi, in suo testamento diei 14 septembris 1674 in actis domini Hieronymi Dugazzi notarii, descripto in libro foris inscripto “Commissaria Tosola, eredità Tirandi et eredità Dugazzi” pagina 41, deficientibus institutis suis haeredibus substituit hanc communitatem |**184**^{v}| suam haeredem, cum obligatione faciendi celebrare missam quotidianam seu tot missas quot poterunt celebrari ex fructibus eius haereditatis – detractis impensis occurrentibus – pro anima sua et suorum defunctorum. Communitas praedicta ex bonis huius haereditatis,

venditis iuxta publicas leges, assecuta est summa tronorum 6790.4, praeter quaedam alia bona quae adhuc non sunt vendita, ut apparet ex eodem libro paginis 41 tergo et 42 tergo et adimplet onus iuxta intentionem testatoris tot missas celebrare faciendo iuxta redditum, cum aeleaemosina marculorum triginta, ut apparet ex eodem libro pagina 61 tergo. Illustrissimus et reverendissimus praesul, ex testamento quondam nobilis dominae Deliae, relictae in secundo matrimonio nobilis domini Caroli comitis Martinengo, exhibito a domino Romano Bonazzi notario huius comunitatis, lecto et restituto, cognovit ipsam legavisse libras mille planeti reverendae ressidentiae huius parochialis ecclesiae, quod reverendi sacerdotes ressidentes teneantur perpetuis futuris temporibus celebrare missas duas in dicta ecclesia singula hebdomada in remedium animae ipsius testatricis et eius defunctorum; commissarios huius ultimae suae dispositionis esse voluisse reverendos quatuor rectores dictae ecclesiae. Cognovit etiam huiusmodi legato a praedictis commissariis die 3 septembris 1695 renunciatum fuisse eo quod fructus non essent sufficientes pro onere adimplendo et fructus ipsi ab haeredibus non solverentur, quin |**185**| capitalia nonnulla eidem legato obnoxia fuerint alienata diversis personis, prout apparet ex actu renunciationis eiusdem diei et anni, exhibito, viso et restituto, super quibus interrogavit eumdem dominum Bonazzi quinam ad praesens essent fructus huius oneris et ipse respondit nullos extare, eo quod unum tantumodo capitale tronorum tercentum septuaginta quinque solidorum duodecim, quod ipse habebat ad censum et de quo se affrancavit die 26 martii 1738, ut ex instrumento affrancationis in actis domini Alberti Albertini notarii, tradendo et solvendo capitale praedictum dominis rectoribus, a quibus depositatum fuit supra sanctum Montem huius loci et ut latius ibidem. Addidit insuper idem dominus Romanus capitale ipsum adhuc iacere supra Montem non investitum, quapropter illustrissimus et reverendissimus antistes ad se vocavit dominos rectores illosque monuit ut, sine praeiudicio et cetera, investirent ipsum capitale et ex eius fructibus tot missas celebrent vel celebrare faciant cum proportione ad vires eorumdem reddituum, servata aeleaemosina consueta huius loci et cum conditione quod, si aliquando assequi possent capitalia et fructus sufficientes ad adimplendum onus, adimpleatur iuxta eamdem dispositionem, ad quam et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Subinde se contulit ad visitandum publicum oratorium Sancti Caroli in Castro huius loci, intra limites ecclesiae |**185**^{v}| parochialis Sancti Felicis [a margine: san Carlo] et inibi unicum vidit altare cum mensa marmorea super murum constructa cum portatili, palio et icone depicto. Hoc oratorium est de ratione communitatis, sed manutenetur de omnibus ab infrascripta societate. Supra gradum a candelabris est custodia lignea inaurata, cuius usus est tantummodo ut ibidem custodiatur sacra reliquia ex ossibus sancti Caroli cardinalis Borromaei, in theca argentea reposita, unica crystallo anteriori in parte, sigillo et documentis autenticis munita et in hac curia episcopali approbata die 5 novembris 1742, quam recognovit et deveneratus est. Claves huius custodiae servantur una ab admodum reverendo praeposito, altera a societate infrascripta. Retro altare vidit et visitavit sacristiam cum armario ex nuce, in quo servantur paramenta aliaque vasa sacra ad sacrum faciendum neccessaria, de quibus sufficienter provisum invenit et quae descripta sunt in inventario exhibito et infra reposito ad litteram M. In hoc oratorio canonice errecta est societas sub invocatione sancti Caroli, ut apparet ex eius aggregatione archiconfraternitati sanctorum Ambrosii et Caroli de Urbe, recognita in hac curia a Daniele Lisca, olim vicario generali, ibidem visa et restituta. Confratres huius societatis induunt vestem ex tela violacea cum capucio rubeo laneo et conveniunt in hoc oratorio diebus festis ad recitandum officium beatae Virginis Mariae aliasque |**186**| orationes persolvendas iuxta eorum institutum; accedunt quoque ad processiones quae fieri solent in hoc loco. Exercetur in hoc ipso oratorio pium opus doctrinae christianae pro mulieribus et admodum reverendus praepositus huius parochialis ipsum dirigit. Haec ipsa schola mulierum adfuit in ecclesia parochiali et ex ordine illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi ibidem convocata fuit, ut comodius de ipsa ac de schola marium cognosceret. Societas ipsa tenetur, ex testamento Ioannis Baptistae Martinelli diei 16 iulii 1629 quo instituta fuit haeres, cum onere conducendi sacerdotem idoneum ad docendum pauperes terrae Castri Sancti Felicis et etiam filios confratrum et ad celebrandum quotidie in hoc oratorio in suffragium animae suae et suorum defunctorum. Verum, redditibus diminutis et non concurrentibus sacerdotibus ad huiusmodi onera subenda, eadem onera auctoritate apostolica ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo die 28 iulii 1735 reducta fuerunt ad erogandum omni anno sacerdoti seu personae idoneae, qui scholam publicam faciet in hoc loco iuxta intentionem testatoris, scuta viginti quinque de tronis septem pro quoque et ad impendendum reliquum fructum in celebratione tot missarum quot ad rationem aeleaemosinae manulais triginta marculorum pro quaque missa ferialibus diebus celebrandarum seu etiam festivis diebus in ratione marculorum quadraginta pro quaque, ita ut fructus ipsi totaliter impendantur et ut latius |**186**^{v}| ex actu reductionis eiusdem diei et anni, ibidem exhibito, viso et restituto, iuxta quam reductionem adimpletur huic obligationi, prout in libro eiusdem societatis descripto iuxta ordinationem eiusdem decreti, ex quo libro apparet, a die prima septembris 1741 usque ad diem 7

ianuarii 1742 inclusive, celebratas missas feriales sexaginta unam, festivas triginta et ex ipso libro anno 1742 erogatum fuisse cappellano pro schola et missis tronos 323.3.4, qui conficiunt summam reddituum eiusdem anni. Praedicta societas sua quoque capitula habet, auctoritate episcopali roborata sub die 15 decembris anni 1621, quae exhibita fuerunt, visa et restituta, super quibus dominus Albertus Albertini, prior eiusdem societatis, exposuit sub capitulo XIX praescriptas esse poenas – negligentibus venire ad recitandum officium beatae Mariae Virginis et interesse processionibus consuetis – quae consistunt in solvenda pro ratione negligentiae certa quantitate pecuniae aut cerae respective prout ibidem, sed consuetudinem fuisse introductam ut huiusmodi negligentes singulis vicibus multentur in poena unius marculi; deinde subiunxit in capitulo 111 praescriptum fuisse ut confratres vestiant habitum laneum, scilicet vulgo *di mezo scotto*, tam quoad vestem quam quoad cappuccium seu mozetam, cum bireto violaceo; verum, confratres consuescunt induere vestem lineam violaceam, ut supra dictum fuit et incedere sine bireto et sine tegumento |**187**| vultus, super quibus supplicavit humilime, nomine ipsorum confratrum, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut dignaretur, stante quod omnes subire non possunt poenas a capitulis impositas et expensas facere in providendo habitu iuxta eadem capitula, consuetudinem approbare tam quoad poenas quam quoad habitum supra expositum, suo decreto declarando ita deinceps esse et fore praticandum. Quibus auditis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus idem declaravit negligentes ut supra non esse mulctandos nisi in poena unius marculi solvenda toties quoties negligentes fuerint functionibus ut supra expositis; habitum vero concessit et permisit iuxta praesentem consuetudinem, hortans illos ut, vel iuxta capitulum tertium vel iuxta formam qua utuntur confratres sancti Caroli civitatis Veronae, gestent in capite tegumentum et ita et cetera, omni et cetera. Ordinata. Mensa altaris ita removeatur versus portam maiorem ut portatile extra gradum a candelabris omnino appareat et sit propius pectori celebrantis – in sacristia apponatur scitula cum suo manutergio – provieatur de paramento nigri coloris et de pelvi pro urceolis – addantur missali recentiores missae sanctorum et eidem nova signacula aptentur seu potius novum comparetur. |**187**^{v}| Quibus habitis, ad aedes antedictas se restituit et incoenatus quievit. Die martis 21 mensis maii 1743. [A margine: San Giovanni Battista di Cisano] Illustrissimus et reverendissimus antistes, facto mane, ad oratorium Sancti Ioannis Baptistae decolati, situm in contrata Cisani infra limites parochialis Sancti Felicis praedicti, se contulit ad illum visitandum, quod est de ratione equitum hierosolymitanorum et manutenetur a contrata Cisani, quae est membrum huius paroeciae Sanctorum Felicis et Adaucti. Illum praecessit admodum reverendus dominus praepositus et eius clerus, a quo fuit exceptus in ianua eiusdem oratorii superpelliceo et stolla induto. In idem oratorium ingressus, illustrissimus et reverendissimus praesul, super genuflexorium strato ornatum genuflexus, adoravit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, existens super altare maius, in tabernaculo iuxta decretum episcopale in visitatione Riperiae datum Leonati 21 ianuarii 1610 et iuxta decretum diei 15 septembris 1670, publicatum in alia visitatione huius paroeciae auctoritate episcopali, auditis partibus, scilicet procuratoribus contratae Cisani et admodum reverendo praeposito eius temporis, quorum decretorum copia exhibita fuit et in fine huius libri posita ad litteram M; adorato augustissimo Sacramento, ad ipsum altare maius ascendit et, ibidem genuflexus, ab admodum reverendo domino Mathaeo Albertino praeposito aperto ostio tabernaculi et extracta sacra pixide positaque supra altare ipsam adoravit |**188**| hymnoque dicto et thurificatione peracta, visitavit ipsum Sacramentum, quod asservatur in tabernaculo ligneo inaurato, positum in pixide cuius cupa est argentea et ceterae partes cupreae, cum suo conopeo decenter instructo; et interrogavit reverendum dominum Iosephum Cominelli, cappellanum electum ab ipsa contrata, a qua eiusdem tabernaculi claves custodiuntur iuxta praecitatum decretum visitationis 1670, utrum hoc Sacramentum statutis temporibus rite renovetur responditque ita renovari; quo acto descendit ab altare et ab admodum reverendo domino praeposito porrecto thurre iterum Sacramentum thurificavit et absoluto hymno populo benedixit Ttum eodem Sacramento a dicto reverendo praeposito in eodem tabernaculo praecluso, scholam doctrinae christianae, quae ibidem peragitur, visitavit illustrissimus et reverendissimus praesul iussitque ut reverendus dominus Ioseph Cominelli antedictus – a quo discipuli eiusdem scholae instrui solent – suo more interroget; cui obediens, illos interrogavit et ex interrogationibus et responsionibus, per spacium supra unius horae protractis, illustrissimus et reverendissimus antistes cognovit optime pueros instructos fuisse solertemque in hoc opus eius charitatis esse praedictum reverendum sacerdotem. His peractis, egressus ex ecclesia proximum coemeterium adiit ac ibidem, insimul cum reverendo domino praeposito et eius clero, exequias pro ibidem tumulatis defunctis persolvit. Comparuit subinde coram eodem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo Antonius |**188**^{v}| Cominelli, sindicus terrae Cisani et dominus Bartholomaeus Cugini, a vicinia eiusdem terrae electus commissarius ultimae voluntatis quondam reverendi domini Caroli Carlozzi qui, agentes uti commissarii eiusdem ultimae voluntatis, exposuerunt praedictum reverendum Carolum Carlozzi, filium

quondam domini Bernardini, in suo testamento diei 18 februarii 1658 in actis Antonii Rota notarii, ordinasse ut a suis haeredibus perpetuis temporibus erogarentur quatuor galedae olei quot annis pro lampade ardente ante sanctissimum Sacramentum in ecclesia Cisani custoditum ac praeterea ut erigeretur in praedicto oratorio cappella dicanda sanctis Ioanni evangelistae et Carolo ac in ea a sacerdote eligendo a commissariis praedictis celebraretur ex fructibus suae haereditatis missa quotidiana, ita tamen ut, si ea celebrata et oneribus aliis impositis alii superessent fructus, impenderentur in celebrandis aliis missis aut divinis officiis in remedium animae suae et suorum defunctorum, prout videbitur commissariis constitutis. Addidit ipse testator quod, si ab hominibus terrae Cisani nova ecclesia aedificaretur, in tali casu illuc officiatura transferetur, absque eo quod censeri debeat ipsa affecta oratorio de ratione religionis hierosolimitanae, declarando eamdem officiaturam futuris semper temporibus subesse debere liberam iuri terrae Cisani. Haeredem instituit suae facultatis viciniam et homines ipsius terrae, cum oneribus supradescriptis. Verum, adita haereditate ac praeter haereditatem consecuta **|189|** donatione de ratione eiusdem reverendi Carlozzi, fructus utriusque singulis annis aequales non esse exposuerunt; nam quaedam capitalia remanent aliquando infructifera, aliorum vero redditus diminuuntur eo quod vix illa investiuntur pro ratione trium cum dimidio aut quatuor pro centenario, cum a principio investiebantur ratione septem pro centenario atque adeo eos fructus non sufficere ad missam quotidianam celebrare faciendam ideoque humilime supplicaverunt suam dominationem illustrissimam et reverendissimam ut, sua auctoritate, dignaretur declarare et interpretare piam intentionem huiusmodi dispositionis eiusque onera ad vires reddituum annuorum reducere, exhibentes testamentum praedicti reverendi Carlozzi autenticum nec non summam fructuum haereditatis et donationis praedictae, desumptam ex libris commissariae praedictae autenticatam a domino Petro Novello notario sub hac die et infra repositam sub littera M. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, supplicationi supra expositae benigne annuens, viso et lecto testamento praedicti reverendi Carlozzi, a suprascriptis commissariis exhibito et eisdem restituto, viso monte fructuum dependentium a pia dispositione eiusdem, in quo apparent quatuor capitalia adhuc esse iacentia et non investita, considerata intentione testatoris, qui tot missas voluit celebrandas quot ex redditibus celebrari possent, consideratis considerandis, eiusdem piam dispositionem interpretando ac omni **|189^{v}|** meliori modo et cetera, declaravit ac decretavit ut, ex fructibus omnibus dependentibus tum a testamento tum a donatione – satisfacto onere olii aliisque impensis neccessario occurrentibus – tot missae a cappellano electo a vicinia terrae Cisani celebrentur quot iuxta vires reddituum celebrari poterunt, cum proportione aeleaemosynae manualis triginta solidorum pro quaque missa, ita tamen ut, si non potuerit cappellanus missis celebrandis satisfacere, ab alio vel ab aliis sacerdotibus celebrari faciat, ad hoc ut singulis annis redditus omnes impendantur ad faciendas celebrari missas iuxta voluntatem praedicti reverendi Carlozzi, monens eos ut quantocitius curent investiri capitalia iacentia et ita et cetera, omni et cetera. Ordinata. Exequatur ordinatio facta in visitatione anni 1711 de vestiendo intus tabernaculo panno serico albo et de fanalibus providendis – amoveatur reliquia sanctae Crucis quae est in custodia superiori supra Sacramentum et alias in loco decenti transferatur – eradantur herbae a coemeterio, comburantur earumque cineres in eo spargantur. Iisque absolutis, iter agressus est ad parochialem ecclesiam versus, ad quam perventus illustrissimus et reverendissimus praesul, comitatus ab abmodum reverendo domino praeposito, clero aliisque loci principalioribus, **|190|** missam in eadem parochiali ecclesia celebravit ac nonnullos utriusque sexus christifideles sacra Eucharistia cibavit atque aliis Confirmationis sacramentum ministravit. Ad aedes subinde suae ressidentiae restitutus, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 21 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, in cubiculo suae ressidentiae ut ante sibi paratae, una cum reverendissimo domino provicario suo generali pro tribunali sedit, coram quo de suo mandato vocati comparuerunt: admodum reverendus dominus Matthaeus Albertini, praepositus huius parochialis ecclesiae, ad quam fuit institutus die 12 iulii 1735 tamquam praesentatus ab hac spectabili communitate, qui obtulit, una cum litteris suae institutionis, libros parochiales, scilicet matrimoniorum, baptizatorum, mortuorum, status animarum ac congregationum nec non mandatum vicariae foraneae, ad sui favorem relaxatum die 22 decembris 1735 et interrogatus an in hac paroecia adsint usurarii, concubinarii, scandalosi aut alii publici peccarores. respondit divina favente gratia nullos huiusmodi esse. Interrogatus an ecclesiastici iuxta eorum institutum religiose vivant, respondit suis officiis non deese et omnes religiose vivere. Reverendus dominus Carolus Baronio, sacerdos aetatis annorum 37 circiter, rector **|190^{v}|** beneficii Decolationis sancti Ioannis Baptistae in hac parochiali ecclesia, cum onere coadiuvandi in cura animarum huius loci, qui obtulit bullas huius curiae episcopalis diei 27 novembris 1733. Reverendus dominus Hieronymus Mazzoldi, sacerdos aetatis annorum 51 circiter, rector beneficii Sanctorum Felicis et Adaucti in hac ecclesia parochiali, cum onere coadiuvandi in cura animarum huius loci et ostendit bullas huius curiae episcopalis diei 28 septembris 1735. Reverendus

dominus Christophorus Gallina, sacerdos aetatis annorum 58 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 24 decembris 1742. Reverendus dominus Ioannes Baptista Poli, sacerdos aetatis annorum 65 circiter. Reverendus dominus Ioseph Mazzoldi, sacerdos aetatis annorum 57 circiter. Reverendus dominus Hieronymus Cominelli, sacerdos aetatis annorum 56 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 10 iunii 1741. Reverendus dominus Ioseph Tirandi, sacerdos aetatis annorum 57 circiter. Reverendus dominus Hieronymus Fiorentini, sacerdos aetatis annorum 48 circiter. Reverendus dominus Ioseph Tobanelli, sacerdos aetatis annorum 83 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 16 augusti 1742. Reverendus dominus Franciscus Bertazzi, sacerdos aetatis annorum 71 circiter. Reverendus dominus Antonius Bariletti, sacerdos annorum 67 circiter. Reverendus dominus Stephanus Navoni, sacerdos annorum 36 circiter. Reverendus dominus Sebastianus Fiorentini, sacerdos annorum 28 circiter. |**191**| Reverendus dominus Fabius Cugini, sacerdos aetatis annorum 70 circiter. Reverendus dominus Ioseph Bonazzi, sacerdos aetatis annorum 27 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Micheli, sacerdos aetatis annorum 38 circiter. Reverendus dominus Iacobus Cugini, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Reverendus dominus Ioseph Cominelli, sacerdos aetatis annorum 37 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 30 octobris 1742. Reverendus dominus Marcus Cominelli, sacerdos aetatis annorum 75 circiter, qui sua mandata obtulit medio suprascripti reverendi domini Iosephi Cominelli eius nepotis. Reverendus dominus Iacobus Tirandi, sacerdos aetatis annorum 72 circiter. Reverendus dominus Carolus Cugino, sacerdos aetatis annorum 43 circiter. Reverendus dominus Carolus Roberti, sacerdos aetatis annorum 36 circiter. Reverendus dominus Pompeus Dugazzi, sacerdos aetatis annorum 25 circiter. Venerabilis clericus Hieronymus Poli, subdiaconus aetatis annorum 22 circiter. Clericus Livius Mazzoldi, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 22 circiter. Clericus Ioannes Dusi, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 24 circiter. Clericus Augustinus Albertini, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 20 circiter. Clericus Petrus Bellini non comparuit, eo quod deputatus fuit servitio ecclesiae parochialis Portesii, ubi sua mandata exhibuit. |**191^{v}**| Qui omnes, clerico Bellino excepto, eorum mandata ordinum respective et ad curam animarum debito obsequio illustrissimo et reverendissimo praesuli obtulerunt. Comparuerunt successive domini sindicus et electi huius loci, qui interrogati de vita, moribus ac diligentia in proprio munere fungendo reverendi praepositi de vita, moribus et honestate ecclesiasticorum et utrum in hac paroecia adsint usurarii, scandalosi, concubinarii vel alii publici peccatores, responderunt reverendum praepositum summa vigilantia partes sui officii exercere, ecclesiasticos omnes honestam vitam ducere nullumque – Dei gratia – existere usurarium, concubinarium, scandalosum aut publicum peccatorem et cetera. Successive reverendus Ioannes Baptista Micheli praesentavit tabellam obligationum reverendae ressidentiae huius ecclesiae nec non librum magistrum capitalium eiusdem ressidentiae; super qua praesentatione interrogatus num in praedicta tabella omnes descriptae sint obligationes ac utrum obligationes quibus obnoxia est residentia ita adimpleantur ut a piis testatoribus vel institutoribus ordinatum fuit, respondit praeter obligationes descriptas in eadem tabella aliquas etiam alias esse, quae sunt adimplendae a praedicta reverenda ressidentia, sed omnium obligationum rationem reddere ipsum non posse, cum in praecitato libro non ita distincte descriptae sint; quare iuxta consuetudinem potius adimplentur quam ex |**192**| cognitione respectivarum institutionum eorumdem obligationum, quin immo suspicari ipsam ressidentiam ferre quaedam onera, quamvis sufficientes fructus non percipiat ad ipsa onera subeunda. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit praedictum reverendum Micheli praessidentem, et monitos etiam voluit omnes ressidentes, ut quam primum, diligentia adhibita, investigent institutionem cuiuscumque obligationis, separent capitalia et fructus cuicumque obligationi obnoxios, ut quatenus sufficiant iisdem oneribus adimpleatur; quatenus vero non sufficiant, supplicetur prout occurret et fieri poterit ut onera ipsa moderentur et reducantur; quibus actis describantur iterum obligationes distinctim in nova tabella, semper servanda in sacristia, quae omnia in virtute sanctae obedientiae quam primum exequenda mandavit, onerans conscientiam omnium et singulorum ressidentium qui in die districti iudicii Dei rationem erunt reddituri et ita et cetera, omni et cetera. Admodum reverendus praepositus, parendo mandatis, obtulit policeas, quas ego notarius recepi et in fine huius libri reposui sub littera M. His omnibus peractis, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in proprio cubiculo se recepit, in quo incoenatus pernoctavit. |**192^{v}**| Die mercurii 22 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad antedictam parochialem ecclesiam petiit et post missae celebrationem aliquot utriusque sexus christifideles communicavit aliosque sacro Chrismate linivit. Visitavit subinde chorum, in quo vidit iconem altaris maioris in prospectu eiusdem nec non sedilia, bene disposita, in quibus conveniunt reverendi ressidentes ad horas canonicas persolvendas et, cum intollerabilem odorem circa chorum et altare maius sensisset, interrogavit unde id procederet; cumque

cognovisset retro sedilia ex loco campanilis odorem difundi, locum ipsum adivit viditque cum stupore et stomaco ibidem latrinam fere publicam factam esse, quo conveniunt omnes ad immunditias effundendas; quapropter reprehendit eos ad quos spectat ecclesiam et ecclesiae partes, ut fas est, mundas servare illis exprobrando contemptum quem aut comittunt aut comitti patiuntur in loco sacro et in domo Dei ac prohibuit ne quisquam deinceps mingeret aut sordes e corpore egeret in eodem loco, sub pena ecclesiasticis ipso facto suspensionis a divinis, laicis vero excommunicationis latae sententiae sibi suoque vicario generali et vicario foraneo resservatae. Vidit in campanile quatuor campanas extare collocatas. |**193**| Visitavit subinde sacristiam et in ea vidit armaria in quibus servantur vasa sacra et apparamenta descripta in inventario exhibito et in fine huius libri reposito sub littera M, quae visitavit et de quibus bene provisum esse invenit. Visitavit denique totam ecclesiam, quae modo reaedificatur et consurgunt iam muri in eius parte anteriori et est consecrata, cuius consecrationis anniversaria dies collitur 19 novembris viditque in ea organum et suggestum, in quo concionatur singulis diebus festis, feriis secunda, quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae tempore Quadragesimae, cum mandato et benedictione episcopali et concionator eligitur ab admodum reverendo domino praeposito, cui erogat stipem tronorum septuaginta seu octuaginta parvorum. Haec parochialis ecclesia, dicata divis Felici et Adaucto, est de iure patronatus eligendi et praesentandi huius spectabilis communitatis, a qua manutenetur et reverendus praepositus electus instituitur et confirmatur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi. Quibus absolutis, ad aedes praefatas se restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 22 maii 1743 post prandium. Coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo antedicto vocatae comparuerunt Catharina relicta quondam Dominici Tonoli, Dominica relicta quondam Innocentii Tobanelli et Catharina relicta quondam Francisci Contarelli, omnes obstetrices huius paroeciae quae, examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, |**193**^{v}| se optime instructas esse ostenderunt. Illustrissimus et reverendissimus praesul, cum ex libris et ex capitulis a reverendo domino praesside ressidentiae oblatis cognovisset leges quibus ressidentia ipsa constituta fuit et obligationes quasdam qua ipsa tenetur habitisque super his informationibus a fide dignis testibus, iterum monuit reverendos ressidentes de iis de quibus heri monuit praedictum reverendum dominum praessidentem circa easdem obligationes ac deinde, ut ressidentiae ordini consuleret aliisque ut opportunum ac comodius pro divino cultu existimavit, decretum edidit tenoris sequentis, videlicet. Decretum. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens, dilectis nobis in Christo admodum reverendo praeposito, rectoribus, ressidentibus et clero paroeciae Sancti Felicis salutem et cetera. Ut commissum nobis gregem cognosceremus, hanc pastoralem visitationem suscepimus, nostris oculis quae sit huius populi indoles, pietas ac religio spectare per hosce dies quibus eorumdem visitavimus concessum nobis est. Cognovimus ipsum divino cultui addictissimum abhorrere ab omni scandalo ac obedire praeceptis ecclesiae. Quod non modo ex singulorum indole ac ingenio, sed praesertim ex cura parochi et sacerdotum eius coadiutorum nec non bonis ecclesiasticorum omnium exemplis, quibus maxime populus ad bene religioseque vivendum excitatur derrivasse nobis |**194**| compertum est. Quapropter summa consolatione animus noster affectus est vosque, o venerabiles Christi sacerdotes, qui honeste vivendo ac populum ipsum instruendo, caeteris praelucetis, gaudium meum ac coronam meam merito appellare possum. At ne quid vestro officio ac cultui divino defficiat, vos monere et hortari peropportunum censemus, ut studiosius ac sanctius divinam psalmodiam in choro persolvatis. Praecessores nostri, ac in primis Ioannes Matthaeus Gibertus, in eius constitutionibus titulo secundo vos docuit qua devotione animique et corporis dispositione ad chorum accedere, in eo commorari et exinde regredi debeatis; leges vobis circa ressidentiam vestram peragendam aptissimas vestro institutui traddidit Albertus Valerius. Illis obedire vestrum erit ac praesertim quoad punctatoris officium, qui suum iuramentum, ut in ipsis constitutum fuit, praestare tenetur. Cavete igitur ne, dum divinas laudes in choro persolvitis, aliquid a vobis fiat aut gestu aut vultu aut corporis habitu quod gravitati et sanctitati huius actus non conveniat. Cavete etiam ne arbitrio vestro horas canonicas aut missas extra constituta tempora celebretis. Quod ne aliquando accidat, decernimus et praecipimus ut omnino servetur ordo in capitulis ab eodem Alberto Valerio vobis praescriptis constitutus; declarantes ut matutinum mane semper dicatur, nisi aliquando ressidentes, aliqua impediti sacra functione, ea hora recitare illud |**194**^{v}| non possent, quo eventu transferri posset ad praecedentem diem, sed numquam ante horam vigesimam primam tempore aestivo et vigesimam secundam tempore hyemali. Caeterae horae suis temporibus recitentur et praessidis ressidentiae officium erit constituere tempus quo pulsentur campanae pro convocandis ressidentibus ad chorum ac nulli ex his sibi huiusmodi officium arrogare fas erit. Punctator autem cognoscet utrum suo tempore pulsentur campanae et, si quando praeses non iuxta capitula sed suo arbitrio illae ut pulsentur iusserit, duobus punctis praessidem ipsum punctabit. Cognoscet etiam et solerter attendet num

modeste ac devote ressidentes in choro se gesserint, num divinum officium eadem devotione sine interruptione, sine strepitu, non praepropere sed iuxta praescriptos ab ecclesia ritus recitent ita ut, si aliquem in his deficere viderit, punctabit uno puncto pro prima vice, pro secunda vero duobus punctis et sic deinceps. Ressidentes missas iuxta intentionem Alberti Valerii per turnum celebrabunt, ita tamen ut populi commodum in ipsis distribuendis praecipue spectetur. Itaque a praesside cum praeposito simul earum distributio fiet et, si quis ressidentium tempore sibi constituto celebrare renuerit, punctabitur ut in iisdem capitulis. Praepositus, tamquam caput ecclesiae, praeter superpelliceum stolla etiam ornatus in choro et in praecipuo loco sedebit, quo habitu illi non convenit lectiones |**195**| aut versicula decantare. Ut vero divinae psalmodiae celebratio populo quoque aedificationi vertat, decernimus ut cum cantu gregoriano suo loco et tempore peragatur ac deinceps nemo inter ressidentes cooptetur qui cantum ipsum non caleat. Quapropter statuimus ut, antequam aliquis inter ressidentes adscribatur, coram vicario nostro generali constituatur ad hoc ut eius peritia, hoc praesente, in eo cantu experiri possit, ne fortasse humano favore aut ressidentium conniventia potius quam eius merito ad hoc officium promoveatur, nisi ad hoc in aliquo casu dispensari nobis videbitur. Ut piarum voluntatum dispositiones exequantur, etiam atque etiam comendamus, monentes iterum de iis, de quibus heri praeses a nobis monitus est. Sacristam tandem hortamur, atque illi praecipimus, ut suo officio sedulam operam impendat, iuxta ea quae vel a praecessoribus nostris decreta sunt, vel pie a spectabili communitate illi iniunctum est. In id praesertim incumbet ut iuxta turnum et ordinem constitutum missae celebrentur, ut suppellectiles omnes nitide ac ornate paratae sint, ut in sacristia nulla colloquia fiant ac praesertim ab ecclesiasticis. Sciat vero se se rediturum de suo huiusmodi officio ante tribunal Christi rationem, si praesertim, stipendio accepto suaque opera promissa, abfuerit a sacristia, aut in ea adimplenda negligentem se se praebuerit. De his vos, filii carissimi, monere opere praetium putavimus; nam nihil est in hac |**195ᵛ**| vita – et maxime hoc tempore – facilius, levius, ut plurimis videtur praesbyteri officio si perfunctorie aut audulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserabilius et damnabilius atque adeo difficilius, laboriosius, periculosius eodem praesbyteri officio, ut olim ex sancto Augustino monuit clerum veronensem Ioannes Matthaeus Gibertus, optimus episcopus praedecessor noster. Vos autem, qui bona indole moribusque ornatos vosmetipsos nobis praebuistis, voluntati nostrae obedientes futuros speramus. At, ne quis fortasse haec nostra monita contemnat, admodum reverendum dominum Mathaeum Albertinum, praepositum atque vicarium foraneum speciali nostri mandato delegamus, ut attendat, admoneat, atque praesit ut hac omnia exequantur atque etiam ut omnes sacerdotes confessarii superpelliceo et stola induti, quod iuxta sacros ritus faciendum praecipimus, confessiones in ecclesia audiant. Si quis vero eius monitis non paruerit aut illum a nobis ad haec specialiter deputatum contempserit, conscientiam eiusdem praepositi oneramus ut certiores nos de innobedientis contumacia faciat, processuros contra illum poenis canonicis. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastorali nostra visitatione Sancti Felicis Riperiae die 22 maii anno 1743. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius et cetera.

His actis, ad ecclesiam parochialem se contulit ibique genuflexus |**196**| ante divinum Sacramentum preces fudit ac deinde ad altare maius petiit et ibidem sedens in throno, praesentibus reverendo praeposito, rectoribus ressidentibus, clero et populo, decretum supra descriptum mihi notario publicandum mandavit; quo a me publicato, ipsius exemplar tradendum iussit reverendo domino praeposito, ut sub eius oculis et totius cleri illud existeret. Posthaec oravit pro defunctis ac demum, factis sequentibus ordinationibus, visitationem parochialis ecclesiae, cleri et populi Sancti Felicis absolvit. Ordinata. Custodia oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violaceo – vascula maiora stamnea aptentur suis operculis ad formam cocleae – fons baptismalis per modum provisionis transferatur in cappellam sanctissimi Sacramenti, ita tamen ut, meliori modo quo fieri possit, tutus sit et serventur ritus quoad eius provisionalem collocationem; cum vero in suum proprium locum transferetur, fons ipse novus construatur, cancellis muniatur et sera clavique claudatur et supra ipsum novum quoque ciborium aedificetur, cum conopeo a quo cooperiatur – confessionali iuxta ianuam ecclesiae a parte evangelii ponantur crates lateae cum foraminibus minutioribus et crates ligneae removeantur ac interim illud suspendit donec et cetera - |**196ᵛ**| confessionali ex altera parte ipsius portae novae crates lateae cum foraminibus minutioribus ponantur – confessionali prope altare sancti Leonardi removeatur crates ligneae et aptetur latea cum minutioribus foraminibus et interim illud suspendit donec et coetera – ubi opus est, confessionalibus aptetur aliqua devota imago ex parte poenitentium – exequantur odinationes visitationis anni 1711 de portatili altaris sanctae Mariae ad Nives, reducendo cominus ad pectus celebrantis – de claudendo altari a lateribus intra trimestre, quo elapso, si executum non fuerit, suspensum sit altare ipsum, prout illud suspensum nuc pro tunc declaravit – gradus a candelabris ipsius altaris removeatur prope et iuxta iconem – exequantur ordinationes visitationis anno 1711 de claudendo altari sancti Ioannis decolati a lateribus et de pulvinaribus decentioribus providendis – ordinatio in

visitatione anni 1711 exequatur, de claudendo scilicet altari sanctissimi Rosarii a lateribus, termino trium mensius, quo elapso, si executum non fuerit, suspensum sit altare ipsum, prout illud nunc pro tunc suspensum declaravit – portatile altaris sancti Rocchi paulisper elevetur et altare idem a lateribus claudatur – obturentur rimulae portatilis in altari beatae Virginis Mariae - |**197**| in libro status animarum singillatim describantur nomina omnium parochianorum eorumque aetas et notentur aliquo signo intelligibili qui sunt confirmati, qui communionis capaces – fiat novus liber congregationum in folio et in eo describantur casus a cancellario et eorumdem casuum decisiones, praecipuis rationibus vel auctoritatibus munitae et in eo describantur etiam acta congregationum ipsarum, cum nominibus interessentium. Egressus ex ecclesia, eodem ordine comitatus quo exceptus fuit in finibus Sancti Felicis, versus plebem Manerbae iter direxit, ad cuius fines iterum et admodum reverendi praepositi et nobilis ac excellentis domini Iosephi Cominelli, communitatis nomine, osequii ac venerationis plurima argumenta benigne suscepit iisque cum pastorali benedictione dimissis, fines Sancti Felicis transcendit ac ibidem, ab excellenti domino Gaspare Ottini, communitatis Manerbae, de adventu illustrissimi et reverendissimi praesulis gaudium declaravit eique omne obsequium pollicitus est ac obtulit cui, cum assueta humanitate respondisset illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes, iter prosecutus est propius plebem ipsam ac illi occurrit admodum reverendus dominus Michael Chincarini, archipraesbyter eiusdem plebis, una cum suo clero, omnes supercepelliceis ornati, a quibus humili veneratione salutatus, tandem in aedes parochiales se recepit ac ibidem incoenatus obdormivit.

|**197**v| [A margine: MANERBA] Die iovis, festo Ascensionis Domini, 23 maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, omnibus in ecclesia paratis convocatoque frequenti populo, descendit; ad portas aedium parochialium ac ibidem consueto ritu cruce veneratus et deosculata est et, canente clero psalmum *Benedictus*, ecclesiam parochialem ingreditur, ubi de more servatis pontificalibus ritibus et adorato divino Sacramento, pro defunctis in eadem ecclesia et coemeterio, quod visitavit, preces fudit ac postea visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in tabernaculo ligneo inaurato, in pixide argentea in cupa, in pede cuprea servatum, quod tabernaculum sera et clavi, quae est argentea, munitum est. Interrogatus subinde dominus archipraesbyter, respondit hoc Sacramentum statutis temporibus renovare; sub hac cura animas a communione 850, in totum vero 1245, ex quibus unum tantum extare inconfessum, cuius salus Deo optimo maximo est comendanda; schedas in Paschate communicatis distribuere ac colligere; cum ad infirmos est deferendum hoc Sacramentum, decenter associari, pro qua associatione extant sacrae suppellectiles, de quibus providet societas ipsius augustissimi Sacramenti; in sero dari signa, indulgentias associantibus concessas publicare; cum hoc ipso Sacramento processiones fieri in die Corporis Domini ac in die octava eiusdem solemnitatis; expositionem fieri prima quaque et tertia |**198**| dominica mensis a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris, semper de mane. Vidit ostensorium argenteum radiatum et aliam parvam pixidem pro illo deferendo ad infirmos. Quamplures subinde utriusque sexus christifideles hoc eucharistico Pane refecit populoque eodem Sacramento benedixit; quo reposito, sacrosanctum missae sacrificium celebravit ac nonnullis etiam christifidelibus utriusque sexus idem divinum Sacramentum ministravit. Dimissis indumentis sacerdotalibus, visitavit olea sancta, in capsula ex nuce in vasculis maioribus argenteis, quae mittuntur ad cathedralem ad excipienda eadem olea sancta et plebs ipsa providet de oleis sanctis parochiales ecclesias Soiani, Monicae, Puveniaci, Sancti Felicis et Polpenatiarum, filiales huius plebis. Vidit vascula stamnea cum oleis Chrismatis, cathecumenorum ac infirmorum, male tenta, omnia servata in loculo a cornu evangelii altaris maioris ad id parato. Vidit quoque vasculum pro oleo infirmorum apud reverendum curatum servatum, quod est argenteum, positum in altero maiori vasculo quoque argenteo. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula rastris ferreis clausa, sera et clavi munita. Vidit quatuor confessionalia, in ecclesia disposita ad excipiendas sacramentales christifidelium confessiones. |**198v**| Visitavit subinde altare maius cum mensa marmorea consecrata, in reliquis ex ligno versicolorum constructum, in quo sunt imagines sub crystallis ex ligno sculptae: in medio beatae Virginis Mariae, a lateribus sanctorum Petri et Pauli apostolorum. Hoc altare manutenetur pro duobus tertiis a communitate Manerbae et pro altero a domino archipraesbytero, ut fuit assertum, a quo manutenetur de cereis et de oleo pro lampade, excepto in solemnitate Corporis Domini, quo tempore exhibet cereos societas eiusdem Corporis Christi. In hoc altari celebrantur – ut apparet ex praecedenti visitatione ani 1711 – missae novemdecim, ex obligatione qua tenetur terra Gardumi, a qua erogatur pro his stipendium reverendo domino Marco Gasparini, qui adimplet. Dominus archipraesbyter celebrat in hoc ipso altari et diebus festis applicat pro populo. Altare sancti Stephani, cum mensa marmorea cum portatili, in reliquis ex gypso elaboratum, cum imagine eiusdem sancti Stephani, ex gypso quoque constructa. In hoc altari, ex visitatione anni 1711, apparet esse officiaturam cum bullis episcopalibus et cum obligatione ut infrascripta visitatione, quae officiatura

modo exercetur a reverendo domino Iacobo Amonte, asserto electo a commissariis, sed sine bullis episcopalibus; quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mandavit eidem reverendo Amonte, ibidem praesenti, ut doceat termino duorum dierum de eius legitima electione |**199**| et confirmatione, aliter ipse deveniet ad canonicam institutionem alterius sacerdotis. Visitavit altare Corporis Christi, in mensa marmoreum cum portatili super murum constructa, cum icone depicto ibique est custodia pro asservando sanctissimo Sacramento in maiori hebdomada. Hic est societas sanctissimi Sacramenti, canonice ab Augustino Valerio cardinali episcopo veronensi die 30 aprilis 1566 errecta, a quo eius capitula approbata fuerunt, ut apparet ex libro autentico eorumdem capitulorum et ex autentica approbatione ut supra exhibita, visa et restituta, quae societas aggregata fuit archiconfraternitati de Urbe die 18 augusti 1607, ut constat ex memoria descripta in antiquo libro eiusdem societatis, viso, lecto et restituto et haec eadem societas a Clemente papa XII dotata fuit plurimis indulgentiis, ut ex eius bulla diei 7 septembris 1738. Societas haec anno 1725 possidebat capitalia in summa tronorum 5288.19.3, ex quibus percipiebatur fructus tronorum 265.17.11, sed ex attestatione ac pietate domini Angeli Avigo, ad praesens prioris huius societatis, capitalia aucta sunt ad summam tronorum 7716.8.6, ex quibus percipitur fructus tronorum 341.7.5, ut constat ex computo producto et in fine huius libri posito sub littera N, qui redditus impenduntur omnes in honorem sanctissimi sacramenti Eucharistiae et in ornando hoc altari. |**199**^{v}| Altare sancti Rocchi, cum mensa marmorea cum portatili et icone depicto ab excellenti pictore, in cuius calce apparet sequens inscriptio: “Deiparae Virgini, sanctis Sebastiano, Rocco atque Siro et Savino, suis divis tutelaribus, minervenses unanimes hanc iconam non humano artificio exculptam ex voto dicarunt anno a partu Virginis 1588. Archipraesbytero reverendo domino Iacobo Berteloni minervensi et spectabili domino Dominico Bertino consule”. Huic altari quondam Antonius Gianella huius loci reliquit legatum missae quotidianae in eius testamento 20 augusti 1630; quod onus moderatum fuit apostolica auctoritate a Sebastiano Pisano, episcopo veronensi, die 18 decembris 1686 ad missas sexaginta feriales et ad alias missas celebrandas diebus dominicis totius anni, ut constat ex actu reductionis praedictae autentico, exhibito, lecto et restituto, quod onus adimpletur per reverendum dominum Antonium Gianella, vocatus a testatore; nam, deficientibus sacerdotibus et haeredibus eius familiae, communitas Manerbae succedit in iure eligendi, ut assertum fuit. Alia adest in hoc altari officiatura, relicta – ut fuit assertum – a quondam Iacobo Ziliolo, cum onere celebrandi missas omnibus diebus festis de praecepto et communitas Manerbae habet obligationem celebrari faciendi dictam missam; nunc exercet hanc officiaturam reverendus dominus Paschalis Sacco et accipit stipem a dicta communitate tronorum duorum pro quaque missa. Altare a Pietate, ligneum cum portatili et icone depicto, in |**200**| quo rappresentatur depositio de cruce Domini nostri Iesu Christi. Hoc altare fuit errectum et constructum per haeredes testamentarios quondam reverendi domini Thomae de Mussis, archipraesbyteri huius ecclesiae qui, suo testamento diei 2 iulii 1516 in actis quondam domini Antonii Mariae de Providis de Polpenatii notarii, ibidem viso, lecto et restituto, iussit ut hoc idem altare erigeretur et dotaretur de petiis terrae ibidem descriptis, resservando sibi et consanguineis suis et affinibus ius patronatus, cum onere cappellano ab ipsis eligendo celebrandi quatuor missas per singulas hebdomadas super dicto altari in perpetuum et praecipue in diebus festivis, praeferendo consanguineos, deinde affines. Anno 1727 die 21 novembris onus praedictum, auctoritate ordinaria, a reverendissimo domino Francisco Santilia, vicario generali huius episcopatus, reductum fuit ad tot missas celebrandas quot suppeterent annui redditus bonorum a testatore dessignatorum, cum taxatione aeleaemosinae solidorum viginti quinque pro quaque missa. Cum vero electus fuisset cappellanus huius officiaturae a commissariis seu patronis die 2 decembris 1727, ut constat ex actu ipsius electionis in actis domini Adriani Dugazzi notarii, viso et restituto, reverendus dominus Marcus Gasparini, ipse praesens, humilime suam illustrissimam et reverendissimam dominationem supplicavit ut, sua auctoritate, dignaretur moderari taxatam aeleaemosinam viginti quinque solidorum ad rationem consuetae |**200**^{v}| aeleaemosinae diaecesis veronensis, scilicet soldorum triginta pro quaque missa, praesertim cum testator iussit ut diebus festis praecipuae missae celebrarentur, quod, cum illustrissimus et reverendissimus praesul aequitati consonum cognovisset, sua auctoritate decrevit ut tot missae a cappellano huius officiaturae celebrentur etiam diebus festis iuxta institutionem quot celebrari poterunt habita ratione aeleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque missa, onerans tamen conscientiam praedicti reverendi Gasparini et suorum successorum ut missarum etiam numerus iuxta intentionem testatoris, quoad fieri poterit, augeatur et ita et cetera, omni et cetera. Altare sanctissimi Rosarii, cum mensa marmorea cum portatili, in reliquis ligneo, cum icone depicto, circum quem depicta sunt misteria eiusdem rosarii. Huic altari adnexa est societas ipsius Rosarii, a qua manutenetur et – ut fuit assertum – canonice errecta. Adnexae sunt huic ipso altari obligationes descriptae in praecedenti visitatione anni 1711, sed societas tenetur facere celebrare non semel sed bis in hebdomada, ex legato quondam domini Petri quondam Nadalini Bertini huius

loci, in eius testamento diei 9 iunii 1665 in actis domini Caroli Marchesini notarii, viso, lecto et restituto, in quo reliquit et legavit societati sanctissimi Rosarii bis mille |**201**| libras planeti, cum onere faciendi celebrare missas duas in hebdomada iuxta intentionem ibidem enunciatam, ex quarum fructibus satisfieret cappellanus, cum conditione quod praeferantur descendentes ex domina Anastasia, eius filia et haerede. Ad praesens cappellanus est reverendus dominus Ioannes Angelus Mericus, filius praedictae dominae Anastasiae, qui successit reverendo domino Bernardino Bocchio, cappellano tempore visitationis barbadicae et adimplet oneri missarum duarum in hebdomada. Quibus peractis, ad aedes praedictas reversus est, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 23 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, in ecclesiam parochialem descendit, ubi tres scholae doctrinae christianae convocatae fuerant, schola scilicet Sanctissimae Trinitatis Solaroli, Sancti Bernardi Montinellarum et Raffae, ibique separatis maribus a foeminis ex voluntate illustrissimi et reverendissimi praesulis idem reverendissimus provicarius generalis discipulos praedictarum scholarum diligenter interrogavit eosque satis instructos in rebus religionis christianae idem illustrissimus et reverendissimus antistes cognovit. Exercitio huiusmodi peracto, dimisit eosdem discipulos et vocavit ad se tum sacerdotes tum laicos operarios et officiales praedictarum scholarum, a quibus exhibitos libros respectivos vidit non admodum solertes fuisse sacerdotes in docenda christiana doctrina; |**201**^{v}| dominum vero archipraesbyterum vicarium foraneum interesse convocationibus congregationum doctrinae christianae et eius ex assensu ipsas convocari solere; quapropter ecclesiasticos monuit; laicos vero hortatus est ut in sancto proposito perseverent. [A margine: San Siro] Visitavit subinde oratorium Sancti Siri, positum in coemeterio huius venerabilis plebis Manerbae, ubi est confraternitas disciplinatorum infrascripta, a qua ipsum oratorium manutenetur. In eo unicum est altare, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis ligneum cum icone depicto retro ipsum. Altare habet sua candelabra et tabela ex cupro argento delinito, omnia rite et ornate istructa. Hic est societas sub titulo eiusdem sancti Siri canonice errecta, et aggregata archiconfraternitati sanctissimi Crucifixi de Urbe anno 1689, ut apparet ex diplomate in hac curia episcopli admisso anno 1690 exhibito, viso, et restituto. Confratres huc conveniunt omnibus diebus festis ad recitandum officium beatae Virginis Mariae aliasque orationes persolvendas iuxta eorum institutum et gestant vestem lineam nigri coloris et interveniunt omnibus processionibus quae fiunt in hac plebe. Possidet haec confraternitas capitalia, quorum summa est tronorum 8054; redditus autem sunt tronorum 367.6 ,ex computo exibito a domino Iacobo quondam Andreae priore eiusdem, viso |**202**| et restituto. Ex quo redditu tot missas celebrare facit, quot celebrari possunt ex stipe scutorum triginta sex brixiensium, cum eleaemosina scilicet triginta solidorum pro quaque missa pro oneribus quibus ipsa oneratur ex legatis, prout apparet ex libro foris inscripto “Libro de Censi, e livelli”, ostenso, viso, lecto et restituto. In hoc oratorio a parte epistolae est aedicola rastris ferreis clausa, ubi adsunt imagines sculptae rappresentantes sepulcrum Domini nostri Iesu Christi et, cum advesperasset, ad aedes parochiales reversus est et in proprio cubiculo receptus incoenatus quievit. Die veneris 24 mensis maii 1743. Reverendissimus dominus provicario generalis summo mane, una cum me notario, se cotulit ad visitanda oratoria infrascripta, et primum [a margine: Santissima Trinità in Solarolo] visitavit publicum oratorium Sanctissimae Trinitatis in contrata Solaroli, infra limites parochialis Manerbae, de ratione hoc Oratorium ipsius communitatis Manerbae, a qua manutenetur et in eo quatuor vidit altaria, scilicet: altare maius, in mensa marmoreum cum portatili, palio ex serico, in reliquis ligneum, de ratione ipsius communitatis. In hoc altari dominus archipraesbyter, ex sua voluntate, nulla obligatione adstrictus, celebrat missam qualibet secunda dominica mensis. Altare sancti Ioseph, de ratione praedictae communitatis, in mensa |**202**^{v}| marmoreum cum portatili, palio ex chorio, in reliquis ligneum, cum imagine ex ligno sculpta eiusdem sancti Ioseph. In hoc altari instituta fuit officiatura quotidiana a reverendo domino Iosepho quondam Ludovici Pezzoltini de Salodio, in eius testamento in actis domini Ioannis Amonte, notarii huius loci, diei 31 iulii 1630, in quo institutis haeredibus, in casu ibidem descripto, substituit suorum bonorum haeredem sanctum Montem Pietatis Salodii, cum onere missae quotidianae faciendae celebrari in ecclesia Sanctissimae Trinitatis Manerbae, ad hoc ipsum altare sancti Ioseph a cappellano a gubernatoribus eiusdem sancti Montis eligendo, cum salario scutorum centum de tronis septem pro quoque, declarando praeferendos esse sacerdotes de familia haeredum quondam domini Iacobi Amonte. Ad praesens cappellanus est reverendus dominus Iacobus Amonte tamquam vocatus ab ipso testatore, qui percipit eamdem stipem et adimplet oneri. Vidit et visitavit altare sancti Ioannis evangelistae, de ratione successorum quondam Antonii de Crescinis (qui, in eius testamento diei 28 iunii 1501 in actis domini Angeli de Rubeis notarii, viso et restituto, iussit ut cappella ista Sancti Ioannis aedificaretur) in mensa marmoreum cum portatili perfracto, icone depicto, omnibus ornamentis destitutum, quod ideo suspendit et suspensum declaravit. In hoc altari est onus celebrandi ex dispositione praedicta, |**203**| in qua voluit ut, ex redditibus

bonorum ad hoc relictorum, celebrentur tot missae in hoc ipso altari a sacerdote praesentando a duobus de prosapia Crescini, antiquiorum et habiliorum ad eligendum et praesentandum domino archipraesbytero plebis Manerbae, cui facultatem dedit investiendi more solito electum in hac cappella, cum praelatione favore sacerdotum de Crescinis. Ad praesens redditus huius cappellae sunt minimi et Antonius Crescini, haeres institutoris huius officiaturae, quot annis facit celebrare missas duodecim. Super quibus, stante desolatione huius cappellae, reverendissimus dominus provicarius generalis decrevit ut modo et forma diligenti quot annis a praedicto Crescini, haerede et commissario, dignoscatur quantitas fructuum, detractis oneribus pertinentibus ad dictam cappellam et ipsa quantitas tota impendatur in providendo ipso altari de omnibus neccessariis pro eius ornamento et pro ibidem celebrando sacrificio missae, quibus provisis tot missas celebrare faciat singulis annis quot celebrari poterunt habita ratione aeleaemosinae manualis triginta solidorum pro quaque missa, ita ut omnes redditus impendantur iuxta intentionem piae dispositionis antedictae et ita et cetera, omni et cetera. Altare sancti Nicolai bariensis, cum mensa marmorea cum portatili, in reliquis ligneum, cum icone depicto in quo icone haec est descriptio: “Ex voto communis propter liberationem pestis anno 1567”. |**203**^{v}| In hoc altari instituta fuit officiatura quotidiana a quondam domino Stephano quondam Iacobelli Ferrari de Manerba, in eius testamento diei 6 augusti 1630 in actis domini Francisci Avigo notarii, in quo in casibus ibidem enunciatis substituit haeredem suis haeredibus institutis spectabilem comunitatem Manerbae, ita quod de introitibus percipiendis ex bonis testatoris perpetuis temporibus manutenere debeat unum sacerdotem bonae vocis, condicionis et famae, approbandum a vicinia legitima dicti communis, qui celebret missam quotidie in hoc altari sancti Nicolai in ecclesia Sanctissimae Trinitatis, cum praelatione favore sacerdotum descendentium ex familia de Ferrariis et haeredum Iacobi Amonte; qui tamen sunt approbandi ut supra et cetera. Quamvis appareat ex eodem testamento spectabilem comunitatem esse haeredem, nihilominus, cum ex bonis obnoxiis huic oneri non percipiatur fructus ad praesens nisi in summa librarum 338.13.6, ut apparet ex fide domini Ioannis Baptistae Marchesini, notarii huius comunitatis diei hodiernae, ab ipso exhibita et infra ad litteram N reposita ideoque ab ipsa comunitate multo ab hinc tempore fiunt celebrare tot missae quot iuxta vires eorumdem reddituum celebrari possunt cum aeleaemosina triginta solidorum pro quaque missa, quas celebrat reverendus Iacobus Amonte quondam Francisci. Super quibus reverendissimus dominus provicarius generalis monuit reggentes ipsius communitatis ut eorum conscientiam consulant, |**204**| considerantes communitatem ipsam haeredem fuisse et suscepisse haereditatem cum onere praedicto et ita et cetera, omni et cetera. Vidit confessionale, ibidem positum de consensu et voluntate domini archipraesbyteri. Adest in hac ecclesia suggestum, in quo aliquando, ex consensu eiusdem domini archipraesbyteri, habentur conciones. Exercetur in hac ipsa ecclesia schola doctrinae christianae utriusque sexus, de consensu ipsiusmet domini archipraesbyteri. Visitavit sacristia, et in ea paramenta, de quibus sufficienter provisum invenit. Vidit etiam campanile, in quo unica tantum extat campana. Ordinata. Exequatur ordinatio in visitatione anni 1711 de attolendo parumper portatili altaris maioris, cuius rimulae obturentur – ordinatio in praedicta visitatione anni 1711 exequatur de attolendo quoque portatili altaris sancti Ioseph illiusque rimulae obturentur nec non provideatur de tela cerata – exequatur ordinatio in visitatione anni 1711 de providendo portatili altari sancti Nicolai ad mensuram canonicam et interim altare ipsum suspensum sit – exequantur quoque caeterae ordinationes de pulvinaribus providendis et de melius manutenendo ipso altari – confessionali apponatur pagella casuum resservatorum ex parte |**204**^{v}| confessarii – provideatur de paramento violacei coloris. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Bernardo in Montinele] Visitavit subinde oratorium Sancti Bernardi in terra Montinellarum, de ratione eiusdem terrae, infra limites parochialis Manerbae, in quo tria sunt altaria, scilicet: altare maius, de iure eiusdem terrae, cum mensa marmorea, portatili, palio depicto et in reliquis ligneum. In gradibus huius altaris adest tabernaculum ligneum, inibi positum ad beneplacitum domini archipraesbyteri, quem asseritur delegatum fuisse ad illud benedicendum. Altare sancti Michaelis, de ratione ipsius terrae, cum mensa marmorea, portatili, icone depicto et in reliquis ex gypso elaborato constructum. Altare sancti Rocchi, de ratione ipsius terrae, cum mensa marmorea cum portatili, icone depicto et in reliquis ex gypso aedificatum. In hac ecclesia nonnullae sunt obligationes, pro quibus tenetur vicinia huius terrae et eaedem describuntur in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram N et iuxta consilium sapientis, scilicet excellentis utriusque doctoris domini Seraphini Rotingi salodiensis adimplentur quod est et deinceps iuxta idem consilium utpote pium et prudens adimpleatur mandavit, donec melius de fundamentis aliquarum ex his obligationum dignoscatur. |**205**| Vidit suggestum, in quo aliquando concionatur de licentia domini archipraesbyteri nec non confessionale, in hac ecclesia tentum de assensu ipsius domini archipraesbyteri. In hac ipsa ecclesia instituta fuit officiatura a quondam domino Andrea quondam domini Antonii Toselli, in eius dispositione diei 26 augusti 1620 in actis domini Stephani Manerba notarii, in qua suos haeredes

aggravavit onere faciendi celebrare quinque missas in hebdomada in hac ipsa ecclesia pro anima sua. Haec obligatio reducta fuit auctoritate apostolica ab episcopo veronensi die 25 augusti 1737 ad quinque missas celebrandas singulis duabus hebdomadibus, ut ex actu ipsius reductionis, ibidem viso et restituto. Haeredes modo praedicti Toselli sunt pro medietate heredes quondam Petri Pauli Avigo, qui sunt reverendi domini Antonius Paulus, sacerdotes, Ioannes Baptista et Antonius Avigo et pro altera medietate Ioseph et Iacobus Ottini fratres quondam Sandrini, a quibus in hac ecclesia non fit adimpleri onus praedictum; quapropter reverendissimus dominus provicarius generalis monuit Ioseph Ottini praesentem ut ipse et caeteri haeredes, quibus haec ipsa monitio est significanda, ad hoc ut iuxta piam dispositionem adimplere faciant, rationem redituri ante tribunal Christi in die iudicii, quoties oneri praedicto iuxta voluntatem praedictam non adimpleverint, onerando eorum conscientias ad restitutionem prout et cetera et ita et cetera, omni et cetera. |**205**^{v}| Dominus Vincentius Franzoni quondam Antonii de Manerba, in suo testamento diei 26 decembris 1730 in actis domini Ioannis Baptistae Marchesini notarii, exhibito, viso et restituto, reliquit post usufructum assignatum uxori suae, residuum bonorum suorum ad hoc ut, ex redditu capitalium confectorum ex praedictis residuis suis bonis, tot missae celebrarentur in hac ecclesia Sancti Bernardi pro suffragio animae eius et suorum defunctorum, constituendo commissarios et executores dominos Franciscum Marchesini et Ioannem Baptistam Bertini, cum facultate substituendi alios commissarios post eorum mortem. Elegit ipsum cappellanum reverendum dominum Antonium Franzoni et post ipsum voluit ut praeferantur sacerdotes suae familiae Franzoni; quibus deficientibus, substituit sacerdotes familiae Marchesini et, his omnibus deficientibus, concessit facultatem commissariis faciendi electionem cappellani. Pro quaque missa taxavit eleaemosinam triginta solidorum. Domini Franciscus Marchesini et Ioannes Baptista Bertini commissarii, mortua usufructuaria anno 1739, de bonis venditis subasta perceperunt praecium librarum 4117, ex quo constituerunt capitale, cui addendum erit id quod percipietur ex aliis rebus quae adhuc venditae non fuerunt quaeque sunt modici praetii – ut assertum est – ac interim ex capitali praedicto percipitur fructus librarum 160.2.7, ex quo commissarii faciunt celebrare tot missas per ipsum |**206**| reverendum dominum Antonium Franzoni, a testatore vocatum. Visitavit subinde sacristiam, in cornu evangelii altaris maioris, in quo extat armarium ex nuce et in eo paramenta descripta in inventario exhibito et infra posito ad litteram N et de quibus sufficienter provisum esse invenit. In hac ecclesia exercetur schola doctrinae christianae utriusque sexus, de licentia domini archipraesbyteri viditque in ea organum, recenter instructum. Visitavit denique coemeterium, in quo pro defunctis oravit; deinde se contulit ad locum ubi novum construere coemeterium intendunt homines huius viciniae; habitoque consensum domini archipraesbyteri et sine ullo vel minimo praeiudicio iurium parochialium, locum ipsum visitavit aptumque ad id cognoscens, decrevit quod terra veteris coemeterii huc transferatur, servatis tamen servandis et locum ipsum ad usum coemeterii dicavit eumdemque, servatis ritibus a rituali romano prescriptis, bendixit. Ordinata. Exequatur ordinatio in visitatione anni 1711 de reducendo portatili altaris maioris propius pectus celebrantis intra bimestre, aliter altare ipsum sit suspensum, prout illud nunc pro tunc suspensum declaravit – obturentur rimulae eiusdem portatilis – tabernaculum intus vestiatur panno serico albo **-** |**206**^{v}| rimulae portatilis tam altaris sancti Michaelis quam altaris sancti Rocchi obturentur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giorgio] Visitavit oratorium Sancti Georgii, de ratione communitatis Manerbae, infra limites antedictae plebis, in quo unicum vidit altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in quo est obligatio celebrandi singulis mensibus una missa, ut assertum fuit et huic oneri supplet reverendus dominus Antonius Franzoni. Cum hoc oratorium omnibus neccessariis tam ad ornatum quam ad sacrum faciendum destitutum invenerit et executae non fuerunt ordinationes visitationis anni 1711, ideo illud suspendit et suspensum declaravit, donec decenti forma provideatur et exequantur ea ut supra ab illustrissimo et reverendissimo Barbadico ordinata. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santa Catarina in Gardon] Visitavit publicum oratorium Sanctae Catharinae virginis et martyris, de ratione terrae Garduni, infra limites parochialis Manerbae, in quo extat unicum altare cum mensa marmorea, portatili, icone depicto et in reliquis ex ligno constructum. In hoc altari vicinia huius terrae, ex devotione immemorabili, die quaque dominica celebrare facit unam missam. |**207**| Visitavit sacristiam et in ea paramenta, servata in armariis ligneis, de quibus sufficienter provisum invenit quaeque descripta sunt in policea exhibita et in fine huius libri ad litteram N posita. Vidit campanile, in quo unica tantum est campana nec non coemeterium, in quo pro defunctis oravit. Ordinata. Cooperiatur portatile tela cerata et provideatur de stragula pro cooperiendo icone, ut ordinatum fuit in visitatione anni 1711 – claudatur altare a lateribus – exequantur quoad sacristiam ordinationes visitationis praedictae anni 1711 – suspensae sint duae planetae cum suis manipulis et stolis albi et violacei colorum – exequantur odinationes visitationis anni 1711 de cruce errigenda in coemeterio, de herbis radendis et comburandis – muri ipsius coemeterii restaurentur et attolantur, aliter, elapso quadrimestre et non executum, sit suspensum coemeterium ipsum.

Quibus habitis et cetera. [A margine: San Sivin] Visitavit subinde publicum oratorium Sancti Sevini, infra limites parochialis Manerbae, cum unico altari cum mensa marmorea cum portatili, in reliquis ligneum, de ratione communitatis, a qua manutenetur; in prospectu |**207**^{v}| altaris est sub crystallis imago perantiqua ex ligno sculpta, quae rappresentat ipsum sanctum Sevinum. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo aliquando celebratur ex devotione. Vidit sacristiam constructam, in qua extat armarium ligneum et in eo calicem cum patena. Vidit etiam domum adiacentem pro haeremita, qui est Franciscus Prandelli, qui custodit etiam oratorium Sancti Proculi intra fines huius plebis; vidit campanile, cum unica campanula. Ordinata. Exequatur ordinatio visitationis anni 1711 de ramatis ponendis fenestris in prospectu ecclesiae et ibidem sperae saltem linteae collocentur – fiant paramenta omnium colorum – in sacristia apponatur tabella pro missae praeparatione et appendatur scitula cum suo manutergio – calix cum patena suspensus sit donec inauretur et perpoliatur. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santa Lucia in Balbiana] Visitavit publicum oratorium Sanctae Luciae in contrata Balbianae, infra limites parochialis Manerbae, de ratione eiusdem viciniae, a qua manutenetur. Unicum in eo extat altare, cum mensa marmorea consecrata, in reliquis ex muro est constructum, cum icone |**208**| depicto super murum, in quo rappresentatur Crucifixio Domini nostri Iesu Christi. Adest in hoc altari super gradus custodia lignea, in qua servantur sacrae reliquiae ex ossibus sanctae Luciae virginis et martyris in thecis, altera argentea, ex auricalco altera, sigillis et documentis autenticis munitae, alias approbatae in hac curia episcopali, ostensae, visae et restitutae, quas recognovit et deveneratus est. Huius custodiae claves servantur altera a reverendo domino cappellano actuali huius oratorii, delegato a domino archipraesbytero plebis et, ex eius speciali ordine, altera a consule huius terrae. In hoc altari vicinia huius loci celebrare facit missas centum et octo ex obligatione, cuius praecipua non extat memoria, sed ipsa relevatur ex libris ordinamentorum eiusdem terrae, in quibus describitur huiusmodi obligatio et describuntur etiam redditus pro eadem adimplenda ac praesertim ex libro foris inscripto “Libreto de capitali della terra di Balbiana”. Visitavit sacristiam inibi adnexam et in ea vidit armarium ligneum, in quo servantur paramenta, descripta in policea exhibita et infra posita sub littera N, de quibus sufficienter provisum invenit. Vidit et visitavit coemeterium, in quo pro defunctis oravit. Quibus habitis et cetera. |**208**^{v}| [A margine: Santissimo Nome di Maria] Visitavit denique publicum oratorium sub titulo Sanctissimi Nominis Mariae, de ratione reverendissimi domini Ludovici Glisenti, archipraesbyteri Salodii diaecesis brixiensis eiusque nepotum, errectum auctoritate huius curiae episcopalis, ut ex facultate diei 26 aprilis 1723, visa et restituta. In hoc oratorio unicum est altare cum mensa lignea, portatili et icone depicto, in reliquis ex muro et gypso est elaboratum, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Vidit sacristiam inibi errectam et in ea paramenta et vasa sacra, de quibus rite provisum esse invenit. Quibus habitis et cetera. Interea illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ecclesiam parochialem antedictam se contulit, in qua, Altissimo fusis precibus, sacrosanctum missae sacrifitium peregit; quo absoluto, quamplures utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit ac nonnullis itidem utriusque sexus christifidelibus sacramentum Confirmationis ministravit. Quibus absolutis, ad aedes parochiales reversus, prandium sumpsit et, defatigatus, quieti se tradidit. Die antedicta 24 maii 1743 post prandium. Cum ob continuam pluviam visitationem oratoriorum prosequi non potuisset, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in praedictis aedibus se detinuit et coram eo comparuit reverendus dominus Iacobus Amonte, sacerdos huius loci, in termino monitionis heri sibi factae, in cuius obsequium |**209**| et obedientiam exhibuit fundamentum officiaturae altari sancti Stephani, in hac venerabili plebe institutae a quondam reverendo Batholomaeo filio quondam domini Petri de Avico huius loci, offerens ac ressignans in manibus suae illustrissimae et reverendissimae dominationis testamentum ipsius reverendi Avigo diei 6 octobris 1592 in actis domini Hieronymi Taietti, notarii de Portesio, ex quo apparet institutam et legatam ab ipso fuisse officiaturam amovibilem in praedicto altari, cum onere celebrandi a sacerdote, eligendo per eius haeredes et commissarios vel eorum maiorem partem, missam omnibus diebus festis de praecepto et uno die non feriato in qualibet hebdomada, declarando praeferendos esse sacerdotes de familia et descendentes ex suis haeredibus de Avicis per lineam masculinam ac deinde per lineam foemininam et assignando eidem sacerdoti bona in eodem testamento descripta, quae bona adhuc extare assertum fuit; ex quibus cum pateat huiusmodi officiatura non esse beneficium ecclesiasticum, sed simplex legatum ideoque illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus manutenendum esse declaravit iuxta praedictam dispositionem eumdem reverendum Iacobus Amonte in possessione eiusdem officiaturae eorumque bonorum et ita et cetera, omni et cetera. Et cum sero factum esset, in proprio cubiculo receptus incoenatus obdormivit. |**209**^{v}| Die sabbathi 25 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus ad ecclesiam praedictam rediit et in ea, humili piaque praemissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrifitium obtulit aeterno Patri ac subinde nonnullis utriusque sexus christifidelibus divinum Sacramentum

ministravit ac quamplures utriusque itidem sexus christifideles sacro Chrismate linivit. [A margine: San Giovanni Battista o Santa Maria della Neve in Raffa] Dum haec 66agerentur, reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Ioannis Baptistae seu Sanctae Mariae ad Nives in contrata Raffae, de ratione communitatis Raffae, infra limites parochialis Manerbae, in quo duo extant altaria, scilicet: altare sancti Ioannis Baptistae seu sanctae Mariae ad Nives, de iure eiusdem communitatis Raffae, a qua manutenetur, prout idem oratorium, cum mensa lignea cum portatili, icone depicto et palio ex serico, in reliquis ex gypso constructum. Super gradus a candelabris huius altaris adest tabernaculum mobile ex ligno elaboratum, ibidem positum ex voluntate et arbitrio domini archipraesbyteri plebis Manerbae, in quo tabernaculo non solet reponi Sacramentum nisi in die sancti Ioannis Baptistae, in quo die exponitur idem Sacramentum in hac ecclesia a praefato domino archipraesbytero, a quo cum eo populus benedicitur. |**210**| Celebrantur in hoc altari seu in hac ecclesia missae et solent celebrari diebus festis, ex legato quondam nobilis domini comitis Sebastiani de Lodron, ut constat ex policeis exhibitis et infra positis ad litteram N et huic oneri adimplet reverendus dominus Angelus Leali, cappellanus electus a communitate. In hoc ipso altari vidit sacras reliquias, nempe sacram coxam sancti Vincentii martyris et sacrum crus sancti Victoriani martyris, in duabus capsulis ligneis nigri coloris auro linitis, cum crystallo in parte anteriori repositas, sigillis ac documentis autenticis huius curiae episcopalis diei 10 iunii 1734 munitis, quas ideo recognovit et deveneratus est. Vidit etiam sacram reliquiam ex sacris ossibus sanctorum Innocentium martyrum, in parva theca ex auricalco, in hac curia episcopali approbatam die 13 octobris 1734, sigillo et litteris munitam, quam quoque recognovit et deveneratus est. Omnes suprascriptae sacrae reliquiae custodiuntur in loculis lateralibus supra descripti tabernaculi, quarum claves custodiri mandavit alteram a reverendo cappellano huius ecclesiae, alteram a consule huius communitatis, quas ob id iisdem praesentibus propriis manibus tradidit et consignavit. Altare sanctorum Nazarii et Celsi martyrum, ligneum cum portatili, palio ex serico auro contexto, in reliquis ex gypso constructum, de ratione praedictae communitatis Raffae. In hac ecclesia fuit instituta officiatura sex missarum |**210**^{v}| in hebdomada a quondam reverendo domino Celso Leali quondam domini Gregorii huius loci, in suo testamento diei 20 octobris 1688 in actis domini Petri Re notarii, viso et restituto, in quo tesramento obligavit bona ibidem enunciata et dscripta, concedendo facultatem huic communitati Raffae eligendi cappellanum bonae condicionis, vocis et famae, volens ut praeferantur illi de linea praedicti testatoris, dummodo huiusmodi habuerint conditiones. Nunc cappellanus huius officiaturae est reverendus dominus Iacobus Franceschini, assertus vocatus a testatore, qui accipit ab hac spectabili communitate pro stipe omnes redditus provenientes ex capitalibus retractis ex praetio bonorum relictorum et venditorum et oneri adimplet. Vidit confessionale, in hac ecclesia de licentia domini archipresbyteri tentum. In hac ipsa ecclesia exercetur schola doctrinae christianae utriusque sexus, de qua dictum est supra in visitatione huius scholae in parochiali Manerbae. Vidit sacristiam, in cornu epistolae altaris maioris huius ecclesiae constructam et in ea armarium ex nuce, in quo paramenta servantur et quae descripta sunt in policea exhibita et in fine huius libri ad litteram N posita. Vidit campanile, in quo duae sunt campanae et ibidem observavit abusum quo, nullo habito respectu loci sacri, ibidem latrina fit, ex qua fetor in ecclesiam provenit; quapropter monuit sacerdotes et reggentes communitatis ut caveant ne ibidem abusus huiusmodi |**211**| perseveret, cominando poenas suspensionis et excomunicationis respective. Ordinata. Tabernaculum vestiatur intus panno serico albo et clavis ipsius tabernaculi inauretur – provideatur de tela cerata pro cooperiendo portatili altaris maioris – elevetur paulisper portatile altaris sancti Nazarii – apponatur in sacristia scitula cum manutergio – circum hanc sacristiam excavetur terra, ad hoc ut humiditas non penetret in ipsam et ita effodiatur ut eius profunditas sit inferior pavimento ipsius sacristiae. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giovanni Battista]. Visitavit oratorium publicum Sancti Ioannis Baptistae, de iure communitatis Raffae infra lmtes parochialis Manerbae, quod olim fuit primum oratorium huius loci, antequam aedificaretur oratorium supra visitatum, in quo titulus istius translatus est. Unicum habet altare cum mensa marmorea, portatili et icone depicto, in reliquis ligneum. Nulla inibi est obligatio missarum, sed in eo celebratur aliquando ex devotione. Non adest sacristia neque sunt paramenta, sed ex alia ecclesia deferuntur neccessaria ad sacrifitium celebrandum, quod ter vel quater in anno in suprascripto |**211**^{v}| altari celebratur. Vidit coemeterium adnexum, in quo pro defunctis oravit. Ordinata. Rimulae portatilis obturentur – eradantur herbae a coemeterio, comburentur illarumque cineres in eodem coemeterio spargantur – cancelli in ingressu coemeterii muniatur sera et clavi. Quibus habitis et coetera. [A margine: Sant' Antonio]. Visitavit oratorium publicum Sancti Antonii patavini, in contrata Videlle infra limtes parochialis Manerbae, de iure nobilium dominorum de Maninis salodiensium, in quo unicum vidit altare ligneum, cum portatili, icone depicto et palio ex serico. Vidit sacristiam et in ea vasa sacra et suppellectiles tam ad ornatum altaris quam ad sacrum

faciendum neccessarias, de quibus bene provisum esse invenit. Quibus habitis et coetera. [A margine: San Procolo]. Visitavit denique publicum oratorium Sancti Proculi Manerbae, de ratione ipsius communitatis, in quo unicum est altare, cum mensa marmorea cum portatili, palio ex serico, cum imagine sub crystallis eiusdem sancti Proculi ex ligno sculpta. Nulla adest in hoc oratorio obligatio missarum, sed in eo aliquando celebratur ex devotione. Extat locus pro sacristia, sed paramenta servantur in armario prope altare, ad evitandam humiditatem. |**212**| Hoc idem oratorium constat, ex lapide marmoreo in parietibus eiusdem affixa, aedificatum fuissee anno 1602 et divo Proculo, veronensi episcopo et communitatis patrono, dicatum. Vidit domum contiguam, quam inhabitat haeremita, qui modo est Franciscus Prandeli et custodiam tenet etiam ecclesiae simplicis Sancti Sivini, ut supra dictum est. Ordinata. Provideatur de tabellis, de paramento violacei coloris, de stragula pro cooperienda mensa altaris – altare claudatur a lateribus, mundae semper teneantur mappae, alba, amictus, cingula et purificatoria – fenestrae ecclesiae muniantur cratibus ferreis et speris saltem linteis. Hisce peractis, ad aedes parochiales se restituit. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus, absoluta sacramenti Confirmationis administratione, ad mansionem parochialem regressus prandium sumpsit et parumper obdormivit. Die antedicta 25 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus in aedibus suprascriptis, una cum reverendissimo domino provicario suo generali pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Iacobus Amonte quondam Ioannis Baptistae, sacerdos curatus |**212^{v}**| huius plebis, aetatis annorum 77 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 27 octobris 1742. Reverendus dominus Gelminus Gelmini, sacerdos aetatis annorum 74 circiter. Reverendus dominus Bertinus Bertini, sacerdos annorum 74 circiter. Reverendus dominus Angelus Merici, sacerdos annorum 69 circiter. Reverendus dominus Antonius Amico, sacerdos aetatis annorum 60 circiter. Reverendus dominus Paschalis Sacco, sacerdos annorum 60 circiter. Reverendus dominus Iacobus Amonte quondam Francisci, sacerdos annorum 59 circiter, qui fuit canonice admonitus ut in actis huius offitii. Reverendus dominus Iacobus Gelmini, sacerdos annorum 55 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 27 octobris 1742. Reverendus dominus Antonius Franzoni, sacerdos annorum 46 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 17 octobris 1742. Reverendus dominus Bertinus Bertini, sacerdos aetatis annorum 45 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 27 octobris 1742, cui interdicta fuit facultas excipiendi sacramentales confessiones. Reverendus dominus Angelus Bertini, sacerdos aetatis annorum 36 circiter, qui fuit ad confessiones approbatus. Reverendus dominus Bernardinus Bochio, sacerdos aetatis annorum 34 circiter. Reverendus dominus Franciscus Amonte, filius Ioannis, sacerdos annorum 35 circiter, |**213**| cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 26 februarii 1743. Reverendus dominus Franciscus Amonte, filius Octavii, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Paulus Avigo, sacerdos aetatis annorum 30, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 22 octobris 1742, cui interdicta fuit facultas excipiendi sacramentales confessiones. Reverendus dominus Polidorus Locarni, sacerdos aetatis annorum 28 circiter, qui fuit canonice admonitus. Reverendus dominus Andreas Sandrini, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Franciscus Ottini, sacerdos aetatis annorum 25 circiter, qui fuit canonice admonitus ut in actis huius offitii. Reverendus dominus Antonius Zanelli, sacerdos aetatis annorum 74 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 27 octobris 1742. Reverendus dominus Ioseph Leali, sacerdos aetatis annorum 60 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 27 octobris 1742, cui sublata fuit facultas excipiendi sacramentales confessiones. Reverendus dominus Gregorius Leali, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Marcus Gasparini, sacerdos aetatis annorum 35 circiter. Reverendus dominus Angelus Leali, sacerdos annorum 26 circiter, cum mandato pro cura animarum pro maribus et mulieribus infirmis tantum, dato die 13 novembris 1742. |**213^{v}**| Reverendus dominus Iacobus Franceschini, sacerdos aetatis annorum 42 circiter. Reverendus dominus Iacobus Leali, sacerdos aetatis annorum 26 circiter. Reverendus dominus Franciscus Zanelli, sacerdos annorum 26 circiter. Clericus Ioseph Amonte filius Ioannis, subdiaconus annorum 26 circiter. Clericus Antonius Toselli filius Federici, annorum 23 circiter, in minoribus ordinibus constitutus, cui impositum fuit dimittere vestem clericalem. Clericus Ioannes Antonius Zanelli, filius Bernardini, aetatis annorum 20 circiter, in minoribus ordinibus constitutum. Reverendus dominus Ioannes Antonius Vechi, sacerdos aetatis annorum 37 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 13 septembris 1742, cui interdicta fuit facultas excipiendi sacramentales confessiones. Reverendus dominus Iacobus Leali, sacerdos aetatis annorum 75 circiter: ob eius aetatem et infirmitatem fuit dispensatus. Franciscus Prandelli, haeremita deputatus custodiae ecclesiarum Sancti Proculi et Sancti Sevini, infra limites parochialis Manerbae. Reverendus dominus Ioannes Baptista Rossi: non comparuit, absens – ut fuit assertum – circa quem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus

episcopus, habitis informationibus super relationibus, alias multo ab hinc tempore ad eius aures perventis, de eius scandalosa vita et moribus, decrevit ipsum citandum personaliter vel domi solitae suae habitationis, per quemlibet nuncium etiam curiae saecularis ad comparendum |**214**| coram sua illustrissima et reverendissima dominatione, intra terminum dierum quindecim post eiusdem reverendi Rossi ad eius domicilium redditum, ad audiendum quidquid et cetera; aliter, elapso termino supra assignato et non parito, ex nunc pro tunc illum suspendit a divinis et suspensum esse declaravit et ita et cetera, omni et cetera. Pro cuius decreti executione factum fuit mandatum sequentis tenoris, videlicet: Mandato illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi veronensis, comes et cetera. Citetur reverendus dominus Ioannes Baptista Rossi coram sua illustrissima et reverendissima dominatione ad comparendum intra dies quindecim post eiusdem reverendi Rossi reditum ad eius domicilium, ad audiendum quidquid et cetera; aliter, elapso dicto termino et non parito, sciat ab eodem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo se nunc pro tunc suspensum a divinis esse et ita et cetera, omni et cetera. Confectum die 25 maii 1743 ex pastorali visitatione Manerbae. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius et cetera. Exequatur praedictum (quoad visum et factum?).
Hisce actis, in proprio cubiculo receptus incoenatus obdormivit. Die dominico 26 mensis maii 1743. Retulit Petrus Mizzon, famulus huius terrae Manerbae, intimasse suprascriptum citationis praeceptum reverendo Ioanni Baptistae Rossi domi suae solitae habitationis illudque personaliter relaxasse in manibus Cattharinae Rossi, eiusdem sororis, in signum verae et realis intimationis et ita et cetera. |**114^{v}**| Praesentibus admodum reverendo domino Michaele Chincarini, archipraesbytero Manerbae et Antonio Ruberti quondam Iacobi de dicto loco Manerbae testibus et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, me notario caeterisque suis familiaribus, deputatis huius comunitatis Manerbae, clero et populo, ad ripam lacus Benaci progressus est inibique cymbam ad id paratam conscendit et [a margine: Beata Vergine Maria Addolorata in Belveder] ad oratorium sub invocatione Beatae Virginis Mariae Septem Dolorum, in contrata vulgo *Belveder*, infra limites parochialis Manerbae, iter direxit; quo perventus, ipsum oratorium visitavit; quod, cum felicis recordationis Ioannes Franciscus Barbadicus, veronensis episcopus, in eius visitatione anni 1711 suspenderit cumque omnibus destitutum observasset, interrogavit electos et consulem communitatis Manerbae, de cuius ratione est ipsum oratorium, num providere vellent de neccessariis pro eiusdem cultu et pro missae sacrifitio in eo celebrando, a quibus cum responsum fuisset communitatem admodum gravatam esse pro manutenendis multis altaribus et oratoriis ac ideo vires eius non sufficere ad hoc ipsum restaurandum et manutenendum, praesertim cum in loco remoto a comercio humano iaceat et subiectum furtis nec non constructum ita ut eius medietas sit infra terram, ex quo humidum est semper et suppellectiles sacrae ibidem servari intactae non possint; quibus intellectis ac consideratis, decrevit idem oratorium |**215**| profanandum esse ac demoliendum et, facta ibidem oratione et recitata de more prece beatae Virgini a Doloribus, iussit ut inde res sacrae tollerentur et postea ut altare ipsum destrueretur, quod etiam exequtum fuit. Quo facto, decrevit ut ipsum oratorium demoliretur et eius cementa in usus prophanos unquam converterentur ac in loco ubi extat constructum erigeretur columna et in eius apice crux ferrea, ut locus semper dignoscatur religiosus et a prophanis usibus sit omnino imunis et ita et cetera, omni et cetera. Oratorium Sanctorum Firmi et Rustici, infra limites huius plebis, distulit visitare, sibi resservans cognoscere quid de iure eius, stante quod in postrema visitatione illustrissimi et reverendissimi Barbadici asseratur super illud litem quamdam contestatam esse et archipraesbyter in sua pollicea, exhibita et infra posita ad litteram N, enunciet fratres minores ipsum possidere, iure locationis temporalis eorum conventui factae ab excellentissimo magistratu rationum veterum. Quibus peractis, eadem cymba consensa, ad parochialem ecclesiam reversus sumptisque in ea pontificalibus indumentis servataque forma ritualis romani, prima clericali tonsura insignivit Ioannem Baptistam Roberti, filium Iosephi de Sancto Felice; Michaelem Verzola, filium Deodati de Portesio. Et subinde sacrosanctum missae sacrificium persolvit |**215^{v}**| nonnullosque sacra Eucharistia cibavit ac petentibus sacro Chrismate ministravit. Visitavit postea sacristiam, in qua vidit armaria ex nuce, in quibus servantur paramenta et vasa sacra, descripta in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera N. Vidit campanile totamque ecclesiam, organum et suggestum, in quo tempore quadragesimali, cum mandato et benedictione episcopali, concionatur diebus festis et qualibet sexta feria mensis martii et concionator eligitur ab hac communitate, a qua accipit stipem tronorum centum, in qua tamen compraehenditur onus celebrandi decem missas. Haec ecclesia, tribus constructa navibus, beatae Virgini Mariae dicata, est consecrata, cuius anniversaria consecrationis dies collitur 6 octobris cuiuslibet anni. Hoc beneficium subest iurisdictioni episcopali et confertur per concursum, iuxta formam sacri Concilii tridentini et modo archipraesbyter est reverendus dominus Michael Chincarini, quod obtinuit die 8 novembris 1741, vigore permutationis beneficii Sancti Martini de Poveliano cum hoc factae inter ipsum et reverendum dominum

Bartholomaeum Martini, olim huius plebis archipraesbyterum. |**216**| Hisce peractis, in aedes praefatae parochialis se recepit, in quibus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo vocati comparuerunt domini deputati huius spectabilis comunitatis, qui interrogati ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo de vita, moribus et honestate domini archipraesbyteri eiusque diligentia in proprio munere fungendo nec non de vita, moribus et honestate sacerdotum et clericorum et an adsint in hac plebe usurarii, concubinarii, haeretici vel de haeresi suspecti, scandalosi aut publici peccatores, responderunt universim ecclesiasticos christiane vivere; optandum tamen esse ut omnes et singuli proprium distinguerent caractherem; inter laicos autem nullos cognoscere ita scandalosos ut necesse sit aliquem denunciare. Subinde comparuit admodum reverendus dominus Michael Chincarini, archipraesbyter vicarius foraneus huius plebis, qui obtulit libros parochiales, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum nec non mandatum vicariae foraneae diei 14 iunii 1742 quos illustrissimus et reverndissimus praesul vidit et visitavit ac postea illum interrogavit de vita, moribus et honestate cleri huius comunitatis et an in ea sit aliquis usurarius, concubinarius, scandalosus aut publicus peccator. Respondit – Dei gratia – laicos |**216v**| christiane vivere, sacerdotes vero et clericos esse eorum morum iam suae illustrissimae et reverendissimae dominationi patefactum, a quibus neccessarias sunpsit informationes. His absolutis, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 26 maii 1746 post prandium. Coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo antedicto eiusque reverendissimo domino provicario suo generali, de suo mandato vocata comparuit Iacoba uxor Bernardini Franzoni, obstetrix huius loci, quam examinavit circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis et bene instructam esse invenit. Dominica uxor Laurentii Bocchio, altera obstetrix huiusce communitatisc cum esset in proprio ministerio impedita, non comparuit; attamen dominus archipraesbyter testatus est illam quoque instructam esse circa hoc sacramentum in casibus neccessitatis ministrandum. Vocatus comparuit etiam ille qui supradescriptus fuerat inconfessus et ecclesiae inobediens illumque, cum illustrissimo et reverendissimo antistes pastorali zelo et charitate monuisset ac suasisset, cum lacrimis eidem spopondit quamtotius sua peccata in poenitentiae tribunali detestaturum. His actis, super informationibus in habita visitatione sumptis nec non super iis quae ipse suismet |**217**| occulis vidit ac consideravit, ut abusui et dissidiis inter ecclesiasticos multo abhinc tempore exortis occurreret divinoque cultui et populi aedificationi consuleret, decretum edidit tenoris infrascripti, videlicet. Ioannes Bragadenus, ei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, samctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilectis nobis in Christo reverendis dominis archipraesbytero, sacerdotibus et clericis huius venerabilis plebis Sanctae Mariae de Manerba vallis Tenensis salutem in Domino et cetera. Ad vineam suam visitandam cum aeternus et immensus Dominus nos miserit ut eam electam speciosissimam coleremus, si aliquando ipsam urticae repleverint et operuerint spinae superficiem eius aut vulpes demolitae sint, ut tribulos inde eradicemus ac bona in agro spargeremus semina vulpesque ex eo eliminaremus, omni labore ac studio non pepercimus. In id praecipue hanc praclaram et antiquissimam nostrae diaecesis plebem visitantes incubuimus, cuius et frequentissimus est populus cuique multus adscriptus est clerus. Utinam cordis nostri latebras inspicere omnes potuissent, ut qua dilectione a nobis, qui animam nostram pro illis sumus daturi, in Christo Iesu diligantur poenitus cognoscerent. Arguimus, obsecravimus, increpavimus in omni patientia, ut omnes id unum saperent et amarent, Deum scilicet et Christum Iesum |**217v**| eius filium atque uno spiritu viverent. Sed, dum sumus discessuri, merito timendum nobis est ne superveniat inimicus homo et zizaniam in hunc ipsum a nobis excultum agrum immittat. Quapropter vos, huius plebis venerabiles sacerdotes, qui nostri ministerii participes et coadiutores estis, oramus atque obtestamur ut, bonorum operum exemplo et sana doctrina, fratres nostros in sanctitate et charitate confirmetis. Sit sermo vester purus ac simplex; si quis loquitur, sermones Dei loquatur; ab omni verbo otioso prorsus cavete. Sit decens habitus forma, uti, praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, alias praecepimus; gestus incessusque ac totius corporis compositio gravis. Abstinete vos non modo a saeculi vana conversatione, sed ab omni specie mali, sicut decet sanctos. Ut vero omnia in charitate a vobis fiant et in ipsa ordinata perseverent ex quo populo aedificationi et divini culutus augmento sitis, statuimus ac decernimus ut missae a sacerdotibus in plebe ita celebrentur ut ab admodum reverendo domino achipraesbytero pro tempore earum ordo disponatur. Sacrifitium ipsum sacrosanctum ut in albo vino perficiatur nolumus; si ille vero qui illum suppeditare tenetur rubrum pro albo praestabit, poenis canonicis eius avaritia cohercebitur. Nullus sacerdos sine veste talari ad altare accedat |**218**| sacrifitium oblaturus tam in hac ecclesia parochiali quam in aliis eidem subiectis aut palam in confessionalibus confessiones audiat, quae etiam cum superpelliceo et stola sunt auduendae. Si quis autem veste non talari indutus ea peregerit, sit a divinis ipso facto suspensus. Nemo ex vobis audeat, veluti primos recubitus inter invitatos affectans se se in officium diaconi, subdiaconi aut aliud huiusmodi intrudere,

nisi ab archipraesbytero ad id deligatur aut vocetur, ad quem electio ista spectat eamque spectare declaramus. Emolumenta funeralium ita participare omnes statuimus ut post archipraesbyterum et curatum vel curatos prima loca habeant primique vocandi sint qui, confessarii munus exercentes, ipsum archipraesbyterum in cura animarum coadiuvant et inter ipsos praeferantur qui primi id munus exercendum obtinuerint. Caeteri autem praesbyteri postea per turnum participent, sed illi tantum qui ecclesiasticis plebis et paroeciae functionibus, qui exercitio doctrinae christianae frequentes fuerint; nam, si quem negligentem archipraesbyter cognoscet atque tribus continuis vicibus sine legitima causa, cognoscenda ab ipso archipraesbytero aut sine eius licentia, ab iis defuerit, ille per mensem turni iure privabitur. Si vero adhuc in negligentia persistat per mensem continuum, toto anno eodem iure carebit. Haec a vobis omnino praestanda committimus et in virtute sanctae obedientiae praecipimus. Mementote solemnis eius |**218**^{v}| promissionis qua nobis obedientiam coram Deo promisistis. Speramus vos sacerdotes, ministri Christi, vobismet non esse defuturos sed, si ex vobis aliquis per se aut per laicos, quos hipocrisi et femento phariseorum seducere fortasse poterit, ordinem a nobis praescriptum immutare tentaverit aut secus ac praecepimus de emolumentis participare voluerit honesteque ac mansuete non vixerit, nunc pro tunc monemus, declarantes nos contra eius audaciam et inobedientiam poenis canonicis ac etiam suspesionis processuros. Attendite igitur vobis et huic Iesu Cristi gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit ad illum quoad facere poteritis, vestro archipraesbytero coadiuvantes sana doctrina vitaeque sanctitate ac sacramentorum pabulo aedificandum atque nutriendum et Deus pacis omni benedictione et gratia repleat corda vestra. In quorum fidem. Datum ex pastorali nostra visitatione plebis Manerbae die 26 maii anno 1743. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius et cetera.

Quo facto, in ecclesia parochiali descendit ac, summa Deo humili veneratione adorato, suum thronum ascendit iussitque mihi notario ut alta et intelligibili voce omnibus fere ecclesiasticis huius plebis ac principalioribus communitatis multoque populo praesentibus illud |**219**| recitarem et publicarem, quo publicato pro defunctis oravit fecitque infrascriptas ordinationes ac tandem plebis Manerbae Vallistenensis, divina gratia adiutus, visitationem absolvit. Ordinata. Tollantur muri circumdantes coemeterium – herbae eradantur, comburentur earumque cineres spargantur per coemeterium ipsum – excavetur fovea in ingressu coemeterii prope viam, per quam animalibus additus impediatur – parvae pixidi aptetur conopeus – ex duobus vasculis argenteis oleorum sanctorum poenes reverendum curatum existentibus unum fiat, rite instructum – supra custodiam oleorum sanctorum foris fiat inscriptio caracteribus intelligibilibus *Olea Sancta* – eadem custodia vestiatur intus panno serico violaceo – fiant nova vascula saltem stamnea pro omnibus oleis sanctis ac provideatur de bursa serica violacea, rite instructa, pro vasculo olei infirmorum et interim purgentur eadem vasa – fiat super fontem baptismalem novum ciborium et cooperiatur novo conopeo – apponatur operculum super sacrarium – ponantur imagines devotae a partibus poenitentium omnibus confessionalibus et, ubi deest, ponatur tabella casuum |**219**^{v}| resservatorum – confessionali iuxta ianuam maiorem a cornu evangelii suspensum sit donec muniatur crate nova foraminibus minutioribus – provideatur altare maius de pulvinaribus omnium colorum, de vasculis cum floribus et de stragula pro cooperienda mensa altaris – firmetur portatile altaris sancti Stephani et eius rimulae obturentur; provideatur idem altare de pulvinaribus decentioribus et de stragula pro cooperienda mensa ipsius altaris – custodia altaris sanctissimi Corporis Christi vestiatur intus panno serico albi coloris; elevetur parumper portatile ipsius altaris eiusque rimulae obturentur – exequantur ordinationes visitationis anni 1711 de deprimendo parumper portatile altaris sancti Rocchi et illius rimis obturandis – provideatur altare ipsum de pulvinaribus, de vasculis cum floribus, de tabellis et de stragula pro cooperiendo altari, cuius icon purgetur et melius ac attentius custodiatur ac servetur – deprimatur parumper portatile altaris a Pietate – provideatur sacristia de paramento nigri coloris, cum pluviali et dalmaticis – de mappis pro altari maiori inferioribus, ut mutari |**220**| possint et mundae manuteneri – de uno candelabro ex auricalco simili caeteris quinque pro altari maiori – de pelvibus pro urceolis – appendatur scitula super labrum quod est in loco ante sacristiam et ibidem semper sit mundum manutergium – in libro status animarum exprimatur aetas – in illo mortuorum causa mortis – in illo matrimoniorum verbo *testibus* addatur hoc: *rogatis* vel *adhibitis* – instituatur fillum in quo serventur omnia mandata matrimoniorum – liber etiam instituatur in quo describantur congregationes omnes quae tenentur in hac vicaria foranea, cum descriptione casuu, interessentium ac definitionum. Ex ecclesia egressus, iter suscepit Monicam versus, illum concomitantibus clero, electis a comunitate et eius principalioribus ac universo populo Manerbae, qui per omnes vias per quas transibat difusus ac suum pastorem et parentem venerabundus conspiciebatur. In finibus Manerbae ipsius electi suae et populi devotionis nova testimonia praebuerunt, quibus cum illustrissimus et reverendissimus antistes proportionata benignitate |**220**^{v}| respondisset, obvios habuit dominum Ioannem Paulum Bertazzoli aliosque a communitate Monicae electos

et ab illo, eiusdem communitatis nomine, humilime veneratus fuit. Huic communitati paternam dilectionem promisit illustrissimus et reverendissimus praesul et, prosecutus iter, paulo post vidit admodum reverendum dominum Iosephum Bulgarini, archipraesbyterum Monicae ipsius, una cum suo clero, omnes superpelliceis ornatos, a quibus et, humilitate quam erga praelatum suum tenentur, eorum obsequii ac reverentiae argumenta excepit. Tum pueris populoque Monicae acclamante laudasque divinas canente, ad aedes familiae de Bulgarinis pro hospitio a domino archipraesbytero sibi paratas pervenit ibique quievit et incoenatus obdormivit. Die lunae 27 mensis maii 1743. Facto mane, omnibus in ecclesia dispositis in eaque per solita signa convocato populo, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ianuam domus praefatae descendit, ubi sub baldachino, a quatuor huius loci principalioribus gestato, crucem sibi a domino archipraesbytero pluviali induto porrectam super pulvinaribus stratis genuflexus, deveneratus ac deosculatus est ac, processionaliter clero praecedente et solita decantante, parochialem ecclesiam adivit, in cuius porta maiori aspersorio ab ipso domino archipraesbytero recepto populo benedixit et ab eodem domino archipraesbytero thurificatus, ad altare maius processit, ante
|221| [a margine: MONIGA] quod stratus sanctissimum Eucharistiae sacramentum adoravit decantataque oratione titulari, populo iterum benedixit et indulgentiam episcopalem de suo mandato publicatam impartitus est. Ad thronum subinde, sibi a latere evangelii paratum, venit paramentisque violaceis assumptis, pro defunctis tam in ipsa ecclesia quam in coemeterio ibidem adnexo, quod et visitavit, preces fudit. Ad thronum regressus dimissisque paramentis violacei coloris albisque assumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in tabernaculo marmoreo rite instructo, sub sera et clavi, quae est argentea, custoditum et in pixide in cupa argentea inaurata, in reliquis cuprea, servatum. Vidit parvam pixidem, ut supra instructam, qua utitur pro infirmis communicandis; adest ostensorium radiatum, ex auricalco argento linito decenter constructum. Vidit baldachinum, umbellam, fanalia caeteraque neccessaria pro decenti associatione huius Sacramenti ad infirmos. Interrogatus subinde dominus archipraesbyter respondit statutis temporibus hoc idem Sacramentum renovari; infirmis decenter associari; a societate eiusdem sanctissimi Sacramenti provideri de cereis et suppellectilibus neccessariis pro huiusmodi decenti associatione; schedas tempore paschali communicatis distribui ac **|221^{v}|** subinde colligi. Sub hac cura extare animas a communione 358, in totum vero 513, nullum – divina favente misericordia – adesse inconfessum; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, in sero solita dari signa et indulgentias associantibus concessas publicari. Huiusce Sacramenti expositionem fieri tertia quaque dominica mensis in toto anno et prima etiam dominica mensis a festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis septembris, sumptibus societatis ipsius sanctissimi Corporis Christi et etiam quaque sexta feria mensis martii, sumptibus ipsius societatis ac huiusce communitatis. Processiones quoque fieri in die Corporis Christi et eadem quaque dominica tertia mensis. Populo hoc eodem Sacramento benedicto, quamplures utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit. Reposito in tabernaculo augustissimo Sacramento, aeterno Patri sacrosanctum missae sacrificium obtulit; quo absoluto, quampluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Visitavit olea sancta, in loculo in cornu evangelii altaris maioris ad id parato, in capsula ex nuce et in vasculis stamneis, quae mittuntur ad plebem Manerbae ad eadem olea accipienda; vidit etiam vascula oleorum Chrismatis et Cathecumenorum pro sacramento baptismatis nec non olei infirmorum, rite non elaborata. Adest huic altari maiori societas sub nuncupatione sanctissimi **|222|** Suffragii et sancti Ioseph, quae canonice est errecta auctoritate episcopali, ut ex actu eiusdem errectionis, viso et restituto, diei 31 martii 1738, in cuius calce quatuor sunt descripta capitula, quae pariter eadem auctoritate episcopali fuerunt approbata. Eidem confraternitati indulgentiae concessae fuerunt a felicis recordationis Clemente papa XII, ut ex eius brevi, viso in hac curia episcopali die 31 martii 1738, ostenso, lecto et restituto. Praeterea pro confratribus eiusdem societatis habetur privilegium ad septennium, cum indulgentia per modum suffragii quoties celebratur missa pro ipsis in die commemorationis Defunctorum et feria sexta cuiuslibet hebdomadae, in curia hac episcopali viso eadem die 31 martii 1738, pariter ostenso et restituto. Visitavit fontem baptismalem, prope ianuam maiorem ecclesiae, rastris ligneis septum, sera et clavi munitum, bene tentum. Vidit subinde tria confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus, rite instructa. Visitavit successive altare maius, marmoreum cum tabernaculo marmoreo, ut ante dictum est, de iure huius communitatis, a qua manutenetur, exceptis cereis et oleo pro lampade, de quibus providet dominus archipraesbyter. Hoc altare habet portatile et in prospectu **|222^{v}|** chori habet iconem ab excellenti pictore depictum, in quo rappraesentatur sanctus Martinus episcopus, cui altare ipsum et ecclesia est dicata et alii duo sancti episcopi a lateribus eiusdem sancti Martini. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo dominus archipraesbyter celebrat et festis diebus applicat pro populo. Altare Corporis Christi, in mensa et

gradibus marmoreum cum portatili, in reliquis partibus ligneum, in quo sub crystallis est imago lignea beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu et eius a lateribus imagines sanctarum Luciae et Cattarinae virginum et martyrum. Huic altari errecta est societas sanctissimi Sacramenti, cuius errectionis fundamentum non constat; asseritur tamen antiquitus fuisse errectam. Ipsa sua capitalia et redditus habet, prout in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram O. Eadem societas non habet onera missarum nisi anniversarium enunciatum in postrema visitatione anni 1712 et impendit redditus pro manutenendo et ornando hoc altari, quod est de iure ipsius societatis et pro suppeditandis suppellectilibus pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos, quae descriptae sunt in policeis exhibitis et infra citata littera positis. In hoc altari celebrari consuevit missa *Rossi* nuncupata, cuius institutio in archivio huius communitatis non |**223**| existit ob direptionem quam passa fuit ipsa comunitas a militibus exteris; verum, in libro dicto *Magistro E* eiusdem communitatis ad paginas 43, 178, 228, 233, apparet assignationem quatuor sacerdotibus factam pro celebranda missa quotidiana, assegnando praedictis eiusdem missae quotidianae partes et proportionatas stipes, sed a sacerdotibus ad hanc celebrationem electis ammittitur subscriptio missarum celebratarum in libro sacristiae ideoque mandavit ut ipsi sacerdotes deinceps, iuxta ordinationem de qua infra dicetur, in libro semper servando in sacristia se subscribant, aliter a comunitate non erogentur illis aeleaemosinae et ita et cetera, omni et cetera. Altare sancti Nicolai de Tolentino, de ratione huius communitatis et piorum aeleaemosinis; hoc altare est ligneum, cum portatili et icone depicto. Super gradus huius altaris est custodia lignea, in qua servatur sanctissimum Sacramentum in maiori hebdomada. Reverendus dominus Iosephus quondam Christophori Corona huius loci, in suo testamento diei 21 aprilis 1673 in actis domini Iosephi Bazoli notarii, viso et restituto, reliquit et legavit reditum scutorum octuaginta sex de tronis septem pro quoque spectabili communitati huius loci, ex capitali quod sibi debebatur ab hospitali maiori Brixiae, cum onere celebrari faciendi iuxta intentionem ibidem expressam missas |**223**^{v}| sex in quaque hebdomada, compraehensis diebus festivis de praecepto, in ecclesia hac parochiali et in hoc altari sancti Nicolai, iubens ut cappellani eligendi curent exactionem praedictae summae scutorum octoginta sex ac ut erogent sacristiae eiusdem ecclesiae, ex iis, scuta tria pro suppellectilibus et cetera, Praeferendos cappellanos, mandavit primum filios quondam Gabrielis quondam Francisci Terraroli de Desentiano, quibus defficientibus, illos de familia haeredum quondam Francisci Ton et, istis cessantibus, illos de familia haeredum quondam domini Antonii d'Avo et, post istos, illos de familia haeredum quondam Francisci Amatorii de Chizzolinis ac demum, omnibus istis deficientibus, illos de familia haeredum quondam Stephani Bazoli. Qui, si omnes defecerint, dat facultatem huic communitati eligendi sacerdotem, dummodo sit bonae vocis, famae et conditionis, declarans semper praeferendum illum ad quem primus locus spectaret iuxta gradus super descriptos, quamvis locus ipse ab alio successive vocato occuparetur. Sacerdotibus ita electis conscensit ut possint concurrere ad officia celebranda in hac terra Monicae, non vero extra eosque omnes obligavit ut, si quae essent altaria in hac ecclesia aliquo die privilegiata, in iis iuxta eius intentionem diebus privilegiatis celebraverit. Hospitale maius Brixiae se affrancavit et communitas haec ab ipso – ut assertum fuit – capitale obnoxium huic officiaturae accepit, se se obligando ad praestanda scuta |**224**| octuaginta sex cappellano quae adhuc praestat et solvit cappellano reverendo domino Ioanni Baptistae Ton, tamquam uno de vocatis iuxta gradus a testatore constitutos. Interrogavit illustrissimus et reverendissimus praesul utrum cappellanus adimpleat et a Gherardo Girardi et Ioanne Baptista d'Avo, electis a comunitate tamquam administratoribus huius cappellae, responsum fuit se credere satisfieri huic obligationi, sed numquam ab illis de satisfactione cognitum fuisse, praesertim cum in sacristia non extet liber missarum. Super quibus idem illustrissimus et reverendissimus praesul monuit praedictum reverendum dominum Ioannem Baptistam Ton cappellanum ut in libro sacristiae, iuxta infrascriptam ordinationem tenendum, subscribat toties quoties pro hac obligatione celebrat; aliter, si se non subscripserit, mandavit praedictis rappresentantibus communitatem ne eidem stipem solvant et ita et cetera, omni et cetera. A lateribus huius altaris, in loculis ad id paratis, sera et clavi – quae custoditur a domino archipraesbytero – munitis, adsunt sacrae reliquiae ex ossibus sanctorum Candidi, Severi, Mansueti, Placidi, Donati, Victoris, Celestini, Iucundi, Fortunati, Modesti, Benigni, Peregrini et Honorati martyrum, in duobus quadratis reliquiariis inauratis, christallo anteposito et uniformibus, repositae cum litteris autenticis alias in curia episcopali hac recognitae, ut ex actu viso et restituto diei |**224**^{v}| 20 septembris 1675, quo concessum fuit ut publicae fidelium venerationi in hac ecclesia exponerentur, quas cum iterum recognovisset, suis quoque sigillis munitas confirmavit eamdem licentiam illas ut supra exponendi. Vidit etiam, in aliis duobus reliquiariis inauratis ligneis ovali figura constructis, cum crystallis ante, reliquias in uno eorum sancti Valentini martyris, in altero sancti Vincentii martyris; quarum, cum documentum et sigilla examinasset, observavit sigilla non posse relevari ideoque decrevit ut eaedem sacrae reliquiae in sua veneratione manerent. Altare sanctissimi Rosarii, ligneum cum portatili et icone depicto, de

ratione societatis eiusdem Rosarii, a qua de omnibus manutenetur. Haec societas canonice errecta asseritur, sed eius errectionis nullum extat fundamentum. Habet sua capitalia et reditus, prout in policea exhibita et infra posita sub littera O. Ex redditibus descriptis, a principio usque ad partitam librarum 122.18 inclusive, tertiam partem erogat domino archipraesbytero pro missis celebrandis iuxta vires eiusdem tertiae partis, taxata aeleaemosina triginta solidorum pro quaque missa, aliam tertiam partem asseruerunt impendi in pane distribuendo pauperibus huius communitatis; reliquam tertiam partem impemdit pro beneficio altaris ipsius societatis, iuxta intentionem reverendi domini Amatoris de |**225**| Amatoribus, olim huius ecclesiae rectoris, ut assertum fuit. Suppellectiles huius altaris describuntur in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram O. A parte evangelii altaris maioris est loculus in quo, sub crystallis, servatur imago sancti Martini episcopi, ex ligno sculpta, in cuius pectore est theca ex auricalco ovalis formae, cum crystallo anteposito et in ea sacra reliquia ex sacris ossibus eiusdem sancti Martini episcopi, sigillo et litteris autenticis, in hac curia episcopali admissis die 17 februarii 1729 munita, quam proinde recognovit et deveneratus est. Visitantibus hanc ecclesiam die 11 novembris cuiuslibet anni concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi ad septennium dato die 17 iunii 1739, in hac curia episcopali viso die 24 iulii eiusdem anni. Visitavit subinde sacristiam, in qua vidit sacras suppellectiles et vasa sacra – descripta in inventario a domino archipraesbytero una cum aliis polliceis, iuxta aedictum exhibito et in fine huius libri posito ad litteram O – in armariis ligneis servatas et de quibus sufficienter provisum esse invenit. Hisce absolutis, ad aedes antedictas reversus est et prandium sumpsit. Die anedicta 27 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, convocata in ecclesia parochiali schola |**225**^{v}| utriusque sexus doctrinae christianae, maribus et foeminis divisis, ad ipsam petiit visitandam ubi, classibus consueto ordine dispositis, a sua illustrissima et reverendissima dominatione perlustratis, iussit idem ut dominus archpraesbyter singillatim omnes suo more interrogaret, quod cum perageretur, peculiari animi sui laetitia vidit bene instructos omnes in religionis christianae negotio ac inter ipsos adesse non paucos qui scientiam de rebus fidei ac legis divinae superiores etiam huius instituti ostenderunt. Hoc exercitio peracto, convocavit sacerdotes et operarios doctrinae christianae eiusdem, a quibus exhibitos libros observavit et ex iis cognovit ordinem huius scholae rite procedere; pressidentem esse dominum archipraesbyterum; ab eo convocari congregationem, et observari regulas doctrinae christianae diaecesanas. Vidit frequentes esse discipulos ac operarios, sed non adeo frequentes sacerdotes ideoque omnes hortatus est ut cogitarent opus istud esse in primis a Deo comendatum, de quo praecipue ministri Christi reddituri sunt rationem si negligenter illud adierint aut ipsum omiserint, quapropter gravissimis verbis monuit omnes ut, quoad eorum vires, in ipsum incumberent et decrevit ut singulis diebus festis in libro consueto describantur ecclesiastici interessentes huic scholae et eorum nomina singillatim notentur, ad hoc ut a praessidente et cancellario, quotiescumque occurret fieri possit, fides de singulorum frequentia, quam fidem iuratam |**226**| opportabit, alias non admittetur. [A margine: Madonna della Neve] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sanctae Mariae ad Nives seu a Cruce, intra limites parochialis Monicae, de ratione huius communitatis, a qua manutenetur. Unicum habet altare marmoreum in mensa, super murum constructa, cum portatili, in reliquis ligneum cum imagine beatae Virginis depicta in muro, sub crystallis servata. In hoc oratorio nulla est praecisa obligatio missarum, quae instituta aut legata cognoscatur, sed ab immemorabili tempore communitas huius loci, quae administrat redditus huiusmet oratorii, omnes impendere consuevit in faciendo celebrare missas, paucis exceptis pro manutenendo eodem oratorio. Ex actu comparitionis factae a quondam Ioanne Paulo Bazolo, tum temporis sindico huius ecclesiae (quo instetit ut ab excellentissimo provisore Salodii concederetur dari ad livellum bona de iure eiusdem ecclesiae sub die 15 iulii 1713, exhibito, viso et restituto), apparet ipsum exposuisse bona ipsa donata fuisse a piis christifidelibus praedictae ecclesiae, absque nulla obligatione missarum, sed ut ipsa ecclesia aedificeretur, quae assertio ab ipso fundatur in libris et scripturis eiusdem ecclesiae; qua propter, cum nulla extent documenta ex quibus missarum obligatio cognoscatur et sindicus testificatus fuerit ex libris praedictis nullum adesse huiusmodi onus, sed tantumodo missas celebrari ex consuetudine |**226**^{v}| cumque, ex bonis iuxta publicas leges venditis, capitalia ex eorum praetio confecta fuerint in summa tronorum 19280.8, ex quibus percipitur fructus tronorum 876.16.7 – ut apparet ex libro foris inscripto "*Libro livellario de luoghi pii delle messe e beata Vergine della Croce della terra di Moniga*", viso et restituto et ex policea ex ipso desumpta ab uno ex sindicis praesentibus subscripta, exhibita et infra sub littera O posita – Gherardus Girardi et Ioannes Baptista d'Avo, sindici huius ecclesiae, nomine etiam Bernardi Bazoli sindici absentis, humilime supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut, suo decreto, declaret methodum qua fructus impendi debeant, piorum christifidelium voluntatem interpretando, praesertim cum ecclesia restauranda sit, altare ornamentis careat et sacristia decentibus suppellectilibus non sit instructa. Quibus intellectis et consideratis, considerata etiam ecclesiae, altaris et sacristiae indigentia,

cum non constet de praecisa obligatione missarum, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut missa quotidiana ex praedictis reditibus sindici huius ecclesiae celebrari faciant, cum stipe triginta solidorum pro quaque missa et sacerdos vel sacerdotes eligendi celebrent in hoc oratorio eamque applicent pro benefactoribus ipsius ecclesiae, se se in libro, semper servando in sacristia eiusdem oratorii, subscribendo quoties celebraverint et applicaverint pro hac obligatione, aliter non erit iisdem eroganda aeleaemosina; |**227**| qui sacerdotes diebus festis celebrare debebunt, servato semper et ordine iuxta praescripta a constitutionibus synodalibus in pena et cetera; residuum autem redituum impendatur pro instauranda et manutenenda eadem ecclesia, pro ornando altari et comparandis suppellectilibus pro missae sacrificio. Si vero reditus adhuc supersint, impendantur pro sacristia ecclesiae parochialis huius loci et ita et cetera, omni et cetera. Vidit sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra, in armario ligneo custodita et de quibus in inventario exhibito et infra ad litteram O posito. Vidit etiam domum adnexam, quam ad praesens inhabitat Paulus Domenegoni, huius ecclesiae custos. Adest campanile, in quo duo sunt campanae, non consacrate in eoque vidit quoque confessionale. Ordinata. Suspensum sit confessionale et inde ammoveatur – suspenditur planeta violacei coloris – provideatur de manutergio – fenestra sacristiae muniatur ramata et spera saltem lintea. Quibus habitis et cetera. [A margine: Imacolata Concettione] Successive visitavit publicum oratorium sub titulo Immaculatae Conceptionis beatae Virginis Mariae, vulgo dictum *Alle Pergole*, infra limites parochialis Monicae, cum unico altari ligneo cum portatili et icone depicto, de ratione olim |**227**^{v}| excellentis utriusque doctoris et reverendi domini Ioannis Baptistae Giacomini salodiensis, nunc vero de ratione admodum reverendi domini Augustini et excellenti theologiae doctoris reverendi domini Fabricii fratrum de Pasinis, successorum ex legato praedicti excellentis Giacomini. Hoc oratorium errectum fuit auctoritate episcopali anno 1724, ut ex facultate eiusdem errectionis diei 26 aprilis anni praedicti et successiva licentia in eodem missam celebrandi, concessa die 5 augusti anni ipsius; dotata vero apparet ab eodem reverendo Giacomini medio instrumenti dotationis diei 27 aprilis suprascripti in actis domini Ioannis Francini Venithaei notarii, viso et restituto, de una petia terrae ibidem descripta. Idem reverendus Giacomini legavit in eius testamento – ut assertum fuit – obligationem duarum missarum celebrandarum in hebdomada in hoc oratorio, aggravans praedictos reverendos Pasinos legatarios ad illas celebrari faciendas, cum aeleaemosina viginti octo solidorum; nunc vero eas celebrat reverendus dominus Franciscus Federici, qui adimplet. Interrogavit illustrissimus et reverendissimus praesul utrum huiusmodi missae celebrentur diebus festis et qua hora responsumque illi a praedicto cappellano fuit missas celebrari diebus festis etiam ex devotione et pulsari campanas ante missam parochialem; quod, cum sit contra constitutiones synodales diaecesanas et detestatum a Ioanne Matthaeo Giberto neque sit tollerandum in praeiudicium iuris parochialis et in salutis populi detrimentum, praesertim cum ecclesiae parochiali admodum |**228**| proximum sit oratorium ipsum cumque ex parte huius spectabilis communitatis supplicatum sibi fuerit ut sua auctoritate compesceret contumaciam sacerdotum inibi celebrantium, quos ipsa communitas curavit alias obligare ne praeiudicium inferent iuri parochiali et recto ordini – ut constat ex eiusdem communitatis parte capta sub die 9 octobris 1740, cuius copia exhibita fuit et in fine huius libri sub littera O posita et cetera – illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes antedictus decrevit ne missae diebus festis in hoc oratorio celebrentur ante missam parochialem neve campana pulsetur nisi eadem missa parochiali finita, sub poena suspensionis a divinis illi vel illis sacerdotibus qui contrafecerint, nisi exceptis casibus in quibus domino archipraesbytero videbitur dispensandum ut ante eius parochialem missam ibidem celebrari possit, sed numquam cum pulsatione campanae, eius onerando conscientiam ut huiusmodi licentiam non concedat quando ipsam divertere posset populum ab audiendo verbo Dei. Visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles, de quibus bene provisum esse invenit. Vidit et visitavit campanile, in quo adest una campana et observavit recentem murum constructum versus aedes privatas interrogavitque cur murus ipse recens modo sit et cur facta fuerit eius constructio; praedictus admodum reverendus et excellens dominus Fabricius Pasini respondit |**228**^{v}| fuisse ex campanili aditum in aedes privatas, qui, cum nulla canonica licentia inniteretur, ipse iussit ut idem aditus obturaretur; quod cum probasset illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus prohibuit ne deinceps aditus ipse aut alius ad aedes privatas aperiretur et, quatenus aliquis auderet aperire, eo aperto statim suspensum sit oratorium istud, prout nunc ex tunc suspensum declaravit et ita et cetera. Quibus absolutis, ad aedes praefatas reversus, in proprio cubiculo se recepit et incoenatus quievit. Die martis 28 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, facto iam mane, ad saepedictam parochialem ecclesiam se contulit et in ea Altissimo fusis precibus, sacrosanctum missae sacrifitium celebravit ac quampluribus utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem erogavit ac petentes sacro Chrismate linivit. Supplicationibus subinde sibi a sindicis ecclesiae Sanctae Mariae ad Nives seu a Cruce, nomine etiam huiusce comunitatis Monicae,

humiliter porrectis, quibus ut campanae existentes in campanili oratorii eiusdem beatae Virginis Mariae ad Nives infra limites huius parochialis benedicerentur et consecrarentur in honorem sanctae Annae Mariae et sanctae Eurosiae supplicatum fuit benigne annuens easque e praefato campanili depositas et ad hanc parochialem ecclesiam perductas, pontificalibus indutus servatisque ritibus a |**229**| pontificali romano praescriptis, benedixit et maiorem in honorem sanctae Annae Mariae, minorem autem in honorem sanctae Eurosiae virginis et martyris consecravit. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes supradictus, ad aedes antedictas restitutus, in iisdem una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit, coram quo, de suo mandato vocati, comparuerunt domini deputati et sindici huius communitatis, qui interrogati de vita, moribus ac diligentia in cura animarum huius loci praestanda admodum reverendi archipraesbyteri nec non de vita, moribus et honestate sacerdotum et clericorum et an in hac paroecia adsint usurarii, concubinarii, adulteri, scandalosi aut publici peccatores, responderunt dominum archipraesbyterum religiose vivere et populo aedificationem esse suoque officio numquam deesse, instruere vero populum pari sedulitate ac pietate; sacerdotes autem non esse imorigeros et a parochi exemplo in officio permanere, populum denique universum christiane se habere nullumque publicum adesse scandalosum. Comparuit successive, vocatus, admodum reverendus dominus Ioseph Bulgarini, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae, qui obtulit bullas provisionis et collationis huius beneficii ad sui favorem, datas Romae anno dominicae Incarnationis millesimo septingentesimo trigesimo primo, quarto decimo kalendas maii nec non libros curae animarum |**229**^{v}| huius loci, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum nec non status animarum, sufficienter instructos. Interrogatus postea de vita, moribus et honestate ecclesiasticorum et an in hac sua paroecia sint usurarii, concubinarii, adulteri, scandalosi vel publici peccatores, respondit ecclesiasticos bonis moribus praeditos esse, populum vero obedire divinis et ecclesiasticis legibus. Subinde comparuerunt, vocati: reverendus dominus Ioannes Baptista Fedricii, sacerdos aetatis annorum 75 circiter. reverendus dominus Ioannes Baptista Fedricii, sacerdos aetatis annorum 75 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Ton, sacerdos aetatis annorum 69 circiter. Reverendus dominus Balthessar Ton, sacerdos aetatis annorum 63 circiter. Reverendus dominus Paulus Montanari, sacerdos annorum 45 circiter. Reverendus dominus Horatius Bazzoli, sacerdos annorum 39 circiter. Reverendus dominus Ioseph Bulgarini, sacerdos annorum 27 circiter. Reverendus dominus Scipio Bazoli, sacerdos aetatis annorum 55 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 3 decembris 1742. Comparuit Ioseph Bianfetti et exposuit suprascriptum reverendum dominum Scipionem Bazoli sibi suoque fratri debere residuum capitalis consistens in tronis 1378, salva veriori quantitate, instans ut a sua illustrissima et reverendissima dominatione decernatur residuum ipsum investiendum esse et a praedicto reverendo domino Bazoli solvendos esse fructus ex ipso capitali pro tempore quo apud se non investitum |**230**| detinuit et quo detinebit donec investiatur et ita et cetera. Dixit e contra reverendus dominus Scipio Bazoli paratum esse ad illum investiendum et ad fructus dandos pro ratione quatuor pro centenario pro tempore quo retinet vel retinebit ipsum capitale et ita et cetera. Quod cum acceptatum fuisset a praedicto Bianfetti, qui cum ipso reverendo Bazoli convenit ut tempus obnoxium pro fructibus solvendis incipiat a mense maii 1741 et teneatur reverendus Scipio solvere fructus ad rationem quatuor pro centenario super ipsum residuum capitalis, detractis tamen scutis triginta brixiensibus, quae apud ipsum reverendum Bazoli deposita remanent et remanere debent usque ad matrimonium Magdalenae, sororis praedicti Bianfetti, iuxta ultimam voluntatem Hortensiae fuit uxor Christophori Bianfetti. Vinum autem, quod confessus est ipse Bianfetti se a praedicto reverendo domino Scipione accepisse in quantitate et praecio tronorum 69.15, esse computandum pro fructibus decursis iuxta computum quod fiet. Stantibus his, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut exequatur sicut partes convenerunt et ita et cetera, omni et cetera. Reverendus dominus Franciscus Federici, sacerdos aetatis annorum 44 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 18 septembris 1742. Reverendus dominus Petrus Bazoli, sacerdos aetatis annorum 39 circiter, cum |**230**^{v}| mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 17 augusti 1742. Qui omnes eorum mandata ordinum et respective ad curam animarum, debito obsequio, illustrissimo et reverendissimo praesuli obtulerunt. Comparuerunt successive Helisabeth uxor Bazoli de Bazolis et Lucia uxor Ioannis Chiappini, ambo obstetrices huius terrae, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, recte responderunt et se optime instructas esse ostenderunt. Venit denique Paulus Domenegoni, custos ecclesiae beatae Virginis Mariae ad Nives seu a Cruce, qui ostendit testimoniales sibi ab hac curia relaxatas pro quaestuanda aeleaemosina. Hisce omnibus absolutis, idem illustrissimus et reverendissimus praesul prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 28 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, ad eamdem parochialem ecclesiam reversus, ipsam de parte in partem visitavit, quam vidit tribus navibus constructam esse, de ratione huius

communitatis, a qua de omnibus manutenetur. Vidit in ea suggestum, in quo concionatur tempore quadragesimali diebus festis, feria secunda, quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae, cum mandato et benedictione episcopali et concionator eligitur ab hac communitate, a qua erogatur stips tronorum 116. Haec ecclesia est consecrata, cuius consecrationis anniversaria |**231**| dies collitur 13 octobris cuiuslibet anni subestque iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. His actis, ante altare maius genuflexus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum adoravit et deinde, factis infrascriptis ordinationibus, pro defunctis preces fudit et ita visitationem huius parochialis ecclesiae, cleri et populi Monicae, Deo adiuvante, absolvit. Ordinata. Provideatur de fanali maiori qui praecedat in processionibus sanctissimi Corporis Christi – vestiatur intus panno serico violaceo locus oleorum sanctorum – supra ostiolum eorumdem oleorum sanctorum pingantur haec verba *Olea Sancta* – fiant vascula omnia cum operculo ad formam cocleae elaborato – altare sancti Nicolai de Tolentino provideatur de omnibus tabellis – sarciatur paramentum in tertio rubri et albi colorum – manutergium continuo servetur mundum in sacristia, non tantum tempore visitationis – comparetur liber missarum, semper servandus in sacristia, in quo omnes sacerdotes celebrantes singulis vicibus quibus celebrant se subscribant, declarantes |**231^{v}**| qua intentione applicaverit et, cum in hac ecclesia diversae sint obligationes missrum, in eodem libro diversa quoque sint disposita loca et in modum alphabetti, prout diversus est numerus obligationum, in quibus locis quisque obligatus respective quoties applicaverit pro sua obligatione et subscribat; aliter, ut alias decrevimus, illi qui se hoc pacto non subscribat stipes pro missis celebratis non erunt solvendae – in libro renatorum exprimatur hora nativitatis – comparentur novi libri mortuorum et matrimoniorum et suis indicibus instruantur et partitae notentur respective in indicibus – in libro status animarum describatur aetas parochianorum et distinguantur, aliquo signo intelligibili, ii qui confirmati sunt – fenestrae huius ecclesiae ubi opus est muniantur ramatis et speris vitreis.

Egressus ex ecclesia, rhedam una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus ascendit eodemque ordine quo ad hanc ipsam ecclesiam accessit, ab ipsa etiam discessit, populo frequenti per vias diffuso ac sui Pastoris benedictionem iterum genuflexo expectante. Cum ad fines Monicae pervenisset, ab admodum reverendo archipraesbytero primum, deinde ab electis eius communitatis, plurima venerationis argumenta excepit; |**232**| non destitit populus quin ibidem adesset, parentem suum dolens ab eius visu discedere. Praeteritis finibus Monicae, accessus ad teritorium Patingularum, electi huius communitatis cum militibus et populo occurrerunt, a quibus nova obsequia ac devotionis signa data fuerunt. His praecedentibus, ad ecclesiam parochialem Patingularum perventus, ibidem deputati a spectabili communitate Leonati, expectantes adventum suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, erga ipsam omne obsequium et reverentiam, suo et eorum communitatis nomine, protestati fuerunt, quibus ab eadem humanissimis responsis datis, praecedente cohorte militum equestrium vulgo *dragoni*, ab illustrissimo et excellentissimo domino Bonaventura Diedo, provisore fortilitii Leonati praedicti, in obsequium antistitis missa, iter prosecutus est, illum concomitantibus post eius rhedam praefatis dominis deputatis usque ad ecclesiam Sanctae Mariae a Lilio, positam intra fines pareciae Leonati et iuxta portas eiusdem fortilitii. Eo in loco admodum reverendus dominus Ludovicus Fioccarini, archipraesbyter praedictae paroeciae et vicarius foraneus, una cum suo clero, illustrissimum et reverendissimum praesulem humilimis verbis excepit; qui, descensus ex rheda et ipso clero praecedente, una cum confratribus scholarum eiusdem loci – archipraesbytero interim qui oculis laborat ibidem remanente – Lonatum ingressus est et in aedes parochiales pervenit. |**232^{v}**| Paulo post suum cappellanum ad illustrissimum et excellentissimum dominum provisorem praedictum misit, ut de suo adventu illum certiorem faceret et eius nomine officia perferet; imediate idem illustrissimus et excellentissimus dominus provisor cancellarium suum misit ad suam illustrissimam et reverendissimam dominationem, qui de eius adventu eius nomine secum gratularetur ac omnia amoris et respectivae argumenta declararet et praeterea peteret excusationem si praesens non accederet ad ipsam visitandam, cum diuturno morbo laboraverit et adhuc laboret; cui, cum pari humanitate et reverentia erga provisoris dignitatem respondisset, ipsemet illustrissimus et reverendissimus antistes in praedictis aedibus quieti indulsit nulloque cibo refectus somno se dedit. Die mercurii 29 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, orto iam sole, ad portas aedium parochialium descendit receptusque sub baldachino, a sex loci principalioribus gestato, crucem sibi a reverendo domino coadiutore, pluviali induto – ob adversam oculorum valetudinem domini archipraesbyteri – deveneratus atque deoculatus est. Inde, clero processionaliter praecedente solitaque decantante, ad parochialem praedictam progressus est; quo perventus, in limine maioris portae eiusdem ecclesiae stetit et thurificationis honorem triplici ductu ab eodem reverendo coadiutore recepit. Ad altare maius processit

|**233**| [a margine: LONATO] et ante idem genuflexus, Deo optimo maximo preces fudit, solitis interea a clero decantatis, altare ipsum conscendit recitataque oratione titularis indulgentiam de suo mandato publicatam impertitus est. Ad thronum subinde, a latere evangelii altaris maiori sibi decenter paratum venit sumptisque in eo paramentis violacei coloris, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterium – quod etiam visitavit – persolvit. Dimissis violacei coloris indumentis albisque assumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistia sacramentum, in pixide maiori argentea intus inaurata, cum suo conopeo decenter instructa, quod servatur in tabernaculo ligneo super altare maius, dum erigitur nova ecclesia, reponendum deinde in sua cappella ad hoc construenda, sub sera et clavi, quae est est argentea. Vidit etiam pixidem minorem, quoque argentea intus inauratam nec non parvas thecas intus pariter inauratas, in quibus ad infirmos distantes hoc idem Sacramentum defertur. Vidit ostensorium argenteum radiatum et omnia rite parata esse cognovit. Ex factis perquisitionibus, habuit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; schedas communicatis in Paschate distribui ac subinde colligi; sub hac cura animas degere a communione numero 3089, in totum vero 4290, ex |**233**^{v}| quibus duos tantum praecepto ecclesiae inobedientes hoc anno existere; dum ad infirmos hoc idem Sacramentum deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero; iisdem infirmis decenter associari suppellectilibus neccessariis, quas vidit et de quibus societas sub titulo ipsius Sacramenti providet; indulgentias associantibus concessas publicari; hoc eodem Sacramento fieri expositionem omnibus diebus dominicis in vesperis, incipiendo a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris, impensis huius communitatis; in sextis vero feriis Quadragesimae exponi, impensis societatis ipsius sanctissimi Sacramenti ac etiam fieri expositionem quadraginta Horarum in dominica Palmarum, cum processione. Processio item fit in die Corporis Christi et completo tempore quo exponitur Sacramentum, scilicet post solemnitatem sanctae Crucis septembris. Populo deinde hoc ipso Sacramento benedixit. Reposito eucharistiaco divino Sacramento in tabernaculo, sacrosanctum missae sacrifitium celebravit et non nullos utriusque sexus christifideles eodem eucharistico Pane refecit. Reverendus coadiutor, parendo mandatis, praesentavit polliceas iuxta aedictum, quas ego notarius recepi et in fine huius libri reposui ad litteram P. Quibus peractis, visitavit olea sancta, in loculo a cornu evangelii altaris maioris ad id parato, in vasculis argenteis et in capsula ex nuce, quae mittuntur ad cathedralem |**234**| ad excipienda eadem olea. Vidit etiam vascula oleorum Chrismatis et Cathecumenorum pro sacramento baptismatis nec non alia duo vascula pro oleo infirmorum, omnia ex argento constructa. Visitavit fontem baptismalem, prope ianuam maiorem, rastris ferreis clausum, sera et clavi munitum riteque instructum. Vidit et visitavit quinque confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit successive altare maius, cum mensa marmorea consecrata, super murum constructa et paliis ex serico, in reliquis ligneum, cui retro est chorus, dicatum hoc altare sancti Ioanni Baptistae, cui itidem ecclesia ipsa est dicata; idem altare est de iure communitatis, sed manutenetur ab admodum reverendo domino archipraesbytero de paramentis et cereis. Nulla in eo est obligatio missarum – ut fuit assertum – sed dominus archipraesbyter in eo celebrat et diebus festis applicat pro populo. Lampas autem ante hoc altare coram sanctissimo Sacramento continuo ardet et manutenetur a societate sub eius nuncupatione. Altare sanctae Mariae Helisabeth, marmoreum cum portatili, constructum in executionem legati asserti in visitatione barbadica anni 1711, cum icone depicto, de iure |**234**^{v}| familiae de Grecis huius loci, in quo est beneficium simplex cappellania nuncupatum, de iure patronatus eligendi et praesentandi huius communitatis, cuius beneficii rector est reverendus dominus Paulus Greco, cum bullis episcopalibus diei 22 aprilis 1701. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta inaurata sub crystallis, circum quam depicta sunt misteria eiusdem rosarii; est de iure ipsius societatis Rosarii, quae canonice errecta apparet ex recognitione habita in visitatione anni 1732 et habet suos reditus in eadem visitatione enunciatos, qui impenduntur in manutentionem huius altaris, et in celebrari faciendo duas missas qualibet die sabbathi pro duobus legatis et praeterea officia quae descripta sunt in tabella posita in sacristia, cuius copia exhibita fuit et in fine huius libri positam ad litteram P. Est obligatio missae quotidianae in hoc ipso altarim ex testamento quondam Ioannis Baptistae a Papa diei 21 ianuarii 1613 et subsequtis codicillis diei 4 ianuarii 1614 in actis quondam domini Hieronymi Orlandini notarii, cuius piae dispositionis spectabilis communitas est commissaria et ad ipsam spectat electio cappellani, qui ad praesens est reverendus dominus Bartholomaeus Gratioli qui adimplet, ut de his omnibus assertum fuit a domino Carolo Panizza, huius comunitatis cancellarius. In hoc eodem altari est simplex beneficium, cum onere coadiuvandi in cura animarum huius loci, de |**235**| iurepatronatus eligendi et praesentandi spectabilis communitatis, cuius ad praesens rector est reverendus dominus Carolus Andreas Greco, cum bullis episcopalibus diei 31 augusti 1719; habet etim onus celebrandi absque applicatione quinquies in hebdomada et applicandi insuper duas

missas, pariter in qualibet hebdomada, iuxta piam dispositionem quondam reverendi domini Laurentii Gonella, ex eius testamento diei 3 maii 1638 in actis Pauli Pistoni notariim ut asseruit praedictus dominus Carolus Panizza. Tenetur etiam praedictus reverendus dominus coadiutor celebrare quot annis missas decem pro legato quondam reverendi domini Andreae Franceschini ac demum tot missas applicare quot celebrari possunt iuxta reditus provenientes ex legato quondam reverendi Caesaris Rampazzetti, in eius testamento diei 29 februarii 1656 in actis domini Petri Gallina notarii, servata aeleaemosina triginta marculorum pro quaque missa, ut pariter ex eodem asserente constitit. Huic eidem altari alia est officiatura, relicta a quondam Francisco Asola in eius testamento diei 22 iulii 1630 in actis domini Christophori Martarelli notarii, ut idem dominus Panizza asseruit. Haec officiatura est quotidiana et habet onus officiandi in hac ecclesia et divinis officiis interessendi. Cappellanus eligitur a communitate amovibiliter et ad praesens est reverendus dominus Antonius Bondoni et pro stipe accipit fructum provenientem ex capitalibus |**235**^{v}| ascendentibus ad summam tronorum 17133.17, pro quo supplent, ex voluntate eiusdem communitatis, reverendi domini Ioannes Baptista Carella et Ioannes Baptista Verdina, filius domini Iacobi. Alia est officiatura, relicta a quondam reverendo domino Ioanne Baptista a Valle, in eius testamento 1666 in actis domini Antonii Panizza notarii, qui – ut fuit assertum a domino Sebastiano Carella, haerede praedicti testatoris – praeferendos voluit sacerdotes de familia Carella et ad praesens cappellanus est reverendus dominus Ioseph Carella, filius praedicti domini Sebatiani, haeredis et adimplet. Altare sancti Teodori, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure huius communitatis, cui subtus est locus ante clausus cum cratibus ferreis et seris, in quo sunt reliquiae ex ligneo sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi et ex ossibus sanctorum Christi martyrum Honesti, Innocentiae, Albani, Clementiae, Donati et Pacificae, recognitae iam in postrema visitatione anni 1732, quas reliquias vidit suis sigillis et autenticis litteris munitas, approbavit; alias vero, quae in eodem loco in separata arca servantur, nullis signis autenticis aut documentis instructis, sed ab antiquo tempore, ut apparet ex earum cathalogo typis tradito anno 1627 – in hac ecclesia existentes, in sua veneratione, Praedecessorum suorum decretis inhaerendo, reliquit. Sacram vero Crucis reliquiam, thurificatione adhibita, deveneratus |**236**| est. In hoc altari est officiatura quotidiana, instituta ex voto huius spectabilis communitatis pro liberatione a peste anni 1577, iuxta decretum eiusdem communitatis 31 decembris 1578, cui ipsa communitas eligit cappellanum amovibilem, qui nunc est reverendus Dominus Andreas Carella, qui ab ipsa communitate accipit stipem tronorum 560, ut fuit a praedicto domino Panizza assertum, et satisfit. Altare sancti Nicolai de Tolentino, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum, cum icone depicto, de iure huiusce communitatis, in quo duae sunt cappellaniae: prima relicta a quondam Bernardino a Pare, in eius testamento 30 iulii 1630 in actis quondam Christophori Martarelli, aucta vero a quondam Magdalena a Pare eius nuru, ut ex eius testamento diei 12 augusti 1664 in actis domini Petri Gallina notarii, cuius officiaturae commissaria est communitas et ministrat capitalia eidem obnoxia, quarum fructus assignantur cappellanis, qui modo sunt reverendi domini dominus Petrus Girelli et Ioannes Baptista Panizza, a quibus satisfit interessendo etiam divinis officiis et adiuvando in cura animarum, iuxta ordinationem praedictae Magdalenae testatricis, ut assuerit praedictus dominus Panizza. Iidem reverendi Girelli et Panizza adimplent oneri alterius officiaturae, dependentis ex legato quondam Iacobi Savoldi, |**236**^{v}| qui reliquit libras mille planeti, ut ex eorum fructu tot missae celebrarentur quot possint celebrari iuxta eorum vires; cappellanis suprascriptis assignata est aeleaemosina solidorum triginta pro quaque missa, ut fuit assertum. Alia etiam officiatura hic adest, ut fuit assertum a praedicto domino Panizza cancellario, ex testamento quondam Antonii Franchetti diei 14 augusti 1630 in actis domini Ludovici Pistane notarii, cum onera celebrandi tot missas quot ex relictis capitalibus celebrari possint, cum aeleaemoina triginta solidorum pro quaque missa; cui officiaturae cappellanus amovibiliter a communitate electus est reverendus dominus Felix Cerubini, qui adimplet. Quibus habitis, ad aedes parochiales reversus prandium sumpsit et paulisper quieti se tradidit. Die antedicta 29 maii 1743 post prandium. Convocatis iam per consueta signa in hac parochiali ecclesia pueris scholae doctrinae christianae, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes parochialem ipsam adivit in eaque pueros et adultos in huiusmodi sancti operis exercitio per varias et singulas interrogationes circa fidei orthodoxae misteria aliaque ad aeternam salutem neccessaria expertus est illosque bene edoctos, non sine animi sui laetitia, inveni, muneraque ad id a schola ipsa parata recte respondentibus distribuit. Vocavit deinde ad se ecclesiasticos operarios et |**237**| laicos, quos omnes hortatus est enixe ad incumbendum totis artubus huiusmodi sancto operi, ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem. Oblatos etiam sibi libros ipsius scholae vidit et visitavit, ex quibus frequentiam et respective negligentiam in hoc sancto exercitio, tam ecclesiasticorum quam laicorum operariorum, comperuit; dimissis pueris et operariis huisce scholae visitavit altare sancti Rocchi, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis ligneum cum imagine ex ligno sculpta et depicta eiusdem sancti Rocchi sub crystallis, de iure

societatis eiusdem tituli sancti Rocchi (quae canonice errecta apparet ex recognitione in postrema visitatione anni 1732) a qua manutenetur. Haec societas habet suos redditus, prout enunciatur in praedicta visitatione, ex quibus satisfit oneri quatuor missarum in hebdomada, relictarum a quondam Antonio Sandrinelli quondam Sandrini, in eius testamento diei 4 septembris 1592 in actis quondam domini Ioannis Baptistae Verdina, a quo praeterea ordinatum fuit ut, statis temporibus in eodem testamento descriptis, officium perageretur, ut antedictus dominus Panizza cancellarius communis asseruit. Cappellanus eligitur a societate amovibiliter, qui modo est reverendus dominus Ioseph Sembinelli, qui accipit stipem pro iisdem missis et officio tronorum 355. |**237**^{v}| Altare sancti Francisci de Paula, errectum ex piorum aeleaemosinis, ex quibus etiam manutenetur, marmoreum cum portatili et icone depicto. A spectabili hac communitate concessum fuit ut admitteretur supplicatio quorumdam piorum pro erigendo ipso altari et eorum votis annuit prout constat ex actu diei 4 iulii 1736, viso et restituto. In hoc altari nulla est officiatura seu obligatio missarum, sed in eo tantum celebratur ex devotione. Ostensa fuit reliquia ex sacris ossibus sancti Francisci de Paula praedicti, in theca argentea formae ovalis cum crystallo in parte anteriori, alias sub die 9 februarii 1737 in hac curia episcopali approbata, quam invenit litteris et sigillo munitam ideoque ipsam recognovit et deveneratus est. Altare sancti Bartholomaei, marmoreum cum portatili et icone depicto, recens errectum, in quo a proxime praeterita solemnitate paschali celebrari incoepit, quamvis a die 23 ianuarii 1696 ab hac curia episcopali concessa fuerit licentia illud errigendi, ut ex actu viso et restituto. Hoc ipsum altare errectum fuit iuxta intentionem quondam Bartholomaei Ardesi, expresssam in eius testamento diei 31 iulii 1692 in actis domini Antoni Panizza quondam Ioannis Baptistae notarii – viso et restituto – et iuxta voluntatem quondam Marthae Ardesi eius uxoris, expressam in suo |**238**| testamento diei 15 ianuarii 1696 in actis domini Dominici Carella notarii, viso et restituto. Cum praedictus testator instituerit haeredem confraternitatem disciplinatorum vulgo *del Corlo*, cum onere celebrari faciendi quatuor missas in hebdomada in hoc altari, quatenus a sua uxore erigeretur et cum onere etiam manutenendi ipsum altare non modo sed etiam mappas, candelabra et lampadem ac demum quidquid erit neccessarium pro dicto altari ac etiam suppellectiles et cereos pro celebratione praedictarum quatuor missarum, hinc quamvis in comparandis suppellectilibus, quae nunc in hoc altari existunt et confraternitas ipsa haeres ut ante et dominus Carolus Panizza, commissarius testamentariae dispositionis praedictae Marthae testatricis, convenerunt nihilominus altare ipsum et eius suppellectiles sunt manutenendae deinceps iuxta dispositionem praedicti Bartholomaei Ardese. Cappellanus huius officiaturae quatuor missarum est reverendus dominus Augustinus Barzoni, a praedicta venerabili confraternitate amovibiliter electus et accipit stipem scutorum quinquaginta brixiensium ab ipsamet confraternitate, iuxta ordinationem praedicti testatoris Ardese et satisfacit suae obligationi. Praedicta vero Martha, uxor suprascripti Bartholomaei Ardesi, in eius testamento supra relato praeter ordinationem |**238**^{v}| errectionis huius altaris, iussit ut, ex capitali legato, fructus impenderentur in celebrari faciendo alias tres missas in hebdomada in hoc ipso altari, quos fructus cappellano a se electo assignavit, cui dedit facultatem substituendi successorem commissarium et ita successive usque in infinitum. Ad praesens cappellanus huius officiaturae est reverendus dominus Angelus Tessadri, qui percipit ex capitalibus relictis reditus triginta septem scutorum brixiensium et oneri adimplet. Altare sancti Sebastiani, in mensa marmoreum cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, de ratione communitatis in quo canonice errecta fuit societas beatae Virginis Mariae a Cinctura, ut constat ex recognitione in praecedenti visitatione facta anno 1732. Haec societas nullos habet redditus neque onera. In hoc altari est simplex benefitium sub titulo sancti Iacobi, de iure patronatus huius comunitatis, institutum a quondam Cominciolo quondam Ioannis Accursii Busoni, in eius codicillo diei 25 iunii 1398 in actis Bartholomaei Bertoldo quondam Ioannis notarii de Gardono Salodii, ut constat ex libris eiusdem communitatis, ut asseruit dominus Panizza, eiusdem cancellarius et ut apparet ex actu infrascriptae reductionis, viso et restituto, cum onere primum missae quotidianae, quod onus deinde, auctoritate ordinaria, die 15 ianuarii 1649 reductum |**239**| et mderatum fuit ad celebrandas missas iuxta mentem fundatoris singulis diebus festis de praecepto et bis etiam singulo quoque mense die aliquo feriali, ut ex actu praedicto, cui et coetera. Cum vero postmodum bona relicta ab eodem institutore vendita fuerint et ex eorum praetio percipiuntur troni 466.12 – ut asseruit reverendus dominus Felix Arrighi, cappellanus institutus cum litteris episcopalibus diei 17 februarii 1717 – ut communitas adimpleret intentioni praedicti institutoris, decrevit in eius honorando consilio ut a cappellano tot missae celebrarentur quot poterunt celebrari iuxta vires eorumdem redituum, assignata aeleaemosina solidorum quadraginta pro quaque missa celebranda diebus festis de praecepto et solidorum triginta pro ferialibus, detractis tamen impensis occurrentibus ex quo, cum appareat auctum esse numerum missarum, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decretum ipsum spectabilis communitatis sua auctoritate approbavit et ita exequendum mandavit. In hoc ipso altari reverendus dominus Petrus Verdina, cappellanus electus a

spectabili communitate, celebrat missas triginta octo, iuxta piam dispositionem quondam Antonii Segala, ex eius testamento diei 15 octobris 1511, ut retulit praedictus dominus Panizza, cancellarius communis et satisfacit oneri. Visitavit cappellam et altare sanctissimi Sacramenti, in qua tamen |**239**^{v}| modo ipsum Sacramentum non servatur, cum ipsa cappella modo inserviat pro sacristia donec reaedificata fuerit ecclesia viditque et visitavit cappellam ipsam, eleganter constructam et altare cum tabernaculo, quod ex marmoribus consurgit, cum portatili et imaginibus sacris depictis. Huic altari est societas eiusdem sanctissimi Sacramenti, antiquitus errecta, quae habet reditus tronorum supra bis mille et impenduntur pro comparandis suppellectilibus neccessariis pro associando eodem divino Sacramento, quae decentes habentur et pro providendo de cereis aliisque quae occurrunt in functionibus, vel dum exponitur vel dum fit processio, ut supra dictum est in visitatione eiusdem sanctissimi Sacramenti in altari maiori. Praeterea ipsa societas ex iisdem reditibus missas et officia celebrare facit ac alia praestat, iuxta obligationes descriptas in pagella posita iuxta hoc ipsum altare, cuius copia exhibita fuit et in fine huius libri posita ad litteram P et habet diversos cappellanos a quibus satisfit, quorum nomina et stips descripta sunt in notula exhibita et ut supra posita. In hoc ipso altari aliae extant officiaturae, quarum obligationes spectant ad hanc ipsam societatem, ut in alia pagella existente in sacristia, cuius |**240**| exemplar exhibitum fuit et infra positum sub littera P, in qua tabella aliae quoque describuntur obligationes spectantes ad communitatem et ad alias scholas in hac ecclesia errectas, quibus obligationibus satisfit. Visitavit in hac eadem cappella vasa et suppellectiles sacras ad missam celebrandam neccessaria, in nonnullis armariis disposita quaeque descripta sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito ad litteram P et de quibus bene provisum esse invenit. His actis, in aedes parochiales regressus est ac, depositis longioribus episcopalibus vestibus assumptisque brevioribus nigris, ad visitandum illustrissimum et excellentissimum superius nominatum provisorem, cum suis familiaribus, se contulit, quem adhuc invalidum vidit cuique cum omne humanitatis suae, amoris et respectus argumentum declarasset parique modo ab eo exceptus fuisset, iterum ad ipsas aedes reversus est et, cum nox procederet, in suo lectulo quievit. Die iovis 30 mensis maii 1743. Summo mane reverendissimus dominus provicarius generalis, una cum me notario, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta et primum: [a margine: beata Vergine Maria di San Martino] visitavit oratorium publicum seu simplicem ecclesiam Beatae Virginis Mariae Sancti Martini nuncupatae, infra limites ecclesiae |**240**^{v}| parochialis Leonati, in qua tria vidit altaria: maius scilicet, marmoreum cum portatili partimque ligneum, eleganti forma elaboratum, cum imagine sculpta eiusdem beatae Virginis Mariae, sub crystallis, de iure communitatis Leonati, prout et ipsa ecclesia. Imago ipsa, quam olim populus leonatensis peculiari cultu est veneratus, ut patet ex magnificentia eiusdem ecclesiae et altarium qua constructa apparent, adhuc etiam eodem cultu veneratur; nam circum signa eiusdem cultus ex votis plurimis appensis videntur. Adest huic altari officiatura quotidiana ex legato Rizzo nuncupato et cappellanus est reverendus dominus Paulus Mozzini, qui huic obligationi satisfacit et stipem accipit ex fructibus sibis assignatis a communitate. Alia etiam officiatura adest quinque missarum in hebdomada, quae ut celebrentur curat communitas ex capitalibus coalitis ex piorum aeleaemosinis, quae aedificationi huius ecclesiae superfuerunt. Cappellanus huius officiaturae est reverendus dominus Antonius Bonatelli et ab ipsa communitate accipit stipem pro missis, quibus adimplet. Demum tertia est officiatura unius missae in singulis sabbathis, ex legato Astolfi, quam exercet reverendus dominus Carolus Astolfi, qui illam in partem sui tituli possidet et oneri adimplet. |**241**| Altare sancti Laurentii Iustiniani, ex marmore constructum, cum portatili et icone depicto, de iure nobilis familiae Savoldi, a qua manutenetur. In hoc altari est obligatio celebrandi missam omnibus diebus sabbathi, ex legato annunciato in postrema visitatione anni 1732, cui adimplet reverendus dominus Franciscus Sperini. Altare sancti Martini episcopi, cum mensa marmorea, portatili et icone depicto; caeterae eius partes ex gypso elaborato constructae sunt, prout etiam palium ex ligno depicto habet. Hoc altare est de iure familiae Mozzini, a qua manutenetur; nulla in eo est obligatio missarum, sed tantum ex devotione celebratur. Retro altare vidit chorum, in cuius prospectu est organus eleganter constructus et inauratus. Visitavit sacristiam et in ea, in armario ex nuce, vasa sacra et suppellectiles ad sacrum faciendum neccessaria, de quibus sufficienter provisum invenit et ut ex pollicea exhibita et infra posita ad litteram P. Vidit etiam librum in quo celebrantes propria manu se se describunt. Visitavit confessionale, quod adhuc servatur ibidem de licentia domini archipraesbyteri, ut etiam in praecedentibus visitationibus enunciatur. Vidit etiam domum proximam, quam inhabitat Benedictus |**241**^{v}| Frera, huius ecclesiae custos nec non campanile, cum unica campana. Ordinata. Confessionali ponantur novae crates cum foraminibus minutioribus et a parte poenitentium ponantur imagines devotae. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Zeno] Visitavit oratorium publicum Sancti Zenonis, de iure communitatis et infra limites parochialis Leonati, cum unico altari ligneo, portatili et imagine sancti Zenonis sculpta et aliis imaginibus depictis; quod oratorium, ex antiqua traditione, habetur fuisse olim ecclesiam parochialem, quod

etiam noscitur ex eius structura quae tempus perantiquum ostendit et manutenetur a communitate Leonati. In hoc oratorio nulla est obligatio missarum, sed communitas in die sancti Zenonis et eius translationis huc convenit et missas solemnes celebrari facit; habet suum campanile, cum una campana. Vidit sacristiam, sed nulla ibidem existunt paramenta, eo quod communitas onus subministrandi neccessaria huic ecclesiae paramenta iniunxit sacristiae Beatae Virginis Mariae Sancti Martini, propinquiori huic eidem oratorio. Ordinata. Erigatur crux ferrea in culmine tecti - |**242**| perpoliatur superficies huius ecclesiae, ita tamen ut imagines antiquae adhuc videantur – locus sacristiae restauretur in eius tecto et amoveatur ac obturetur foculare et muri perpoliantur. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria di Sedene] Vidit subinde oratorium publicum Beatae Virginis Mariae ac Sancti Ioseph, in contrata Sedene, infra limites parochialis Leonati, de iure dominorum de Gallinis de Leonato, cum unico altari ligneo cum portatili, super cuius altare affixa est tabela parva pro icone. Vidit portatile distans admodum a pectore celebrantis, vidit muros rudes eiusdem oratorii et tectum male tentum et informe. Observavit adhuc errectam non esse sacristiam et nulla existere paramenta pro sacrificio missae offerendo; fenestras destitutas esse retibus ferreis; quaporpter, donec oratorium ipsum rite instructum de omnibus neccessariis et constructum sit ut decet templum Dei et donec per attestationem admodum reverendi domini vicarii foranei de his omnibus doctum fuerit, ipsum oratorium suspendit et suspensum declaravit. [A margine] Stante exeqution huius decreti, concessa fuit facultas celebrandi, ut in filo ecclesiae *Oratoria et Altaria* sub die 29 augusti 1749. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Quirico] Visitavit oratorium publicum sanctorum Quirici et Iulitae martyrum, situm in contrata Barcosis, cum unico altari cum mensa marmorea, portatili et imagine beatae Virginis Mariae sub crystallis, in cuius lateribus depictae sunt imagines |**242^{v}**| eorumdem sanctorum Quirici et Iulitae, in reliquis ex muro constructum, de iure communitatis Leonati, a qua manutenetur. Hoc idem oratorium est intra limites paroeciae Leonati praedicti, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione et praecipue in die sanctorum titularium. Retro altare vidit locum pro sacristia, ubi est armarium ligneum cum paramentis, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Vidit confessionale, de licentia domini archipraesbyteri in hoc oratorio tentum pro excipiendis sacramentalibus fidelium confessionibus. Nulla habetur in hoc oratorio obligatio missarum, sed tantum in eo celebratur ex devotione. Ordinata. Exequantur ordinationes in visitatione anni 1711 de elevando parumper portatile, de providendo de ramatis ad fenestras iuxta portam ipsius oratorii, de palio novo apponendo, de baldachino super altare collocando – mutentur mappae et mundae semper serventur, super quas adsit stragula. Quibus habitis et cetera. Visitavit oratorium publicum Sancti Cipriani, infra fines parochialis Leonati, cum unico altari ligneo cum portatili et icone depicto, de iure contratae eiusdem |**243**| Sancti Cipriani. Hoc oratorium visitantibus in die festo eiusdem sancti Cipriani concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 22 decembris 1740, in hac cancellaria episcopali approbato die 2 iunii 1741. Oratorium istud habet sua capitalia descripta in visitatione anni 1711, ex quorum fructibus et ex piorum eleaemosinis manutenetur et celebratur in eo diebus festis a reverendo domino Benedicto Robazzi. Retro altare adest locus pro sacristia, in quo servantur paramenta, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Ordinata. Paramenta lanea viridi et rubri coloris suspendit et suspensa declaravit – sarciatur seu potius renovetur ianua ecclesiae et tute claudatur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Tomaso]. Visitavit demum publicum oratorium Sancti Thomae Apostoli, intra limites parochialis Leonati, cum unico altari cm mensa marmorea, cum portatili et icone depicto; in palio vero et gradibus ligneo. Hoc oratorium manutenetur a tribus contratis, scilicet a contrata vulgo *dei Prè*, alia *Brodena* et tertia *di San Paulo* nuncupata. |**143^{v}**| Hic est errectum beneficium simplex, de iure patronatus infrascriptorum, scilicet maioris natu familiae Forzani, una cum duobus electis ab originariis contratae *Brodena* et aliis duobus electis ab originariis contratarum *di San Polo* e di *Prè*, ut ex testamento quondam reverendi domini Thomae Forzani diei 31 augusti 1630 in actis Ioannis Baptistae Cartarii notarii, viso et restituto, ad quos spectat ius eligendi et praesentandi, cum onere celebrandi quatuor missas in hebdomada, quod nunc possidetur a reverendo domino Iosepho Forzani quondam Thomae, electo ut supra et instituto, ut constat ex bullis huius curiae episcopalis diei 25 maii 1735, quas ostendit et oneri adimplet. Aliud beneficium simplex est errectum, de iure patronatus familiae Carellae, ad quam spectat ius eligendi et praesentandi, cum onere celebrandi missam omnibus diebus festis de praecepto, quod nunc possidetur a reverendo domino Sancto Carela, electo et instituto, ut apparet ex bullis episcopalibus diei 6 februarii 1737, quas obtulit et oneri satisfacit. Vidit confessionale, de licentia domini archipraesbyteri in hac ecclesia seu oratorio tentum pro sacramentalibus christfidelium confessionibus excipiendis. Visitavit sacristiam et in ea sacra paramenta et alia ad sacrum faciendum neccessaria, de quibus satis provisum esse invenit. Vidit quoque campanile, in quo unica tantum extat campanula. |**244**| Ordinata. Ponatur in sacristia novum armarium pro servandis paramentis et sacris suppellectilibus pro sacrifitio missae, cum distinctis

loculis prout neccessarium est quoad ipsa paramenta. Decretum. Reverendissimus dominus provicarius generalis decrevit ut suprascripti cappellani, toties quoties celebrant in hoc oratorio iuxta eorum obligationes, in libro semper servando in sacristia se subscribant, declarantes intentionem pro qua applicaverint, sub poenis arbitrio illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi infligendis. Quibus habitis et cetera. Hora iam properata, reverendissimus dominus provicarius generalis ad parochialem ecclesiam regressus, in qua interea et dum praemissa agerentur illustrissimus et reverendissimus antistes sacrosanctum missae sacrifitium obtulit aeterno Patri ac quamplurimis utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem erogavit et supra quingentos sacro Chrismate linivit. Hisce actis, ad aedes parochiales reversus, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 30 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul ecclesiam parochialem antedictam adiit, ubi puellae scholarum sanctae Mariae *del Corlo*, sancti Antonii |**244**^{v}| abbatis et sancti Iacobi huius terrae convocatae fuerunt iisque dispositis per ipsam ecclesiam, iussit ut reverendo domino Ioanne Baptista Panizza suo more interrogarentur, quas interrogatas ac respondentes cognovit in primis instructas christiana doctrina, ex quo coniecit diligentiam ipsiusmet sacerdotis aliorumque qui in illis instruendis curam impendunt. [A margine: Beata Vergine Maria dal Corlo] Hoc exercitio confecto, plurimos sacro Chrismate perunxit ac deinde ad visitandum oratorium in hoc fortilitio positum, sub titulo Beatae Virginis Mariae, vulgo *dal Corlo* se contulit, in cuius ianua reverendus dominus Carolus Andreas Grecco, curatus ecclesiae parochialis, illi aspergillum porrexit, quo populum seque ipsum lustrali aqua signavit. Hoc oratorium est prope portam huius arcis versus Brixiam, de ratione societatis disciplinatorum, a qua manutenetur, cui etiam annexae sunt obligationes plurimae, quae describuntur in tabella legatorum in sacristia existenti. In hoc oratorio tria sunt altaria, quorum maius visitavit, marmoreum eleganter constructum, cum portatili et imagine beatae Virginis Mariae sub crystallis. Vidit in hoc altari, super gradus a candelabris, stabile tabernaculum marmoreum errectum interrogavitque praesentes confratres qua auctoritate aut iure errectum responsumque fuit a domino Petro Gallinetti et domino Ioanne Ongarino de Ongarinis confratribus constructum fuisse |**245**| paucis ab hinc annis idem tabernaculum, sed nescitur qua auctoritate aut iure illud errectum fuerit; quapropter idem illustrissimus et reverendissimus antistes decrevit ne in eodem tabernaculo aliquis ex cappellanis huius scholae aut ex sacerdotibus, etiam a paroco delegatis, audeat ibidem ponere divinum sacramentum Eucharistiae donec in forma doctum fuerit de canonica eiusdem tabernaculi errectione; aliter quicumque sacerdos non paruerit ac reposuerit idem Sacramentum in eodem tabernaculo, ipso facto sit a divinis suspensus et ita et cetera. In hoc altari celebratur iuxta obligationes respective huic altari adnexas et descriptas in praedicta tabella et partim adimplentur a reverendo domino Iuliano Gallineto, primario cappellano huius confraternitatis et ab aliis pariter cappellanis. Visitavit altare Sanctissimae Trinitatis, cum mensa marmorea, portatili et icone depicto, quod est in reliquis partibus ligneum et subest iuri eiusdem confraternitatis, a qua manutenetur. Hic est officiatura missae quotidianae, relicta a quondam Camillo Panizza, ut enunciatur in praedicta tabella, cuius cappellanus est reverendus dominus Andreas Franceschini, ab haeredibus eiusdem Camilli electus. Alia officiatura quoque existit, relicta a quondam Vincentio Arizzi, itidem enunciata in ipsa |**245**^{v}| tabela, cum onere missarum sex in hebdomada, quas celebrat reverendus dominus Iacobus Montanari, unus ex vocatis eius haeredibus. Visitavit altare sancti Michaelis, cuius mensa est marmorea cum portatili et habet palium ex chorio et iconem depictum; reliquae eius partes sunt ligneae, quod pariter est de ratione eiusdem confraternitatis et ab ea manutenetur. Hic est officiatura missarum, ad praesens, 306 in anno, de qua in praedicta tabela; eas missas celebrat reverendus dominus Ioseph Laurentius Pizzocoli. In hac ecclesia exercetur schola doctrinae christianae pro feminis, ex voluntate admodum reverendi archipraesbyteri, cuius arbitrio duo etiam servantur confessionalia. Visitavit sacristiam viditque exposita paramenta et sacra utensilia, de quibus ipsa decenter et ornate est instructa. Adest campanile, cum duabus campanis. Haec confraternitas, vulgo disciplinatorum dicta, enunciatur in postrema visitatione anni 1732, ultra saeculum inde errectam et eius confratres conveniunt ad hoc oratorium, ad recitandum officium beatae Virginis Mariae diebus festis et intersunt processionibus albo induti sacco. Ordinata. Cooperiantur imagines nudae et lascivae circum cappellam sancti Michaelis - |**246**| confessionali iuxta ipsam cappellam apponatur crates nova cum minutioribus foraminibus termino unius mensis, quo elapso et non parito confessionale ipsum sit suspensum – imagines piae utrique confessionali a parte poenitentium et pagella casuum resservatorum a parte confessariorum apponantur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giuseppe] Visitavit subinde oratorium Sancti Ioseph, intra limites suprascriptae parochialis Leonati, erretto a quondam Iosepho Robazzi et ab eo dotatum anno 1620, ut apparet ex lapidea inscriptione in muro facta a parte epistolae, nunc vero manutentum a confraternitate infrascripta. Unicum in eo est altare, marmoreum cum portatili et imagine sancti Ioseph huc a praedicto Robazzi translata ut (ex eadem inscriptione), quae est lignea, sub crystallis. In hoc altari duo sunt officiaturae quotidianae, relictae ab

institutore Robazzi, pro quibus decretum fuit ut singulo earum cappellano erogarentur ducati nonaginta de grossis triginta uno pro quoque, ut apparet ex decreto diei 24 martii 1724, edito a felicis memoriae Marco Gradonico episcopo veronensi; super quo, cum illustrissimus et reverendissimus praesul interrogasset an eadem quantitas stipis singulo cappellano erogaretur, responsum habuit erogari stipem scutorum septuaginta duarum brixiensium; quod, cum contra tenorem praedicti decreti fiat nullaque ratione |**246**^{v}| innitatur huiusmodi usus, monuit confratres huius oratorii ut eidem decreto pareant; aliter, si secus fecerint, ad restitutionem tenebuntur, detinentes reditus qui sibi non conveniunt sed ad sacerdotes celebrantes spectant. Vidit in eodem altari sacras reliquias, descriptas et recognitas in visitatione anni 1732. Vidit etiam sacram reliquiam ex palio sancti Ioseph, in theca ex auricalco, sigillo et litteris autenticis munitam, alias in hac curia episcopali recognitam sub die 28 iulii 1738, quas omnes approbavit et deveneratus est. Confraternitas in hoc oratorio est sub titulo sancti Ioseph, cuius confratres induunt saccum album cum cappuccio violaceo et intersunt processionibus quae in hac parochiali fiunt. Vidit confessionale, in hoc ipso oratorio de licentia domini archipraesbyteri tentum pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus nec non organum et campanile, cum una campana. Alias obligationes habet haec societas, quae descriptae sunt in pollicea exhibita et in fine posita ad litteram P. Vidit sacristia et in ea paramenta aliasque suppellectiles sacras, servata in armariis ex nuce, de quibus bene instructam esse invenit et quae descripta |**247**| sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera P. Hisce absolutis, ad aedes antedictas se restituit, quieti in proprio cubiculo se tradidit et incoenatus obdormivit. Die veneris 31 mensis maii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, suam pastoralem visitationem acturus de ecclesia Sanctae Mariae ab Angelis seu Sanctae Crucis Leonati, vulgo *delle Cappuccine*, ad sanctimoniales eiusdem ecclesiae et monasterii opportune intimatum, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, caeremoniarum magistro, me notario caeterisque suis familiaribus ad eamdem ecclesiam se contulit, in cuius ianua sub baldachino receptus et stratus, crucem sibi a reverendo domino Dominico Pini, sacerdote theologiae doctore et ipsarum monialium confessario ordinario oblatam, praevia adoratione deosculatus est servatisque ritibus et, fusis subinde ante divinum Sacramentum precibus, thronum sibi paratum ascendit, in quo violacei coloris paramentis sumptis, exequias pro defunctis absolvit ac deinde, iis exutus susceptisque albis coloris paramentis, adoratione, hymno et thurificatione praemissis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea cum suo conopeo et in tabernaculo ex nuce servato, quod clauditur sera et clavi, quae est argentea. Interrogatus reverendus confessarius num iuxta regulas statis |**247**^{v}| temporibus moniales hoc Sacramento comunicent et an illis ministretur iuxta constitutiones ecclesiasticas ac praesertim synodales huius diaecesis tam ad ostiolum quam per modum Viatici, respondit non modo moniales communicari statis temporibus iuxta regulas, sed eius Sacramenti ita famelicas esse ut quotidie cuperent etiam communicari; dum vero ministratur sanctissima Eucharistia, rite ab ipso illis ministrari iuxta constitutiones. Sacramenti visitatione peracta ac populo praesenti et monialibus benedictis, accessit ad ostiolum cum eodem Sacramento, quod ostiolum vidit et visitavit et rite confectum invenit custoditum, cum duabus clavibus, una pro ostio interiori, altera pro exteriori; deinde monialibus ipsis idem Sacramentum elargitus est. Missam subinde celebravit, qua absoluta depositisque sacris indumentis, visitavit tria altaria in hac ecclesia existentia. Et primum: altare maius, quod est consecratum, sicuti ecclesia ipsa, cum palio et icone depicto, caeterae eius partes ex nuce architetonice constructae; ibidem observavit retro tabernaculum crates ferreas dupplices, per quas prospicitur in chorum interiorem monialium, quae tamen clauduntur a tela nigra, ita ut in chorum ipsum prospici non possit. Ad hoc altare nulla est adnexa officiatura, sed in hac ecclesia tres celebrantur, |**248**| quarum prima, quae dicitur *Gattamelà*, est quotidiana, cuius cappellanus est reverendus dominus Ioseph Orlandinus; secunda, appellata *Maifroni*, habet onus duarum missarum in qualibet hebdomada, pro qua celebrat suprascriptus reverendus dominus Dominicus Pini qui, ex aliis legatis pro quibus percipit fructus ex capitalibus investitis in venerabili schola sancti Rocchi Venetiarum, alias missas celebrat, unde quotidie hic celebrat; tertia officiatura, *Piccoli* dicta, habet onus celebrandi bis in hebdomada et celebrat pro isto onere reverendus dominus Carolus Montino. Altare sanctissimi Crucifixi, cum portatili et icone depicto; ceterae eius partes ex nuce eleganti forma constructae sunt, in quo nulla habetur praecisa obligatio missarum. Altare sancti Petri de Alcantara, cum portatili et icone depicto, alias dictum sanctarum reliquiarum, quod caeteras partes habet ex nuce perpolite elaboratas, in quo itidem nulla est praecisa obligatio missarum. In hoc altari sunt reliquiae descriptae in postrema visitatione anni 1732, quas vidit et in sua veneratione reliquit. Vidit confessionale, in quod ingreditur per ostium quod communicat cum ecclesia viditque ipsum exterius munitum esse crate ferrea, post quam est lamina quoque ferrea cum foribus, cuius retro est tela nigra connexa cum ipsamet lamina; quod confessionale |**348**^{v}| rite constructum invenit et approbavit. Visitavit sacristiam, quam rite efformatam et de omnibus neccessariis ad

eiusdem usum provisam invenit. Visitavit altam ianuam per quam in choro interiori poriguntur in ecclesiam exteriorem palia altarium, positam iuxta altare maius in basi columnae ipsius a parte evangelii, quae clauditur duabus seris et clavibus interius et exterius et claves ipsae custodiuntur a reverenda matre abbadissa. Vidit rotam iuxta ipsum altare maius a parte evangelii, per quam paramenta emittuntur in ecclesiam eamque observavit caute confectam et custoditam. His absolutis, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta, in hoc castro Leonati et intra limites huius parochialis ecclesiae existentia. [A margine: Sant'Antonio Abbate] Et primum, visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Antonii Abbatis, olim de iure domini archipraesbyteri huius loci, in cuius dominii signum confratres solvunt huic parochiali quot annis libras tres cerae, cum obligatione praesentandi cappellanum domino archipraesbytero, ut ab eodem admittatur et approbetur, qui nullas functiones facere possit in praeiudicium iurium parochialium neque uti stola nec aliquam benedictionem facere sine expressa licentia dicti domini archipraesbyteri; quin immo, cum resservatione domino archipraesbytero benedicendi habitus confratrum aut delegandi alium sacerdotem |**249**| sibi bene visum, ut constat ex actu licentiae dilatandi ipsum oratorium, quo actu supplicationi – qua confratres cum iisdem conditionibus licentiam postulaverunt – annuit illustrissimus et reverendissimus ordinarius et ut latius ex eodem actu diei 16 maii 1680, viso et restituto. In visitatione anni 1692 a felicis memoriae Petro Leoni episcopo veronensi habita, decretum fuit ut cappellani huius oratorii accedant celebraturi ad ecclesiam parochialem diebus solemnibus et unus remaneat ad celebrandum in hoc oratorio; caeteri vero – tam in castro quam extra castrum – accedant ad parochialem ut supra et hoc in virtutae sanctae obedientiae et in iuris subsidium, in pena suspensionis a divinis, prout idem decretum fuit quoad cappellanos ecclesiae disciplinatorum, ut apparet ex eodem decreto diei 8 septembris 1692, viso et restituto. Nunc vero hoc oratorium est de ratione confraternitatis Suffragii, quae successit in eodem iure et fuit errecta canonice et aggregata archiconfraternitati sanctae Mariae Suffragii de Urbe, ut ex diplomate diei primae maii 1725, publicato auctoritate huius curiae episcopalis, viso et restituto. In hoc oratorio tria altaria sunt: duo in ipsamet ecclesia, tertium in choro, ubi confratres conveniunt ad recitandas preces iuxta eorum institutum. |**249^{v}**| Visitavit altare maius, sancto Antonio abbati dicatum, marmoreum cum portatili et imagine sancti Antonii praedicti, sub crystallis ex ligno sculpta, quod est de iure eiusdem confraternitatis, a qua manutenetur. Hoc oratorium fuit dotatum a quondam domino Benedicto quondam Hieronymi Segala huius loci, in eius testamento diei 8 iunii 1593, exhibito, viso et restituto, in quo legavit quartam partem suorum bonorum huic ecclesiae, cum onere ut gubernatores ipsius ecclesiae teneantur quotidie et in perpetuum celebrari facere unam missam in hac ipsa ecclesia et sacerdos electus teneatur celebrare alia divina officia in ecclesia parochiali, ut faciunt alii sacerdotes obligati inservire dictae ecclesiae parochiali, sub poena privationis beneficii huius legati, in remedium animae suae. Haec officiatura errecta fuit in beneficium ecclesiasticum anno 1604, auctoritate vicarii generalis huius episcopatus, reverendissimi Florii Pindemontis, prout constat ex ducali diei 24 ianuarii anni praedicti, visa et restituta. Nunc vero rector huius benefitii est reverendus dominus Angelus Tessadri, qui habet bullas episcopales diei 27 maii 1725, ab ipso ibidem ostensas. Domini Lucas Cerubini, Carolus Antonius Franceschini et Paulus Panizza, omnes deputati a confraternitate et commissarii huius piae dispositionis humilime exposuerunt praedictum reverendum dominum Angelum Tessadri electum fuisse cum onere, praeter missas ab ipso celebrandas, excipiendi |**250**| etiam confessiones, quod onus cum modo non adimpleat, insteterunt a sua illustrissima et reverendissima dominatione decerni et suo decreto ad idem onus subeundum ipsum obliget sacerdotem ac praeterea ad praestandum quidquid est neccessarium pro exercitio huius officiaturae. E contra praedictus reverendus Tessadri humilime instetit decerni ac declarari non posse a confratribus obligari ad audiendas confessiones, cum ex institutione huius benefitii aut ex mente institutoris onus ipsum sibi non competat; quoad verum praestanda neccessaria pro missae sacrifitio, dixit se haec praestiturum quando docuerint confratres formiter sibi assignatos fuisse omnes redditus pertinentes ad quartam partem relictam pro hac officiatura ab ipso testatore. Super quibus illustrissimus et reverendissimus antistes decrevit, considerato tenore testamenti ac institutionis huius beneficii aliisque consideratis considerandis, non posse obligari cappellanum ad excipiendas confessiones; quoad verum ea praestanda quae sunt neccessaria pro officiatura huiusmodi exercenda, sibi resservavit decernendum quidquid et cetera, mandans interim ut doceatur de identitate capitalium obnoxiorum huiusmodi officiaturae et ita et cetera, omni et cetera. In hoc altari alia est officiatura instituta a quondam domino Ioanne Maria Ongarino, in eius testamento diei 9 septembris 1630 in actis Christophori Martarelli notarii, viso et restituto, in quo reliquit |**250^{v}**| huic ecclesiae, seu cappellano eligendo, quaedam bona in eodem testamento descripta, ad hoc ut, ex fructibus eorum, celebret tot missas quot a superioribus ecclesiasticis decernebuntur iuxta vires reddituum praedictorum, cum onere etiam inserviendi ecclesiae parochiali in divinis officiis, ut facere solent alii sacerdotes ibidem celebrantes. Huic officiaturae dominus

Andreas Gallinetti, in suo testamento diei 28 augusti 1673 in actis Dominici Carella notarii et reverendus dominus Petrus Gallinetti, in alio testamento diei 12 augusti 1684 in actis quondam domini Asdrubalis Panizza, alia bona a se relicta univerunt, ad hoc ut, ex fructibus eorum, tot missae celebrarentur iuxta eorum intentionem ibidem expressam ad vires eorumdem reddituum. Cappellano a se electo idem testator Ongarini dedit facultatem eligendi unum qui eligat sacerdotem cappellanum amovibiliter ac eamdem facultatem transmisit huic successoris et de successore in successorem et, quatenus non eligeretur ita successor, eamdem facultatem eligendi transfusit in spectabile consilium huius communitatis. Nunc vero ius istud est penes dominum Petrum Gallinetti quondam Hieronymi, qui fuit substitutus in hoc iure a reverendo domino Iuliano Gallinetti, ut constat ex actibus substitutionis diei 9 augusti 1730 et 27 maii 1731 in actis domini Iosephi Arrighi notarii, visis et restitutis. |**251**| Haec officiatura exercetur a reverendo domino Paulo Gallinetti, qui celebrat missas 224 in anno, cum aeleaemosina triginta solidorum pro quaque missa et a reverendo domino Andrea Gallinetti, qui reliquas missas celebrat iuxta vires reddituum huius officiaturae. Altare beatae Virginis Mariae a Suffragio, cui societas praedicta est errecta, cuius confratres induunt vestem lineam albam cum cappuccio laneo nigro, cingulo, pileo et baculo. Hoc altare habet mensam marmoream cum portatili; caeterae eius partes sunt ligneae, cum icone depicto. In hoc altari plurimae sunt obligationes, descriptae in tabella posita in sacristia, cuius copia exhibita fuit, infra posita ad litteram P. Quae obligationes adimplentur a suis cappellanis. Vidit sacristiam et in ea sacras suppellectiles, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Visitavit altare positum in choro, ut supra, in quo vidit illud marmoreum in mensa cum portatili fracto, in reliquis ligneum, cum icone depicto. Visitavit duo confessionalia, in hac ecclesia pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus, de voluntate domini archipraesbyteri tenta. In hoc ipso oratorio exercetur schola doctrinae christianae pro mulieribus, assentiente domino arcipraesbytero. Visitavit campanile, in quo vidit duas campanas extare. |**251**^{v}| Vidit etiam coemeterium huic ecclesiae adnexum, in quo exequias pro defunctis persolvit. Ordinata. Portatile altaris sancti Antonii abbatis elevetur ita ut supra mensam emineat illiusque rimulae obturentur – provideatur de paramento nigri coloris pro officiatura Ongarini – altare positum in choro sit suspensum donec de novo portatili provideatur – ponatur confessionalibus pagella casuum resservatorum ex parte confessariorum et aliqua devota imago ex parte poenitentium – eradantur herbae coemeterio, comburentur illarumque cineres spargantur in ipso coemeterio. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria della Vittoria] Visitavit publicum oratorium Beatae Virginis Mariae a Victoria, intra limites antedictae parochialis, de iure communitatis Leonati; in eo unicum vidit altare, in mensa marmoreum cum portatili et palio, in reliquis ligneum cum imagine eiusdem beatae Virginis Mariae, sub crystallis, ex ligno sculpta. Olim huic ecclesiae erat adnexum monasterium monialium ordinis sancti Benedicti, nuncupatum monasterium Sanctae Mariae a Victoria, ut enunciatur in testamento quondam Christophori de Zavatinis diei 18 augusti 1533 in actis Ludovici Panizzae notarii, |**252**| viso et restituto, in quo testamento praedictus testator reliquit bona sua eidem monasterio, cum onere quod teneatur manutenere unum sacerdotem qui quotidie celebrare debeat missam et alia divina officia et, quatenus deficiat monasterium, iussit ut in domo propria erigeretur unum hospitale cum eadem obligatione unius missae quotidianae, ordinando quod, in defectu eiusdem monasterii, ius patronatus huius officiaturae et hospitalis deveniat in communitatem huius loci. Cum vero nec monasterium hic fuerit nec hospitale errectum, haec officiatura in simplex beneficium ecclesiasticum apparet errecta et ad praesens eius rector est reverendus dominus Ioseph Dalla Maestra, cum litteris episcopalibus diei [*manca*] et habet redditus tronorum 433 circiter et tot missas celebrat iuxta vires eorumdem reddituum, ut a dicto testatore indultum fuit quatenus redditus non essent suffcientes pro missa quotidiana, cum aeleaemosina scilicet quadraginta solidorum quoad missas celebrandas diebus festis de praecepto et triginta solidorum quoad illas in diebus ferialibus. Rector ipse, cum exposuerit iuxta ecclesiam hanc sitam adesse domum de ratione sui beneficii, quae indiget reparatione et supplicaverit ut a sua illustrissima et reverendissima |**252**^{v}| dominatione decernatur impendi aliquam partem fructuum obnoxiorum eidem beneficio in eiusdm reparationem, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit impendendum esse ex iisdem redditibus decem scuta in anno, donec eadem domus in bona et laudabili forma sit reparata, mandans ut huic reparationi domini deputati a spectabili communitate huic ecclesiae superintelligant, ad hoc ut canonice et recte fiat reparatio ista et ita et cetera. Alia cappellania errecta fuit a quondam reverendo domino Paulo Zavatino, in eius testamento diei 26 septembris 1596 in actis domini Iacobi Rondelli notarii veronensis, cum onere celebrandi tot missas iuxta redditus, quae pariter cappellania est de iure patronatus huius communitatis et confertur cum bullis episcopalibus. Hoc beneficium possidetur modo a reverendo domino Paulo Resino, ut ex eius bullis episcopalibus diei 23 iulii 1728, visis et restitutis; habet redditus tronorum 346, pro quibus tot missas celebrat cum aeleaemosina solidorum quadraginta pro missis festivis et triginta solidorum pro missis

ferialibus. Vidit sacristiam et in ea paramenta pro sacro faciendo neccessaria, de quibus bene esse provisum invenit. Vidit campanile, in quo est una tantum campana. Supplicationibus demum custodis huius ecclesiae humiliter sibi porrectis benigne annuens, illustrissimus et reverendissimus antistes concessit ut aperiretur fenestra in cappella |**253**| altaris huius oratorii a parte epistolae, dumodo rite sit constructa et sua ramata et spera vitrea munita et dumodo cementa in usum prophanum non convertantur. Ordinata. Obturetur fenestra prospiciens ab ecclesia in aedes privatas – fiat in sacristia labrum cum situla habeaturque manutergium ad abluendas et abstergendas celebrantium manus. Quibus absolutis, ad aedes parochiales regressus, prandium sumpsit et parumper obdormivit. Die antedica 31 maii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem antedictam se contulit sumptisque sacris indumentis, nonnullos petentes sacro Chrismate linivit. Ad domum parochialem subinde restitutus, in proprio cubiculo, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Iulianus Gallinetti, sacerdos aetatis annorum 76 circiter, cum mandato pro cura animarum, confirmato die 29 aprilis 1743, cui non confirmandum esse decrevit nisi ex suo speciali ordine. Reverendus dominus Paulus Mozzino, sacerdos aetatis annorum 76 circiter, qui non ostendit sua mandata, cum a militibus exteris inter alia eius bona direpta fuerint. Reverendus dominus Paulus Forzani, sacerdos aetatis annorum 75 circiter. |**253^{v}**| Reverendus dominus Ioseph Orlandini, sacerdos aetatis annorum 73 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum hodie confirmato. Reverendus dominus Andreas Gallinetti, sacerdos aetatis annorum 69 circiter, qui fuit canonice admonitus ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus dominus Iacobus Franceschini, sacerdos aetatis annorum 63 circiter, cum madato pro cura animarum, ad annum confirmato die 2 ianuarii 1743. Reverendus dominus Paulus Greco, sacerdos aetatis annorum 63 circiter. Reverendus dominus Petrus Girelli, sacerdos aetatis annorum 62, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 7 iulii 1742. Reverendus dominus Petrus Verdina, sacerdos aetatis annorum 60 circiter. Reverendus dominus Antonius Bonatelli, sacerdos aetatis annorum 55 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 7 iulii 1742. Reverendus dominus Dominicus Pini, sacrae teoligiae doctor, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 35 februarii 1743, aetatis annorum 55 circiter. Reverendus dominus Franciscus Sperini, sacerdos aetatis annorum 55 circiter. Reverendus dominus Iacobus Montanari, sacerdos aetatis annorum 55 circiter. Reverendus dominus Andreas Carella, sacerdos aetatis annorum 54 circiter. Reverendus dominus Angelus Tessadri filius Sebastiani, sacerdos aetatis annorum 54 circiter. |**254**| Reverendus dominus Bartholomaeus Gratioli, sacerdos aetatis annorum 53 circiter. Reverendus dominus Felix Arrighi, sacerdos annorum 52, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 7 iulii 1742. Reverendus dominus Marcus Segala, sacerdos annorum 51 circiter: Reverendus dominus Gabriel Magnanino, sacerdos aetatis annorum 50 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 24 augusti 1742. Reverendus dominus Ioseph Sembinelli, sacerdos aetatis annorum 50 circiter. Reverendus dominus Ioseph Zambelli, sacerdos aetatis annorum 50 circiter. Reverendus dominus Carolus Andreas Greco, sacerdos aetatis annorum 49 circiter, curatus coadiutor huius parochialis ecclesiae, ut supra dictum est. Reverendus dominus Ioannes Baptista Panizza, sacerdos annorum 49 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 5 novembris 1742. Reverendus dominus Antonius Bondoni, sacerdos aetatis annorum 48 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die [*manca*]. Reverendus dominus Angelus Tessadri filius Antonii, sacerdos annorum 48 circiter. Reverendus dominus Iacobus Carella, sacerdos aetatis annorum 48 circiter, qui fuit canonice admonitus ut in actis criminalibus huius offitii. Reverendus dominus Ioseph Laurentius Pizzocolo, sacerdos annorum 48 circiter. Reverendus dominus Ioseph Dalla Maestra, sacerdos aetatis annorum 47 circiter. Reverendus dominus Benedictus Robazzi, sacerdos aetatis annorum 46 circiter. |**254^{v}**| Reverendus dominus Ioseph Greco, sacerdos aetatis annorum 46 circiter. Reverendus dominus Andreas Franceschini, sacerdos aetatis annorum 45 circiter. Reverendus dominus Iacobus Gallinetti, sacerdos aetatis annorum 45 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 17 iulii 1742. Reverendus dominus Paulus Pizzocolo, sacerdos aetatis annorum 45 circiter. Reverendus dominus Antonius Panizza, sacrae theologiae doctor, sacerdos aetatis annorum 44 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 4 novembris 1742. Reverendus dominus Franciscus Bertoli, sacerdos aetatis annorum 44 circiter. Reverendus dominus Ludovicus Zambelli, sacerdos aetatis annorum 44 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Verdina quondam Nicolai, sacerdos aetatis annorum 43 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 4 novembris 1742. Reverendus dominus Paulus Resini filius Ioannis, sacerdos aetatis annorum 43 circiter. Reverendus dominus Marcus Zambelli, sacerdos aetatis annorum 39 circiter. Reverendus dominus Ioannis Baptista Verdina filius Iacobi, sacerdos aetatis annorum 33 circiter. Reverendus dominus Franciscus Franceschini, sacerdos aetatis annorum 42 circiter. Reverendus dominus Franciscus

Gobbetto, sacerdos annorum 39 circiter. Reverendus dominus Ioannes Gallinetti, sacerdos aetatis annorum 39 circiter. Reverendus dominus Ioannes Iacobus Verdina, sacerdos aetatis annorum 39, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato |**255**| die prima februarii 1743. Reverendus dominus Carolus Montino, sacerdos aetatis annorum 38 circiter. Reverendus dominus Carolus Sanzogno, sacerdos aetatis annorum 38 circiter. Reverendus dominus Ioannes Antonius Greco, sacerdos annorum 35 circiter. Reverendus dominus Marcus Fostinelli, sacerdos aetatis annorum 35 circiter. Reverendus dominus Ioseph Carella, sacerdos aetatis annorum 33 circiter. Reverendus dominus Christophorus Martarelli, sacerdos annorum 32 circiter. Reverendus dominus Felix Cerubino, sacerdos aetatis annorum 32 circiter. Reverendus dominus Ludovicus Resini, sacerdos aetatis annorum 32 circiter. Reverendus dominus Ambrosius Frera, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Ioannes Resini, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Ioseph Forzani, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Ioseph Frassa, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Dominicus Resini, sacerdos aetatis annorum 29 circiter, contra quem sibi resservavit et cetera. Reverendus dominus Paulus Resini filius Laurentii, sacerdos aetatis annorum 35 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Bonatelli, sacerdos annorum 29 circiter. Reverendus dominus Sanctes Carella, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Reverendus dominus Paulus Gallinetti, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Petrus Berzolo, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Angelus Patuzzo, sacerdos aetatis annorum 26 circiter. Reverendus dominus Petrus Raffa, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Reverendus dominus Ioseph de Pauli, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. Reverendus dominus Zaccarias Verdina, sacerdos annorum 29 circiter. |**255**^{v}| Reverendus dominus Paulus Albricci, sacerdos aetatis annorum 30 circiter. Reverendus dominus Iulius Appollonio, sacerdos aetatis annorum 25 circiter. Reverendus dominus Carolus Quintus Astolfi, sacerdos annorum 24 circiter. Reverendus dominus Petrus Antonius Franceschini, sacerdos annorum 24 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Carella, sacerdos annorum 40 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum hodie confirmato. Clericus Ioseph Precacio, annorum 28 circiter, in minoribus ordinibus constitutus, qui fuit monitus ad recte vivendum et prout clericum decet, cum protestatione et cetera. Clericus Carolus Frassa, diaconus aetatis annorum 28 circiter. Clericus Ioannes Iacobus Sperini, diaconus annorum 23 circiter. Clericus Gaietanus Gallinetti, lector annorum 20 circiter. Clericus Petrus Rizzo, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 27 circiter. Clericus Bartholomaeus Pizzocolo, prima clericali tonsura insignitus, aetatis annorum 23 circiter. Clericus Hieronymus Sembinelli, prima clericali tonsura insignitus, aetatis annorum 20 circiter. Qui omnes humilime eorum mandata ad curam animarum et ordines respective illustrissimo et reverendissimo praesuli ostenderunt. Hisce dimissis, in proprio cubiculo se recepit et absque cibo pernoctavit. Die sabbathi prima mensis iunii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus summo mane ad |**256**| [A margine: Cappuccine] ecclesiam monialium Sanctae Mariae ab Angelis Leonati perexit in qua, sacris indumentis sumptis, sacrum missae sacrifitium celebravit; quo absoluto, in loco a confessionibis se recepit ubi, vocatis monialibus, illas singulariter singulas paterna charitate examinavit ac per examen et interrogationes cognovit qualis sit charitatis cultus, quae regularum observatia atque monsticae disciplinae, quae omnia optime – divina favente clementia – se habere comperuit. Visitavit domum contiguam monasterio, in qua inhabitat Catharina Pedrotti, filia quondam Petri, annorum 55 circiter, ad famulatum ipsius monasterii. Vidit etiam aliam domum, itidem praefato monasterio adnexam, quae est hospitium pro advenis, in cuius parte comorantur duo haeremitae, scilicet frater Ioseph Visintainer de loco Cles diaecesis tridentinae, annorum 40 circiter et frater Nicolaus di Lazari, de loco Pegellis diaecesis feltrensis, annorum 27 circiter, gestantes habitum sancti Francisci, cum litteris patentibus huius curiae pro quaestuanda aeleaemosina tam pro monialibus suprascriptis quam pro se ipsis et de quibus, sumptis fide dignis informationibus de eorum vita et moribus, bene fuit responsum. Visitavit parlatorium, cum unica fenestra, duabus cratibus munita et lamina etiam ferrea, iuxta quam |**256**^{v}| est tella nigra connexa; vidit rotam, bene tentam ac muros exteriores eiusdem monasterii. Ingressus in clausuram, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, caeremoniarum magistro, me notario aliisque paucis ac tantum neccessariis suis familiaribus, praesentes habuit moniales genuflexas capiteque velato, ordine processionis servato et, cruce praecedente, piissime antistitem exceperunt eoque ordine surrectis monialibus, ad chorum interiorem divertit ibique adorato sanctissimo Sacramento, preces pro monialibus defunctis, quarum duo in choro ipso sunt sepulcra, fudit. Deinde visitavit sacrum oleum infirmoum, bene tentum, quod servatur in custodia in choro ipso posita a parte evangelii altaris maioris quod est in cclesia exteriori. Oblatas subinde infrascriptas sacras reliquias visitavit; et primum, reliquiam ex ligno sanctae Crucis in parva theca cum crystallis ante et retro, sigillo et documentis munitam, deinde aliam ex sacris ossibus sancti Francisci de Paula, in theca ex auricalco cum crystallo in

parte anteriori, suo sigillo et litteris munitam; reliquiam ex praecordiis sancti Philippi Nerii, in theca argentea ad modum cordis cum crystallis; ex sacris ossibus Sanctae Rosae viterbiensis, in theca argentea ovata, cum crystallo in parte anterori; ex sacris ossibus beati Seraphini a Monte Granario Cappuccini, in theca ovata ex |**257**| auricalco, cum crystallo a parte anteriori; ex ossibus sancti Petri de Alcantara, in theca ex auricalco cum crystallo a parte anteriori; ex tunica beati Ioseph a Leonissa Cappuccini, in theca ex auricalco cum crystallo a parte anteriori; ex habitu santi Francisci de Assisio, in theca argentea cum crystallis ab utraque parte; ex ossibus sanctae Theresiae virginis, in theca argentea cum crystallo a parte nteriori: quas omnes suis sygillis et autenticis respective vidit easque recognovit ac deinde, genuflexus ante reliquiam sanctae Crucis, thure et veneratione illam coluit. Visitavit ostiolum a communione, clausum cum sera et clavi, quae servatur a reverenda matre abbatissa, a qua etiam servantur claves, rotae, rimae per quas – ut superius dictum est – palia et paramenta in ecclesiam introducuntur, quae omnia vidit et visitavit. Visitavit etiam chorum ipsum, ubi continuo lampas ardet et ubi sunt exedrae et scabella in quibus moniales divinum officium persolvunt. Locum confessionalis interiorem, quem rite et recte instructum vidit et obesrvavit. Vidit sacristiam interiorem, ubi sacras suppellectiles et vasa sacra servantur, de quibus ornate et abunde provisum invenit et praesertim de ostensorio argenteo radiato, non mediocris ponderis et eleganter constructo, gemisque praeciossis ornato. |**257**^{v}| Visitavit loca novitiatus, separata a caeteris locis monasterii, rite habita et constructa. Vidit locum capituli, quo moniales ipsae conveniunt ad laborandum. Visitavit etiam celas, horeum, refectorium, ubi ieiunium, silentium et lectio spiritualis observantur; coquinam, celas vinarias, hortos, claustra ceteraque loca inferiora et superiora nec non fenestram parlatorii, a parte interiori sub sera et clavi bene custoditam, ubi vidit etiam libros in quibus descripta sunt vestiaria et professiones monialium huius monasterii aliaque acta earumdem monialium. Admodum reverendi domini Dominicus Pini, sacrae theologiae doctor et Ioseph Orlandini obtulerunt humilime dominationi suae illustrissimae et reverendissimae facultates alias ab hac curia episcopali eisdem concessas pro cappellani munere in hac ipsa ecclesia exercendo. Quibus peractis, cum *de Profundis* in ecclesia recitato, huius monasterii suam clausit visitationem et, ad domum parochialem restitutus, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta prima iunii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus praefatam parochialem ecclesiam adivit in qua, sacris vestibus indutus, supra quingentos utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo perunxit ac defatigatus ad parochiales |**258**| aedes regressus est et in proprio cubiculo receptus, quieti se tradidit et absque cibo obdormivit. Die dominico, festo Pentecostes, 2 iunii 1743. [A margine: Beata Vergine Maria del Giglio] Facto mane huius diei, reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Giglio, infra limites parochialis ecclesiae Leonati, de ratione communitatis eiusdem loci, in quo tria extant altaria, scilicet: altare maius, marmoreum cum portatili et imagine beatae Virginis Mariae sub crystallis, in muro depicta. Haec imago praecipuo cultu ab hoc populo colitur, ut apparet ex votivis tabulis quae circum ipsum oratorium pendent. Huic altari est officiatura relicta a quondam Annibale Patuzzi, in eius testamento diei 14 februarii 1712 in actis domini Iacobi Orlandini notarii, descripto in libro huius ecclesiae ad paginam 2, ibidem viso et restituto, in quo reliquit huic ecclesiae, tunc nuper errectae, capitale librarum sex mille planeti, cum onere ut, ex eius fructibus, tot missae celebrarentur a cappellano amovibiliter eligendo a dominis deputatis eiusdem ecclesiae. Redditus huius capitalis sunt troni 330.8, ut ex partitis in praedicto libro ad paginas 184 tergo et 185 tergo, pro quibus reverendus dominus Angelus Patuzzi, hodiernus cappellanus, celebrat omnibus diebus festis et diebus ferialibus ita ut, ex omnibus iisdem redditibus, tot missae celebrat, cum aeleaemosina |**258**^{v}| solidorum quadraginta pro diebus festivis de praecepo et triginta pro ferialibus. Alia instituta fuit in hoc altari officiatura a quondam domino Lelio Cavagnino, in eius testamento diei 22 februarii 1712 in actis praedicti domini Iacobi Orlandini, in eodem libro pagina 4 tergo registrato, in quo iussit ut, ex eius haereditate, duo millia scutata brixiensia investirentur ab eius commissariis maiori beneficio quo poterint, ad hoc ut ex iis erigeretur cappellania perpetua, cum onere trium missarum in hebdomada, compraehensis diebus festis, celebrandarum in hoc ipso oratorio, quorum fructus assignarentur cappellano gravato onere praedicto nec non onere celebrare faciendi officium cum missis quatuor annuatim in ecclesia patrum Annunciationis huius loci, concedendo dominis deputatis pro tempore huius ecclesiae facultatem eligendi huiusmodi cappellanum, declarando tamen ut praeferantur sacerdotes descendentes ex eius nepotibus Antonii et Rocchi Marini; quibus deficientibus, substituit sacerdotes descendentes ex aliis eius nepotibus Bontempi et, quatenus plures sint sacerdotes, maior natu eligatur, cui cappellano iniunxit ut annuatim probet se satisfecisse suis obligationibus praedictis atque idem praedictis dominis deputatis constare faciat. Ad praesens cappellanus huius officiaturae est reverendus dominus Ioseph Bontempi tamquam unus ex vocatis a testatore |**259**| praedicto, a quo fructus capitalis ut supra relicti percipiuntur. Cum vero ipse reverendus Bontempi absit et

Venetiis degat, interrogavit num satisfaciat piae praedictae dispositioni responsumque fuit a domino Carolo Panizza, cancellario huius comunitatis (qui alias fuit huius ecclesiae deputatus) et ab aliis adstantibus sacerdotibus reverendum dominum Franciscum Franceschini celebrare pro reverendo Bontempi, sed nescire utrum semper applice, an vero aliquando tantumodo cum praesentia celebret; quapropter monuit praedictum dominum Panizza ut declaret dominis deputatis eorum obligationem attendendi sedulo, ut satisfiat integre oneribus praedictis, exigendo a reverendo domino Bontempi quod constare faciat de anno in annum se adimplevisse, aliter ipsum removeant et alium eligant. Tertia demum officiatura in hoc oratorio fuit instituta a quondam domino Ioanne Baptista quondam domini Caroli Montanari huius fortilitii, in eius testamento diei 14 decembris 1736 in actis domini Iosephi Mariae Resini notarii, viso et restituto, in quo quaedam capitalia in eodem testamento descripta reliquit, ut ex eorum fructibus a dominis deputatis huius ccclesiae cappellani amovibiliter eligerentur, qui celebrare teneantur missas sex pro quaque hebdomada, compraehensis diebus festivis et sabbathi, cum aeleaemosina triginta solidorum |**259**^{v}| pro missis ferialibus et triginta quinque pro festivis et, quatenus augerentur redditus, iussit ut cappellanis non erogaretur maior aeleaemosina quam illa triginta solidorum pro diebus ferialibus et alia quadraginta solidorum pro festivis et, si adhuc augerentur redditus, cederent beneficio ipsiusmet ecclesiae, declarando quod missa diebus festis non celebretur nisi post sonitum missae solemnis, datum ex thurri huius fortilitii, onerando etiam cappellanos ad dicendas litanias in hoc altare omnibus diebus festis post vesperas ecclesiae parochialis, protestando, quatenus deficerent a recitandis litaniis, non possint assequi aeleaemosinam maiorem triginta solidorum etiam pro diebus festivis. Hodierni cappellani huius officiaturae sunt reverendus dominus Angelus Tessadri, qui celebrat diebus festis et reverendus dominus Franciscus Franceschini pro diebus ferialibus et oneribus adimpletur. Vidit etiam in hoc altari tabernaculum stabile marmoreum, in quo suprascripti reverendi cappellani asseruerunt nunquam repositum divinum Eucharistiae sacramentum, cognoscentes inibi reponi non posse nisi canonice concessum fuerit privilegium ut ibidem reponatur. Quaproter prohibuit ne in eodem tabernaculo divinum Sacramentum reponatur, donec doctum fuerit in forma de canonica errectione ipsiusmet tabernaculi. Altare sancti Caroli, de ratione communitatis, in mensa |**260**| marmoreum cum portatili, palio ex serico, sine icone, ubi tantumodo pendet tabula cum imagine sancti Caroli; in reliquis ligneum est. Nulla ibidem habetur obligatio missarum, sed in eo ex devotione tantum celebratur. Altare sanctorum Vruntii et Irenis, de ratione communitatis, marmoreum in mensa cum portatili, palio ex serico, icone depicto et in reliquis ligneum, in quo pariter nulla est obligatio missarum, sed celebratur in eo ex devotione. Vidit duo confessionalia, in hoc oratorio pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus de licentia domini archipraesbyteri tenta. Visitavit sacristiam et in ea paramenta et vasa sacra ad sacrum faciendum neccessaria, in armariis ex nuce servata, de quibus sufficienter provisum invenit et prout ex policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram P. Vidit etiam campanile, in quo una tantum extat campana. Ordinata. Ponantur confessionalibus pagellae casuum resservatorum ex parte confessariorum et devotae imagines ex parte poenitentium. Quibus peractis, ad aedes parochiales reversus est. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ecclesiam parochialem antedictam |**260**^{v}| se contulit, ubi pontificalibus vestibus indutus suggestum conscendit ac concionem solemnitati Pentecostes congruentem habuit, qua populum frequentissimum hortatus est ut, omnibus viribus et toto corde, summum bonum Deum diligeret omnesque ita ad Dei dilectionem comovit ut ad id excitatos vultu oculisque praeseferent. Absoluta concione, pontificalem missam inter scelectorum musicalium concentus instrumentorum et tormentorum bellicorum strepitus celebravit eaque finita, ad aedes parochiales sepedictas regreassus, prandium smpsit et, paulisper defatigatus, quieti se tradidit. Die antedicta 2 iunii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominis episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, in praedictis aedibus parochialibus pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Carolus Barzoni, sacerdos aetatis annorum 32 circiter. Frater Iacobus Gallina, haeremita deputatus ad custodiam ecclesiae Sanctae Mariae a Curlo. *Frater Ioseph Visintainer, frater Nicolaus di Lazari* heremitae monialium cappuccinarum. Frater Benedictus Frera, haeremita ad ecclesiam Sanctae Mariae de Sancto Martino. Frater Alexius Vertua, haeremita ecclesiae Beatae Virginis a Gilio. Nec non obstetrices huius loci, scilicet: Camilla uxor Petri Frera, Catharina uxor Petri Soratino, Paula uxor Petri Arigo, Maria uxor Andreae Vertua, Catharina uxor Leandri Gallina, |**261**| Magdalena uxor Petri Galletto, Helisabeth uxor Francisci Sigurtà et Martha uxor Antonii Boldrino, quas omnes examinavit circa sacramentum baptismatis in casibus neccessitatis conferendum et aptas esse invenit. Reverendus dominus Augustinus Barzoni, sacerdos qui, vocatus etiam per famulum huius fortilitii, non comparuit et ideo illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ex causis bene sibi notis, illum a divinis suspendit et suspensum esse declaravit donec et cetera et prout in actis criminalibus huius officii. Comparuit

successive, vocatus, admodum reverendus dominus Ludovicus Fioccarini, archipraesbyter huius parochialis ecclesiae, quam obtinuit per concursum, ut ex litteris huius curiae episcopalis diei 18 mensis iunii 1712, quas praesentavit et obtulit etiam libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum, status animarum ac congregationum, cum mandato vicariae foraneae, quos omnes bene tentos invenit. Interrogatus deinde an in eius paroecia adsint publici peccatores, usurarii, concubinarii, haeretici, scandalosi vel alii huiusmodi ac etiam de vita et honestate ecclesiasticorum, respondit – Deo dante – non adesse in hac sua paroecia publici peccatores; ecclesiasticos vero propria munera sufficienter implere. Vocati denique domini deputati huius communitatis, qui ab illustrissimo et reverendissimo praesule interrogati de vita, moribus, |**261**^{v}| honestate ac diligentia in proprio munere fungendo domini archipraesbyteri, de vita, moribus et honestate ecclesiasticorum et an adsint in hoc loco usurarii, concubinarii, scandalosi aut publici peccatores, responderunt dominum archipraesbyterum bonis vita et moribus redolere, propria munera – quoad sibi permittitur ab eius infirmitate – exercere; ecclesiasticos vero honeste vivere nullosque publicos peccatores adesse. Hisce actis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad ecclesiam parochialem antedictam se contulit, in qua, pontificalibus indutus, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte signavit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum oratorium in privatis aedibus dominorum Ioannis Mariae et fratrum Zambelli, decenter constructum, in quo vidit unicum altare ligneum, cum portatili et tabula depicta, errectum vigore brevis apostolicis diei 5 septembris 1737 ad favorem eiusdem domini Ioannis Mariae nec non dominorum Benedicti, Iosephi et Ludovici praesbyteri fratrum Zambelli et dominae Mariae, ipsius domini Benedicti uxoris, in hac curia episcopali executi die 12 martii 1738; in quo quidem oratorio et in armariis ad id paratis vidit vasa sacra et suppellectiles tam ad ornatum quam ad sacrum faciendum neccessaria, de quibus perpolite provisum invenit eorumque dominorum fratrum pietatem plurimum in Domino comendavit. Post Confirmationis sacramentum administratum, illustrissimus et |**262**| reverendissimus dominus dominus episcopus, habitu breviori nigro indutus, ad invisendum illustrissimum et excellentissimum dominum provisorem praenominatum, adhuc valetudine male affectum, ut sui peculiaris erga illum amoris ac reverendtiae novum argumentum eidem praeberet; quo facto habitisque inter se, amoris reciproci plenis, colloquiis, ad aedes parochiales iterum regressus est vestibusque suo caracteri congruentibus indutus, ecclesiam parochialem praedictam adiit, quam de parte in parte visitavit quaeque est consecrata, cuius consecrationis dies colitur 13 octobris cuiuslibet anni, Nativitati sancti Ioannis Baptistae, praecursoris Domini, dicata, in qua vidit organum, bene tentum et suggestum in quo quadragesimali tempore concionatur quotidie, exceptis diebus sabbathi, cum mandato et benedictione episcopali et concionator eligitur a communitate huius loci, cui stipem erogat scutorum sexaginta brixiensium et de cuius communitatis iure est eadem ecclesia. Vidit etiam aedificium novum ecclesiae parochialis, quod consurgit ac praesertim chorum, campanile et sacristiam, quae omnia magnificum huiusmodi fore templum declarant. Hisce peractis, ut omne sui obsequii erga pastorem amantissimum spectabilis communitas daret, cum ornatissimam et celebrem accademiam in eadem ecclesia parasset, illustrissimus et reverendissimus praesul in throno sedit |**262**^{v}| ac interim templum lectissimis monumentis musicis personuit. Orationem elegantissimam habuit dominus Faustinus Zambelli, qua et familiae nobilitate et suis peculiaribus virtutibus praesulis laudes exposuit; deinde plurimi latino ac tusco idiomate carmina recitarunt, laudantes et extollentes eiusdem virtutes; non defuere dulces musici concentus, qui accademiae decori et adstantium oblectamento essent. Gratiis tandem illustrissimo et reverendissimo antistiti a praedicto domino Faustino Zambelli peractis, accademia fuit absoluta et praesul, ad aedes parochiales restitutus, incoenatus quievit. Die lunae, secundo festo Pentecostes. 3 iulii 1743. Sole exorto, descendit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem, ubi, praemissa adoratione divino Eucharistiae sacramento, in eius cathedra sedit mihique notario iussit ut suum decretum publicarem, quod coram clero et populo frequenti alta et inteligiìbili voce publicatum a me fuit, tenoris ut sequitur, videlicet. Decretum. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilectis nobis in Christo clero et populo Leonati, huius nostrae veronensis diaecesis salutem et cetera. Diebus Pentecostes completis, ut dilectissima ista gregis nostrae |**263**| portio toto corde atque omnibus viribus summum perfectumque bonum diligeret ac ne quis iterum vanitatem, mendacium quaereret, omni studio et dilectionis nostrae affectu hesterna die ex suggestu hortati sumus. Vos tamen, venerabiles sacerdotes, qui Christi Domini sacerdotii participes estis, ut sincera charitate gratiam suscitetis quam per impositionem manuum nostrarum accepistis, hodie commonere in primis nobis nostrum praecipuum esse officium videtur. Vos enim, ut dignitate caeteros praecellitis, aliis quoque et sana doctrina et bonorum operum exemplo praelucere debetis, quorum est filios adoptionis de bone beateque vivendum adducere et inter vestibulum et altare divinae pietati sacris ab ecclesia

institutis ritibus et precibus comendare. Quapropter moneo vos et in visceribus Christi Iesu hortor atque suadeo ne muneribus vestris deficiatis, ecclesiasticas funtiones tantumodo frequentando quoties emolumenti alicuius spes moveat et impellat. Turpe enim lucrum huiusmodi videtur, quasi quaeratis quae vestra sint, non quae Iesu Christi. In id vero vos sedulo studio incumbere opportet, ut populum christiana doctrina imbuatis, qui, dum sacerdotio initiati fuistis, verbum Deo praedicandi accepistis potestatem, nolite, arissimi, acceptum talentum inutile ac |**263**^{v}| veluti sepultum abiicere, ne supremus Dominus illud a vobis auferendum iudicet vosque aeterno supplicio, ut servos inutiles condemnet. Cum laudes aut preces in ecclesia Dei funditis, cavete ne oratio vestra fiat in peccatum et audientibus laicis occasionem vituperandi ministerium vestrum praebeatis. Devote igitur ac pie, non festinanter aut mercenariorum more incomposite, divinam salmodiam persolvite, in qua persolvenda omnes adsint, diebus festis praecipue, nisi charitas aut neccessitas aliquos impeditos detineant. Videant caeteri vos operibus bonis divinoque cultui intentos et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est. Nolite, in altaris ministerio, diaconi aut subdiaconi officia detractare, quae angelico ministerio – si fieri posset – exercerentur. Divinum sacrificium et reverentia et timore quo est offerendum pro peccatis populi ac vestris etiam offerte neve solliciti ita sitis in eius celebratione suscipienda ut ordo propositus vel ab admodum reverendo domino archipraesbytero proponendus pro istius populi utilitate invertatur; ac praesertim nolite vestra nomina in libro sacrstiae describere antequam missa a vobis fuerit persoluta, cum a caractere vestro dignitateque haec nimis aliaena sint, quod non Christi ministerium exerceri videatur, sed artem de pane lucrando. Nemo ex |**264**| vobis immittat falcem in messem aliaenam aut aeleaemosinas absque mandato nostro colligendo et populum hac de causa a praecepto diem festum observandi dispensandum aut nuptiis vel mulieribus post earum partum benedicendo aut alia huiusmodi committendo, quae praedecessoris nostri ad ius parochiale spectare declarunt et congregationibus ut olim ab ipsismet praedecessoribus nostris vobis iniunctum fuit, adeste. De his monitos esse vos peropportunum putavimus, sperantes, ut huius plebis docilem populum piumque cognovimus, vos quoque nostris monitionibus – ut decet – obedientes omnes futuros. Si vero, contra spem nostram, ea qua par est cura et studio hisce aliquis non aquieverit, sciat nos omnibus et singulis sacerdotibus et clericis huius plebis, in virtute sanctae obedientiae, praecipue ut ipsis congregationibus casuum conscientiae quae in hoc loco celebrantur ut functionibus sacris huius parochialis ecclesiae et exercitio doctrinae christianae, nisi legitime excusentur et excusandi a domino archipraesbytero ex eius conscientia, quam in hoc oneramus, censeamur, sedulo adsint ac praesrtim confraternitatum cappellani, qui iuxta praedecessorum nostrorum constitutiones parochialis ecclesiae servitio obligantur. Missas quoque, ut in parochiali ecclesia atque in oratoriis quae sunt intra eius limites et hora |**264**^{v}| et modo celebrent mandamus et praecipimus ut populi utiles et comodum praecipue spectetur neve ipse a frequentia huiusmet parochialis ecclesiae, quod maxime a Ioanne Matthaeo Giberto detestatum fuit, divertatur. Prohibemus praeterea omnibus et singulis sacerdotibus et quae sunt iuris parochialis vel a sacris canonibus et ecclesiasticis constitutionibus vel ab ipsismet nostris praedecessoribus declarata sibi usurpare et omnibus mandamus; ne colloquia vana et otiosa fiant in loco sacristiae; ne praepropere et indevote officium divinum in choro ab ipsis recitetur; ne missae sine ordine et iuxta cuiusque arbitrium celebrentur; ne demum nomen celebrantis ante sacrifitium oblatum in libro describatur. Cum autem haec a nobis praecepta fuerint, ut impudentis alicuius qui hisce obedire fortasse contempserit, quod vix ac ne vix quidem nobis timendum videtur, audaciam coerceamus, decernimus et declaramus, si quis benedictiones nuptiarum aut mulierum post partum peregerit sine licentia admodum reverendi archipraesbyteri; si quis a praecepto observandi dies festos populum vel aliquam populi partem, ut ex despensatorum labore aeleaemosinas colligat absque causa neccessaria, a nobis cognoscenda et approbanda, dispensaverit; si quis se se in libro missarum ante sacrifitium peractum descripserit: huiusmodi innobedientes et delinquentes |**265**| a divinis suspensos; laicos vero etiam haeremitico habitu indutos, qui sub vano pietatis praetextu in causa fuerint, ut ipsum divinum praeceptum non observatur sine nostra licentia et absque neccessitate a nobis cognita et approbata, suadentes et obligantes mulierculas aliasque personas ut diebus festis de praecepto ad servilia opera incumbat, ex quorum quaestu illis aeleaemosinae eorum arbitrio impendendae cumulantur, facto excommunicatos. Qui vero congregationibus aut functionibus ecclesiasticis huius parochialis ecclesiae aut exercitio doctrinae christianae interesse neglexerint; qui, iuxta ordinem praescriptum aut ab admodum reverendo domino archipraesbytero praescribendum, missam non celebraverit aut qui, contra tenorem constitutionum vel decretorum quae a praedecessoribus nostris aedita sunt, in oratoriis celebraverit, aut aliquid ab ipsis prohibitum egerit; qui denique in altaris ministerio ab ipso domino archipraesbytero deputatus ministrare detractaverit, arbitrio nostro illum puniendum etiam poena suspensionis nobis resservamus. Committimus autem admodum reverendo archipraesbytero et eius curato et cuicumque ad quem et cetera, ne testimoniales litteras de bonis vita et moribus alicui scribat vel subscribat, qui nostris

huiusmodi praeceptis adamussim non obedierit; aliter contra illum vel illos – ut crimine falsi reos – poenis canonicis procedemus. Ut vero – ad quod nobis praesertim est cordi – omnino, ut par est, observetur quodque ad divinum cultum et ad |**265**^{v}| populi instructionem et aedificationem spectat, praecipimus et mandamus ut serventur ea quae ab hac piissima et sane spectabili communitate alias statuta fuere in eius partibus diei 4 et 18 aprilis anni 1717; quin immo volumus, iisdem statutis inhaerentes et ipsis robur nostra auctoritate addentes ut, antequam cappellani eligantur vel confirmentur, deferant electionem petentes testimonia admodum reverendi archipraesbyteri seu eius qui ab eo ad id delegatus fuerit et respective officialium doctrinae christianae, quibus constet praecipue de frequentia habita functionibus ecclesiastiis, exercitio eiusdem doctrinae christianae et congregationibus casuum conscientiae ac demum de eius obedientia huic nostro decreto. Volumus etiam ut oeconomus huius ecclesiae observet ac cognoscat an sacerdotes et clerici sedulo intersint hisce nostris praeceptis et, quatenus non frequentes functionibus aut congregationibus aut exercitio doctrinae christianae per mensem continuum aut inobedientes hisce nostris mandatis cognoverit, ipsos ab officiis et istorum emolumentis per bimestre escludat. Si vero in huiusmodi contumacia respective perseveraverint per spacium trium mensium continuorum, non admittat contumaces ad eadem officia et ad eorum emolumenta per spacium reliquum anni, |**266**| sub poenis arbitrio nostro eidem oeconomo, si secus fecerit, infligendi, nisi – ut superius innuimus – excusandi fortasse essent. Hos animi nostri sensus vobis, filii carissimi et desideratissimi, aperire antequam hinc discedamus charitas quae in corde nostro a Spiritu Sancto est difusa, qui in nobis inhabitat, nos impulit ac suasit. Utinam, dum vobis quemadmodum ambulare debeatis praecipimus, Spriritus ipse Sanctus super vos decidat sicuti, Petro adhuc loquente, super omnes cecidit, qui illum audiebant ut omnium vestrum unum cor sit et anima una Deumque diligendo, ut vos decet, colatis ac ita eiusdem Spiritus fructibus – qui sunt gaudium et pax – aabundetis. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastorali nostra visitatione Leonati die 3 mensis iunii 1743 Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius et cetera. Eo publicato, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus sibi suoque reverendissimo domino provicario generalis infrascripta tria oratoria, sita intra limites huius parochialis ecclesiae visitanda in itinere, quod Castellarium Lagusellum versus est, peragendum resservavit. His actis, pro defunctis iterum oravit factisque infrascriptis ordinationibus, visitationem ecclesiae, cleri et populi huius terrae Leonati in Domino clausit. |**266**^{v}| Ordinata. Vascula pro oleo Cathecumenorum et Chrismatis renoventur et aptetur iis opercula rite et in modum cocleae efformata – bursae pro vasculis olei infirmorum renoventur ex panno serico violaceo – confessionalibus aptetur pagella casuum resservatorum ex parte confessarii et aliqua devota imago ex parte poenitentis – confessionale prope ianuam maiorem ex parte baptisterii muniatur cratibus novis cum foraminibus minutioribus et interim sit suspensum – confessionali prope portam maiorem iuxta altare sancti Rocchi et alteri inter altaria eiusdem sancti Rocchi et sancti Francisci de Paula ponantur novae crates cum foraminibus minutioribus, termino dierum quindecim, aliter sint suspensa – in libro status animarum describatur aetas cuiuscumque parochiani. Ex ecclesia egressus, in rheda sedit cum suo reverendissimo provicario generali caeterisque suis familiaribus et praecedentibus ac subsequentibus militibus cohortis equestris supra descriptae, concomitantibus etiam proceribus spectabilis huius communitatis Leonati ac populo per vias antistitem venerante; suscepit iter et fortilitium Leonati reliquit. In itinere ipso visitavit publicum oratorium Decolationis Sancti Ioannis Baptistae ad Castrum Venzagi, infra limites |**267**| [a margine: Decolation di San Giovanni Battista] praedictae parochialis, de iure comunitatis Leonati, ubi unicum est altare cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, in quo cappellanus altaris sancti Teodori in ecclesia parochiali Leonati, qui tenetur ad missam quotidianam, a spectabili communitate obligatur ad missas huc celebrandas diebus festis post solemnitatem Paschatis ressurrctionis usque ad diem festum sancti Martini episcopi. Visitavit locum retro altare, in quo vidit aliqua paramenta, quae sufficere pro offerendo divino sacrifitio respectu praedictae celebrationis cognovit. Ordinata. Exequantur ordinationes visitationis anni 1711 de reparandis speris in fenestris sacristiae et de ponendis ramatis ad fenestras iuxta portam eiusdem oratorii – provideatur de missali novo et de bireto sacerdotali – thectum ecclesiae construatur ita ut tegulae non appareant a parte anteriori ecclesiae neque illud sit deforme, quod potius armentorum caula quam domus Dei videatur. Hac facta visitatione, illustrissimus et reverendissimus praesul iter suum prosequtus est oratorium versus Sanctae Mariae Discopertae nuncupatum et reverendissimus dominus provicarius generalis iter flexit oratorium versus Beatae Virginis Mariae a Rosario, in contrata Centenari. Quo cum reverendissimus dominus provicarius generalis pervenisset, illud |**267**^{v}| visitavit viditque unicum in eo esse altare ligneum cum portatili, palio et imagine sub crystallis beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, quod est – prout etiam idem oratorium – de iure familiae Papa, a qua manutenetur. Hoc oratorium errectum et dotatum fuit a quondam domino Ioanne Baptista quondam Iosephi Papa leonatensi, a quo assignata fuit una petia terrae, descripta in instrumento dotationis diei 17 septembris

1703 in actis domini Iosephi Orlandini, viso et restituto, cuius redditus item assignati sunt ducatorum sex de grossis triginta uno. In hoc oratorio nulla est obligatio missarum; in eo tamen diebus festis reverendus dominus Franciscus Bazoli, cappellanus electus a praedicta familia Papa celebrat, stipe ab hominibus huius contratae tradita ex eorum devotione. Vidit sacristiam adnexam et in ea sacra paramenta et vasa aliasque suppellectiles, tam ad ornatum quam ad sacrum faciendum neccessaria, de quibus perpolite provisum esse invenit. In hoc oratorio, de licentia domini archipraesbyteri Leonati, exercetur schola doctrinae christianae, quae cum esset convocata, reverendus dominus provicarius generalis per varias interrogationes pueros et puellas expertus est eosque bene instructos esse invenit. Domum adnexam vidit, iam inceptam a praedicto quondam Ioanne Baptista Papa in fundo praedicti oratorii et nuper perfectam piorum |**268**| aeleaemosinis, pro habitatione cappellani ipsiusmet oratorii. Examinavit subinde Luciam uxorem Sebastiani Gallina, obstetricem huius contratae, circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis eamque idoneam esse reperiit. Ordinata. Elevetur parumper partatile altaris. Huius oratorii peracta visitatione, ad praedictum oratorium Sanctae Mariae Discopartae ipse quoque reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit, ubi illustrissimus et reverendissimus antistes missam celebravit multisque petentibus sacram Communionem elargitus est. Accedente meridie et ex liberalitate reverendi domini Antonii Bondoni parato prandio, illud in aedibus adnexis huic oratorio sumpsit ac, paulisper cum quieti se dederit, reverendissimus dominus provicarius generalis interea ipsum oratorium visitavit, quod est intra fines parochialis Leonati. [A margine: Beata vergine Maria Discoperta] Habet hoc oratorium tria altaria, maius scilicet, marmoreum cum portatili eleganter constructum, ornate et laudabiliter servatum, cuius retro est parvus chorus, iuxta quem est imago beatae Virginis Mariae depicta in tabula cuprea, sub crystallis custodita. In hoc altari est officiatura trium mnissarum in hebdomada, diebus festis compraehensis, quarum pars in satisfactionem |**268^{v}**| legati quondam Hieronymi Caprioli, in eius testamento anni 1645, ut asseruit dominus Carolus Panizza, cancellarius comunitatis Leonati, ad numerum 135; pars autem caetera pro devotione comunitatis a praedicto reverendo domino Antonio Bondoni, eiusdem oratorii cappellano amovibiliter electo ab ipsa cominutate, celebrantur; pro quibus ab eademmet communitate assignati fuerunt campi quadraginta quinque, qui sunt circum ipsum oratorium, ex quibus percipit ipse fructus et praeterea ab ipsa comunitate quot annis accipit tronos quadraginta septem. Praefatus reverendus Bondoni cappellanus est huius oratorii benemerentissimus, qui a fundamentis hoc idem oratorium etiam aere proprio reaedificavit et ornata forma construendum curavit. Ab eo praeterea domus contigua, de ratione ipsius oratorii, reaedificata pari modo fuit, quam visitavit eamque ornate et comode constructam invenit; quod, cum eius pietate et liberalitate confectum fuerit, eiusdem etiam perpetuo monumentum in his actis futuris temporibus describendum mandavit. Vidit caetera duo altaria, in duabus lateralibus cappellis posita, quae nondum perfecta sunt, sed quamtotius perficienda fore videntur. Vidit et visitavit confessionale, in hoc oratorio de licentia domini archipraesbyteri tentum nec non sacristiam et in ea sacras suppellectiles, de quibus ornate et decore provisum est. |**269**| Habet etiam hoc oratorium suum campanile, in quo duo sunt campanae. Inibi habitat Paulus Mascarin quondam Lucae, haeremita ipsius oratorii. Ordinata. Fenestrae, ubi opus est, provideantur de ramatis – sarciatur seu potius renovetur ianua in ingressu huius oratorii. His peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, eodem comitatu, iter suum prosequitur, relicto hoc oratorio et ad fines Leonati pervenit, ubi nova venerationis ex parte eiusdem comunitatis a dominis deputatis iudicia accepit, a quibus humilimis verbis maximae gratiae illi actae fuerunt, quod suae visitationis honore ac beneficio populum leonatensem et clerum dignatus esset; quibus cum perhumaniter respondisset, transgressis iisdem finibus, obvium habuit admodum reverendum dominum Ioannem Mariam Scandola, archipraesbyterum Castellarii Laguselli et milites eiusdem loci, cum principalioribus eius comunitatis et clero, quorum omnium nomine praedictus dominus archipraesbyter obsequii omnis officium humilime obtulit; cum his iter agens, pervenit ad Castellarium et ad aedes parochiales ubi, ex itinere ac ex longa visitatione peracta aliquantulum defessus, quieti primum ac nocte adventante somno absque cibo se dedit.

|**269^{v}**| [A margine: CASTELLAR LAGUSELLO] Die martis, tertio festo Pentecoste, 4 mensis iunii 1743. Facto mane, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, in egressu aedium parochialium sub baldachino, a quatuor sacerdotibus gestato, receptus, adorata et deosculata cruce sibi ab admodum reverendo archipraesbytero pluviali induto porrecta, ad ecclesiam parochialem, clero praeeunte et solita decantante, progressus est, in cuius limine aqua lustrali se signavit aspersorio ab eodem domino archipraesbytero accepto ac populum aspersit receptoque thurificationis honore, altare maius adivit solitisque decantatis, altare ipsum conscendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Ad thronum subinde, in cornu evangelii altaris maioris sibi decore paratum, venit, in quo, violacei coloris sacris paramentis indutus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in proximiori

coemeterio, quod etiam visitavit, fudit. Sumptis deinde paramentis albi coloris praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit augustissimum Eucharistiae sacramentum, quod servatur in pixde in cupa argentea, in pede autem ex auricalco et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi – quae est argentea – bene custoditum. Vidit etiam aliam parvam pixidem, cum cupa argentea, operculo cupreo et pede ex auricalco, utrasque pixides suis decentibus conopeis ornatas. Vidit ostensorium, in radiis argenteum cum pede ex auricalco inaurato nec non amigdalam pro deferendo eodem Sacramento ad infirmos |**270**| a parochiali ecclesia distantes. Interrogatus reverendus dominus archipraesbyter ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, respondit hoc divinum Sacramentum statutis temporibus renovari; dum ad infirmos defferendum est, data opportunitate, dari signa in sero et decenter associari, luminibus ac suppellectilibus, de quibus providet societas eiusdem Sacramenti et indulgentias associantibus concessas publicari; schedas in Paschate communicatis distribui ac subinde colligi; sub hac cura esse animas a comunione 288, in totum vero 399 nullumque – divina favente gratia – extare praecepto ecclesiae innobedientem; processiones hoc ipso Sacramento fieri tertia quaque dominica mensis, quadragesimali tantum tempore excepto, nec non in die festo Corporis Domini, impensis eiusdem societatis; expositionem vero fieri omnibus diebus dominicis Quadragesimae, sumptibus huius communitatis. Populo deinde eodem Sacramento benedixit ac idem plurimis utriusque sexus christifidelibus erogavit. Reposito sanctissimo Sacramento, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri; quo absoluto, nonnullos utriusque sexus christifideles sacro Chrismate perunxit. Visitavit subinde olea sancta, in loculo in cornu evangelii altaris maioris decenter et rite instructo viditque vascula maiora in capsula ex nuce, quae mittuntur ad cathedralem ad accipienda eadem olea viditque etiam |**270**^{v}| minora vascula pro oleis, scilicet Chrismatis et Cathecumenorum nec non pro infirmis, omnia stamnea, rite elaborata et bene tenta. Vidit fontem baptismatis, in aedicula rastro clausa iuxta portam maiorem a parte evangelii posita, cum sacrario eidem proximo. Confessionalia quinque in hac ecclesia, duobus mobilibus compraehensis, vidit pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus, bene disposita et perpolite tenta. Posthaec visitavit altare maius, marmoreum romano modo constructum, quod retro habet chorum cum exedris et in eiusdem prospectu est icon ab Odoardo Perino depictus, in quo rappresentantur imagines beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu, sancti Nicolai bariensis titularis huius ecclesiae, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Ioannis Nepomuceni. Huic altari dominus archipraesbyter cereos et lampadem ardentem manutenet; pietas autem fidelium huius loci de caeteris providet. In hoc ipso altari nulla est officiatura aut obligatio missarum, sed idem dominus archipraesbyter diebus festis in eo celebrat et applicat pro populo. Altare transfigurationis Domini nostri Iesu Christi, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure societatis sanctissimi Sacramenti, a qua manutenetur, quae asseritur canonice errecta et habet suos redditus tronorum 350 circiter, qui impenduntur |**271**| in manutenendo ipso altari et cereis ac suppellectilibus pro cultu divini Sacramenti nec non in missis celebrare faciendis, prout apparet ex obligationibus descriptis in tabella existente in sacristia, cuius copia exhibita fuit et in fine huius libri posita ad litteram Q, quibus obligationibus apparet satisfactum ex libro venerabilis ecclesiae parochialis foris inscripto “Legata pia eorumque satisfactiones”, exhibito, viso et restituto. Haec societas fuit instituta commissaria suae haereditatis a quondam Benvenuto, filio quondam Iacobi de Sacchi huius loci, in eius testamento diei 23 maii 1605 in actis domini Petri Antonii Lavori notarii, viso et restituto. In ipso, praeter legatum, ab ipso huic societati scriptum quo illam obligavit celebrari faciendo quot annis duo officia funebria pro eius anima et suae uxoris et praeter alia legata ibidem descripta, iussit ut, ex redditibus residuorum eius bonorum, dotentur tot puellae huius loci cum decem ducatis pro quaque et, si fructus superessent numeros puellarum dotandarum, voluit ut singulis maior quantitas dotis errogaretur; si vero puellarum numerus superesset redditus, ut singulis decem ducati erogari non possit, ordinavit ut ex ipsis sorte tot eligerentur quot dotari possent cum ducatis decem pro quaque, iuxta vires reddituum, declarando ut haec dotium distributio fieret in die Natalis Domini nostri Iesu Christi et in die |**271**^{v}| Paschatis eiusdem ressurectionis. Societas praedicta, assumpta commissaria, exequta est piam dispositionem praedictam; die vero 17 novenìmbris 1740, iuxta publicas leges, vendidit bona huius haereditatis et percepit ex iis praetium tronorum 13255.12, ex quibus, detractis impensis quae occurrerunt in instrumentis, datiis et cetera, efformavit ex multis capitalibus, fundatis et descriptis in libro foris inscripto “Libro delle rescosse et cetera del quondam Benvenuto Sacco” pagine 1, 2, 3 summam tronorum 12620.8 et ex iis percipit fructus quibus, ut supra, dotantur puellae et ex eodem libro pagine 5 et 6 apparet dotatas easdem fuisse anno 1742 et 1743, cum dote usque ad summam tronorum centum viginti pro quaque. Altare sancti Ioseph, lapideum cum portatili et icone depicto, de iure nobilis familiae Arighi, a qua manutenetur et celebrare facit ut infra dicetur in visitatione oratorii praedictae nobilis familiae, sub titulo eiusdem Sancti Ioseph. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, ex stucco constructum; habet mensam marmoream cum

portatili et imaginem sub crystallis eiusdem beatae Virginis Mariae, ex ligno sculptam, de iure confraternitatis Rosarii, quae asseritur canonice errecta, a qua manutenetur. Ex libro foris inscripto "Compagnia Santissimo Rosario" apparet ex quatuor capitalibus horum summam esse 9888.10, redditis autem ex iis tronorum 40.18.6, viso et restituto, ex quibus satisfit obligationibus descriptis **|272|** in tabella existente in sacristia, cuius copia exhibita in fine huius libri posita fuit ad litteram Q. Haec societas, uti haeres quondam domini Caroli Rondinelli quondam alterius Caroli huius loci, ex eius testamento diei 18 ianuarii 1713 in actis domini Gregorii Carmisani notarii, viso et restituto, tenetur celebrari facere tot missas ex redditibus eiusdem haereditatis, qui modo sunt troni 156.19.9 ex septem capitalibus in summa tronorum 2961.12, ut ex libro foris inscripto "Libro del legato Rondinelli", viso et restituto et cappellanus percipit aeleaemosinam solidorum triginta pro quaque missa in suffragium eius animae et suorum defunctorum a cappellano eligendo a reggentibus et gubernatoribus eiusdem societatis, cum assensu et consensu domini archipraesbyteri pro tempore, praelatis tamen sacerdotibus descendentibus ex eius familia Rondinelli, primum ex linea masculina, deinde ex foeminina. Ad praesens huius officiaturae cappellanus est reverendus dominus Ioseph Vicario, ut supra descendens ex linea foeminina Rondinelli, deficientibus aliis ex linea masculina, qui oneri adimplet. Altare beatae Virginis Mariae Consolationis nuncupatum, cum mensa marmorea, portatili et icone depicto, in reliquis ex muro constructum, in quo nulla est obligatio missarum et manutenetur piorum aeleaemosinis. Visitavit denique sacristiam et in ea armarium ex nuce, in **|272v|** quo sacra paramenta et vasa custodiuntur, de quibus bene provisum invenit et descripta leguntur in policea a domino archipraesbytero, iuxta mandata, una cum aliis exhibita et in fine huius libri posita sub littera Q. Vidit quoque campanile, in quo duo campanae enumerantur. Quibus peractis, ad aedes parochiales restitutus prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 4 Iunii 1743 post prandium. Convocatis maribus et foeminis in ecclesia parochiali ad exercitium doctrinae christianae, illustrissimus et reverendissimus praesul in eam descendit iussitque admodum reverendo domino archipraesbytero ut ex more illos interrogaret, quos audivit interrogatos et respondentes ut omni in doctrina christiana peritia admiraretur et summa consolatione afficeretur eius animus, ex quo et discipulos et magistros, ac in primis praedictum dominum archipraesbyterum, summopere laudavit eisque ut in sancto proposito huius exercitii laudabiliter frequentandi perseverarent enixe hortatus est. Dimissa schola doctrinae christianae, cum praeter parochianos huius ecclesiae maxima chistifidelium multitudo utriusque sexus ex finitimis terris coaluisset ut sacro Confirmationis sacramento initiaretur, illud ministravit et, cum ecclesia eius multitudinis capax non esset, extra ipsam in platea, frequentissimo populo referta, usque ad vesperum idem sacramentum elargitus est. **|273|** Vix a laboriosa hac administratione cessavit, ad visitandum [a margine: San Giuseppe] publicum oratorium sub titulo Sancti Iosephi, infra limites huius parochialis ecclesiae et de iure nobilis domini Antonii Arighi se contulit, in quo unicum vidit altare, marmoreum cum portatili et icone depicto retro et iuxta altare ipsum eleganti forma, prout idem oratorium constructum est. Hoc oratorium errectum fuit ab eodem nobili domino Antonio anno 1727, ut apparet ex concessione errectionis diei 30 aprilis eiusdem anni et ex subsequenti dotatione diei 10 octobris anni praedicti, qua hoc oratorium super bonis eiusdem domini Antonii dotatum fuit redditu ducatorum sex de grossis triginta uno pro quoque et ut ibidem misasae sacrifitium celebraretur, non obstante ianua per quam est aditus in eius aedes privatas, ex causis in rescripto illustrissimi et reverendisssimi domini domini Francisci Trevisani veronensis episcopi enunciatis, ab ipsomet episcopo Trevisano concessum fuit sub die 28 decembris 1731, cum conditionibus in eodem rescripto adpositis, ad quod et cetera et ut constat ex actu eiusdem concessionis praedictae diei, viso et restituto. In hoc oratorium, auctoritate apostolica, a reverendissimo domino vicario generali huius episcopatus, novem missae translatae fuerunt celebrandae in quacumque hebdomada, quatuor scilicet quae olim celebrari consueverunt in paroecia Fasani, brixiensis diaecesis relative ad piam dispositionem quondam domini Madernini Arighi senioris et quinque legatae a quondam domino Madernino Arighi **|273v|** iuniori ad altare sub invocatione sancti Ioseph in hac parochiali ecclesia, assignatis tamen missis decem et octo ex iis celebrandis singulis annis in perpetuum in recensito altari sancti Ioseph huius parochialis, in quo numerus huiusmodi missarum augeri poterit ex arbitrio praedicti nobilis domini Antonii Arighi. Qua facta translatione, per ipsum nobilem dominum Antonium fit adimplere a reverendo domino Simone Zevegaglia quondam Bartholomaei de Montiambano, qui celebrat in hoc oratorio quinque missas et ab aliis sacerdotibus ab ipsomet electis, qui supplent caeterae obligationi tam hic quam in parochiali ecclesia praedicta. In custodia marmorea, intra gradus a candelabris huius altaris posita, sacrae infrascriptae reliquiae servantur, scilicet: particula ex ligno sanctissimae Crucis, in theca argentea, quam vidit litteris et sigillo munitam; propterea eamdem thurre, sibi a domino archipraesbytero superpelliceo et stolla induto oblato, adhibito, deveneratus est. Ex ossibus sanctae Annae, matris beatae Virginis Mariae, in theca argentea; ex ossibus sanctorum Simonis apostoli, Barbarae

virginis et martyris, Emigdi episcopi et martyris et Irenis virginis et martyris, in reliquiario argenteo eleganter elaborato; ex ossibus sancti Antonii patavini, in theca crystallina; ex subucula beatae Virginis Mariae et ex pallio sancti Ioseph, in theca pariter crystallina et ex ossibus sancti Ianuarii episcopi et martyris et sancti Ioannis a Cruce, in reliquiario argenteo eleganti forma elaborato, quas |**274**| invenit litteris et sigillo munitas ideoque ipsas recognovit et deveneratus est. Vidit sacristiam, et in ea paramenta et vasa sacra, in armario ex nuce servata, de quibus non mediocri impendio a pietate ipsius nobilis domini Antonii Arighi optime provisum est et perpolite tentum. Vidit etiam ianuam iuxta praedictam concessionem, per quam additus in aedes privatas habetur nec non campanile, in quo una tantum extat campanula. Hisce peractis et nocte iam properante, ad aedes parochiales regressus in proprio cubiculo se recepit et incoenatus obdormivit. Die mercurii 5 mensis iunii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem antedictam descendit, in qua sacrum fecit et aliquot utriusque sexus christifideles sacro Chrismate perunxit. Quibus actis, interrogavit utrum convenientibus cereis sacrifitium missae in altaribus perageretur cumque responsum illi fuerit et cognovisset minimas candellas occasione officiorum in altaribus aliquando poni solere quae vix sufficiant pro una missa celebranda ideoque decrevit ut in altaribus non ponantur minores candellae occasione missarum et officiorum ponderis duarum unciarum pro quaque, iniungens domino archipraesbytero et ei praecipiens ne officia aut missas celebret |**274**^{v}| aut celebrari permittat in sua ecclesia nisi huiusmodi candellae ponantur et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit subinde totam hanc ecclesiam, de iure huius comunitatis, a qua manutenetur et in ea vidit et visitavit organum et suggestum, in quo concionatur diebus festis Quadragesimae, cum mandato et benedictione episcopali et concionator eligitur ab hac communitate, a qua stipem accipit tronorum septuaginta duorum. Haec ecclesia, eius chorus et omnia altaria cura admodum reverendi domini Ioannis Mariae Scandola, huius paroeciae archipraesbyteri fere ab omnibus fundamentis reaedificata fuit duorum annorum spacio, qui proxime elapsi sunt et in elegantem, ornatam et magnificam formam cum fornice constructa, quod cum admiratus esset illustrissimus et reverendissimus praesul, cognovit ex eo et laudavit praedicti domini archipraesbyteri solertiam, pietatem ac liberalitatem quibus hoc aedificium construendum et ornandum curavit. Hoc benefitium subest iurisdictioni episcopali et confertur per concursum, iuxta formam sacri Concilii tridentini. Ad aedes parochiales regressus, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, in iisdem aedibus pro tribumali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: admodum reverendus dominus Ioannes Maria Scandola, archipraesbyter huius parochialis, quam obtinuit per concursum ab illustrissimo et reverendissimo domino domino |**275**| episcopo anno 1724 et ostendit bullas et mandatum executivum diei 25 augusti eiusdem anni; obtulit etiam libros curae animarum huius loci, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos bene tentos esse invenit. Interrogatus subinde dominus archipraesbyter an in hac paroecia adsint haeretici vel de haeresi suspecti, adulteri, concubinarii vel alii publici peccatores nec non de vita et moribus ecclesiasticorum in hoc loco degentium, respondit – divina favente misericordia – nullum haereticum vel de haeresi suspectum aut publicum peccatorem extare; clerum vero suum diligentem esse in functionibus ecclesiasticis bonumque exemplum semper de se praebere. Reverendus dominus Simon Zevegaglia, sacerdos aetatis annorum 43 circiter. Reverendus dominus Franciscus Zanella, sacerdos aetatis annorum 34 circiter. Reverendus dominus Ioannes Madi, sacerdos aetatis annorum 26 circiter. Reverendus dominus Matthaeus Scandola, sacerdos aetatis annorum 25 circiter, qui fuit approbatus ad confessiones pro maribus et infirmis ad annum. Reverendus dominus Ioseph Vicario, qui non comparuit, cum Veronae studiorum causa degat. Vocati subinde comparuerunt consiliarii huius communitatis, qui, interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio munere fungendo domini archipraesbyteri nec non |**275**^{v}| de vita, moribus et honestate ecclesiasticorum et an adsint in hac paroecia publici peccatores, unanimes responderunt dominum archipraesbyterum praecaeteris in proprio munere prefulgere, ecclesiasticos omnes bonis vita, moribus et honestate redolere nullumque adesse publicum peccatorem. Comparuerunt subinde reverendus dominus Gregorius Echeli, curatus parochialis ecclesiae Montiambani huius diaecesis nec non domini Sebastianus Melchiori quondam Francisci, vicarius et Iulius Andreas Paroni quondam Antonii, consiliarius ipsiusmet communitatis Montiambani et produxerunt illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo instantiam sequentis tenoris, videlicet. Humilis expositio communitatis Montiambani et per ipsam domini Sebastianus Melchiori quondam Francisci, vicarius et Iulius Andreas Paroni quondam Antonii, consiliarius et nomine et cetera ac admodum reverendus dominus Gregorius Echeli, parochus venerabilis ecclesiae parochialis dicti Montiambani, inhaerendo extensioni et instantiis usque ab anno 1713 sub die 5 octobris humiliter porrectis felicis memoriae nunc quondam illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Francisci Barbadici, olim episcopi praedeccessoris a communitate nostra Montiambani et contra

communitatem Castellarii atque reverendum rectorem illius parochialis et super quibus nullum fuit emanatum decretum tamquam in visitatione, licet monitum; ideo noviter comparuerunt antescripti domini vicarius et consiliarius communitatis |**276**| Montiambani coram illustrissimo et reverendissimo domino domino Ioanne Bragadeno episcopo in visitatione ecclesiae parochialis Castellarii et reverenter insteterunt decerni quod simplex oratorium Sanctae Mariae Virginis Gratiarum, vulgo *Le Crosare*, cum vere et realiter existat intra limites dicti Montiambani et suae parochialis sit et debeat esse de ratione dicti Montiambani privative quoad parochialem Castellarii, non attentis in contrarium adductis in dicto anno 1713 a Castellario. Immo, stante iustificatione in dissigno successive facto a Ioanne Maria Gandini quondam Ioannis Baptistae, de mutuo communitatum ipsarum consensu ibi producto et non impugnabili et ex rationibus quae amplissime a tali localitate ressultant et ita et cetera, implorando restitutionem in integrum adversus quaecumque praeiudicialia et quodvis aliud remedium et ita et cetera, salvis et cetera. Dominus archipraesbyter Castellarii, una cum Ioanne Baptista Vicario quondam Francisci, Iacobo Rossi quondam Francisci aliisque praesentibus consiliariis ipsiusmet communitatis, intellecto tenore suprascriptae instantiae eisdem per me notarium lectae, respondendo instetit adnotari ecclesiam praedictam ad ius parochiale Castellarii pertinere, repetendo ea omnia quae produxerunt coram felicis recordationis illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo Ioanne Francisco Barbadico anno 1713 in visitatione Montiambani; quin immo cum, quamvis moniti |**276ᵛ**| curatus et homines Montiambani ut comparerent in termino assignato in decreto eiusdem illustrissimi et reverendissimi episcopi in praedicta visitatione emanato non comparuerint, humilime insteterunt ut per decretum suae illustrissimae et reverendissimae dominationis decerneretur manutenendum eorum parochum et ius eius parochiale in possessione supra praedictum oratorium et ita et cetera, salvis et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, visis comparitione et instantia supra descriptis nec non actibus visitationum ipsiusmet oratorii a suis praedecessoribus factis, partibus auditis, decrevit manutenendum esse admodum reverendum parocum Castellari in possessione sui iuris parochialis super oratorium Beatae Virginis Mariae Gratiarum vulgo *delle Crosare*, salvis iuribus partium in petitorio, pro quo monuit partes ad producenda iura et exceptiones super ipsum petitorium, post eius reditum Veronam et sine praeiudicio omnium iurium utriusque communitatis quoad territorium temporale, et ita et cetera, omni et cetera. Posthaec reverendissimus dominus provicarius generalis se contuit ad visitanda oratoria infrasripta. [A margine: Beata Vergine Maria Annunciata] Et primum visitavit publicum oratorium Beatae Virginis Mariae Annunciatae, intra limites parochialis Castellarii, in quo unicum est altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, de iure ipsius communitatis, a qua manutenetur. |277| Hoc oratorium vidit fere omnibus ornamentis neccessariis destitutum, sine sacristia et sine suppellectilibus pro sacrifitio missae. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarumm sed in eo celebratur tantum ex devotione. Ordinata. Provideatur hoc idem oratorium de omnibus neccessariis tam ad eiusdem ornatum, quam pro sacrifitio missae celebrando et pro sacristia assignando pro termino ad omnia haec praestanda totum annum proximum 1744 quo anno elapso et non parito, nunc pro tunc oratorium ipsum suspensum declaravit. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria delle Grazie] Stante supradicto decreto illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi hodie in contradictorio iudicio sequto inter reverendum curatum et homines Montiambani ex una, et admodum reverendum rectorem et homines Castellarii ex alia, visitavit reverendissimus dominus provicarius generalis oratorium Beatae Virginis Mariae Gratiarum vulgo *delle Crosare*, quod subest iuri Parochiali praedicti admodm reverendi archipraesbyteri Castellarii iure possessorio, et est de iure patronatus communitatis Castellarii praedicti, in quo unicum est altare, in mensa marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae super murum depicta sub crystallis; caeterae eius partes sunt ex muro plastica arte elaborato, quo praedicta communitas Castellarii accedit |**277ᵛ**| cum procession,e prout enunciatur in visitatione anni 1712 et in quo nulla est obligatio missarum, sed ex devotione eiusdem communitatis aliquando in eo missa celebratur, pro quibus paramenta ex parochiali dessumuntur, cum fundus liber non sit contiguus huic Oratorio, in quo sacristia erigi possit. Hisce absolutis, ad aedes parochiales regressus, illustrissimus et reverendissimus praesul prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 5 mensis iunii 1743 post prandium. Illustrissimus et revrendissimus dominus dominis antistes, post vesperarum horam, viatorio habitu indutus in ecclesiam parochialem descendit ubi, gratiis summo Deo optimo maximo actis, illique defunctorum animabus comendatis suam pastoralem huius paroeciae absolvit; qua absoluta, iter suscepit versus Puteumlongum eodem ordine procedens quo huc advenit, et in finibus Castellarii ab admodum reverendo archipraesbytero eiusdem loci, suo et sui cleri ac pouli nomine, obsequii ac gratiarum officiis acceptis ac illo et eius populo benedicto, fines eosdem praeteriit ac dum Puteilongi territorium attigit, obvios habuit admodum reverendum dominum Caietanum Bertoli, archipraesbyterum eiusdem loci, sindicos ac principaliores eius communitatis Puteilongi, populumque per vias,ì et colles propinquos diffusum, a

quibus omne venerationis argumentum sibi oblatum cognovit. Cum hoc comitatu processit, praecedentibus militibus eiusdem communitatis et clero, caeteris vero omnibus subsequentibus, ad Puteilongum |**278**| pervenit ascenditque Castrum ubi sunt aedes parochiales, in quibus se recepit et ibidem incoenatus quievit.
[A margine: POZZOLENGO]. Die iovis 6 mensis iulii 1743. Illustrissimus et RìReverendissimus dominus dominus episcopus, longioribus indutus vestibus, ad ianuam praedictarum aedium parochialium sub baldachino, a quatuor scelectis ex principalioribus loci gestato, fuit receptus, inibique adorata et deosculata Cruce sibi ab admodum reverendo domino Caietano Bertoli archipraesbytero pluviali induto porrecta, praecedentibus scholis puerorum et puellarum doctrinae christianae et disciplinatorum, nec non universo clero processionis ordine servato, decantante cantico *Benedictus*, ecclesiam Parochialem adivit; cumque ad ianuam maiorem ecclesiae pervenerit, fecit aquae lustralis aspersionem, receptoque thuris honore, ante altare maius genuflexus oravit et, absoluta antiphona de more recitataque consueta oratione, populo benedixit, ac indulgentiam episcopalem de suo mandato publicatam impartitus est. Ad cathedram deinde sibi paratam venit ubi, pluviali violaceo indutus, exequias pro defunctis in praefata ecclesia eiusque coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. Ad thronum reversus, violaceo pluviali dimisso alboque sumpto praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi, quae est argentea, decenter |**278**^{v}| custoditum viditque aliam pixidem minorem, argenteam in cuppa in operculo cupream cum pede ex auricalco, nec non amigdalam pro eodem divino Sacramento distantibus infirmis deferendo, ex argento confectam nec non ostensorium radiatum pariter agenteum, quae omnia, prout etiam caeterae suppellectiles pro decenti eiusdem Sacramenti associatione, manutenentur a societate Corporis Christi. Idem dominus archipraesbyter asseruit debitis temporibus hoc Sacramentum renovari, communicatis in Paschate schedas distribui easque recoligi, decenter ad infirmos debitisque modis sanctissimum Viaticum deferri, cumque ad ipsos infirmos deferendum est, dari signa in sero indulgentiasque associantibus concessas publicari; sub hac cura extare animas a communione 1450, in totum vero 1881 nullumque ex his inobedientem esse ecclesiae praecepto. Hoc ipso Sacramento expositionem fieri quaque sexta feria Quadragesimae, piorum sumpribus et prima ac tertia dominica cuiuslibet mensis, a mense maii per totum mensem septembris impensis suprascriptae societatis. Festo sanctissimi Corporis Christi solemnem fieri processionem prout tertia quaque dominica mensis. Populo subinde eodem Sacramento benedixit, ac quamplures utriusque sexus christifideles ipso celesti pabulo refecit. |**279**| Reposito sanctissimo Sacramento, sacrosanctum missae sacrifitium celebravit; quo absoluto, nonnullos etiam utriusque sexus christifideles communicavit, ac petentibus Confirmationis sacramentum ministravit. His actis, visitavit olea sancta, in vasculis maioribus in capsula ex nuce, quae mittuntur ad cathedralem ad eadem olea sancta recipienda nec non vasculum quoque stamneum pro oleo infirmorum, vascula oleorum Chrismatis et Cathecumenorum argentea, omnia rite instructa et bene custodita in loculo in cornu evangelii altaris maioris, decenter parato. Vidit fontem baptismalem in cappella rastris ferreis clausa, sera et clavi munita, iuxta ianuam maiorem ecclesiae in cornu evangelii ibidemque vidit sacrarium, omnia rite instructa. Visitavit quoque tria confessionalia in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus rite quoque instructa, et bene tenta. Visitavit subinde altare maius, marmoreum cum portatili, de iure spectabilis communitatis huius loci, a qua manutenetur, exceptis cereis et oleo pro lampade, de quibus providet dominus archipraesbyter. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo dominus archipraesbi
yter celebrat et diebus festis applicat pro populo Retro huic altari vidit |**279**^{v}| chorum cum exedris, bene costructum. Visitavit altare beatae Virginis Mariae, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis, ex ligno sculpta sub crystallis, de iure communitatis praedictae, a qua de omnibus manutenetur. Nulla in eo est obligatio missarum, sed celebrat reverendus dominus Paulus Brighenti, curatus huius parochialis ecclesiae, diebus festis, cui communitas ipsa dat stipem ex eius devotione. A laboribus iam defatigatus, illustrissimus et reverendissimus antistes ad aedes parochiales antedictas se contulit. Reverendissimus vero provicarius generalis, altarium huius ecclesiae parochialis visitationem prosequens, visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et icone depicto, circum quem depicta sunt misteria eiusdem rosarii, de iure societatis sub eodem titulo, a qua manutenetur. Haec societas habet redditus et onera ut in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram R. Cum tamen observaverit reverendissimus dominus provicarius generalis obligationum onera confuse adimpleri, quamvis ex libris eiusdem societatis aliquibus in locis viderit diversa esse legata et respectivas obligationes: ideoque monuit reggentes eiusdem societatis, ut adhibeant diligentiam ad cognoscendas districte obligationes, quibus ex respectivis legatis societas tenetur et eaedem obligationes in libro distincto separatis in partitis describantur, cum capitalibus |**280**| et fructibus dependentibus et concernentibus cuique obligationi, ad hoc ut

quot annis distribuantur ipsae obligationes satisfaciendae distinctae et separatim, non confuse sacerdotibus, a quibus pro ipsis esse celebrandum; qui sacerdotes item, in libro in sacristia semper servando, tenebuntur in partitis separatis respectivarum obligationum pro quibus erunt electi ad celebrandum describere quantitatem missarum quas celebraverint de die in diem, se subscribendo et exprimendo pro qua obligatione applicaverint, in quo libro etiam describent quantitatem aeleaemosinarum a societate sibi traditarum vel fructuum capitalium, quos eisdem ipsa societas assignaverit; aliter non erit aliqua eleaemosina ipsis sacerdotibus eroganda, neque fructus ex capitalibus assignandi. Quatenus vero ex documentis huius societatis vel ex eius libris, omnes obligationes distinctae, diligentia adhibita, cognosci non poterit, monuit ipsos reggentes ut reccurent quo reccurendum est pro remissione ommissionis peractae et pro methodo quae deinceps in satisfaciendo suis obligationibus erit observanda et interim praecepit ne maior eleaemosina celebrantibus pro obligationibus ipsius societatis erogetur quam triginta marculorum pro missis ferialibus et quadraginta pro festivis. Domina Camilla Brazina, in eius testamento diei primae septembris |**280**^{v}| anni 1665 in actis domini Diocletiani Bergamini, viso et restituto, reliquit huic eidem societati et legavit unam petiam terrae arrativam, nuncupatam *la Brusada*, positam in pertinentia Puteilongi, in contrada praedicta inter fines ibidem descriptos, cum onere reggentibus hanc societatem ut, ex fructibus eiusdem petiae terrae, tot missas annuatim celebrari facerent in hoc altari pro eius anima et suorum praedefunctorum; addens etiam et declarans ut petia terrae hortiva et circumdata muro nuncupata *l'orto del Corvana* perpetuis futuris temporibus sit obnoxia et hippothecata oneri faciendi celebrari quatuor missas annuatim. Haec societas – ut fuit assertum – numquam adiit huiusmodi legatum, nec ideo obligationi satisfecit sed, cum praedictae testatricis sint haeredes domini Carolus et eius fratres Savii possident etiam ipsas duas petias terrae et tenentur ad satisfaciendum a quibus – ut pariter fuit assertum – huc usque pro obligatione primae petiae terrae celebrare faciunt missas viginti annuatim et pro obligatione secundae missas quatuor. Altare sanctissimi Crucifixi seu beatae Virginis Mariae a Carmelo, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure familiae de Midanis, a qua manutenetur, in quo assertum fuit nullam adesse obligationem missarum, sed celebrari ex devotione. |**281**| Altare sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure huius communitatis, a qua manutenetur. In cornu evangelii huius altaris haec in marmore legitur inscriptio: "Reverendus dominus Augustinus Biolcus, illibatae famae sacerdos, cuius religiosa sedulitate piaque industria sacrum hoc aedificium a fundamentis errectum, cuius munificentia sanctuarium Deiparae dimidia ex parte substructum, sacellum hoc a se conditum, a se dotatum, sed subeunte morte interruptum, fundo ad hoc legato iussit absolvi, reliquis in templi ornamentum adiectis, idibus Iunii 1702". Fundus relictus a praedicto reverendo Biolchi a communitate venditus fuit iuxta publicas leges et ex eius praetio extat capitale tronorum mille, quod reddit fructum tronorum quadraginta annuatim, qui fructus impenditur in manutenedo hoc altari. In hoc altari est obligatio missarum de qua relatio habetur in policea exhibita etin fine huius libri posita ad litteram R. Altare sanctissimi Sacramenti nuncupatum seu Corporis Christi, marmoreum cum portatili et icone depicto, super cuius gradus extat custodia quoque marmorea, in qua servatur sanctissimum Sacramentum in maiori hebdomada; est de |**281**^{v}| iure societatis sub eodem titulo, a qua manutenetur et habet redditus et onera descripta in policea exhibita et in fine huius libri posita sub littera R. Super quibus monuit reggentes ut procedatur iuxta ordinem praescriptum quoad onera societatis Rosarii. Visitavit subinde sacras reliquias ex veste interiori sancti Aloysii Gonzaghae, in parva techa argentea; ex sacris ossibus sancti Antonii patavini, in reliquiario argenteo et ex sacris ossibus sanctorum Laurentii et Fabiani martyrum, intus binas figuras ligneas argento linitas, litteris autenticis et sigillo munitas, quas ideo recognovit et deveneratus est; reliquiam vero sancti Severi martyris, sine autenticis documentis et sine sigillis in sua veneratione reliquit. Quibus absolutis, ad aedes parochiales restitutus prandium sumpsit. Die antedicta 6 iunii 1743 post prandium. Pueri puellaeque ordine processionis ex ecclesia parochiali discesserunt et ad aedes ubi illustrissimus et reverendissimus antistes comoratur ascenderunt divinas laudes canentes, ut exciperent pastorem suum eumque prosequerentur ad eorum scholam doctrinae christianae, quibus benigne et affectu paterno cum benedixisset, descendit cum illis ad ecclesiam parochialem praedictam et, separatis maribus a foeminis, iussit ut admodum reverendus archipraesbyter suo more illos interrogaret |**282**| de rebus fidei divinaque lege. Libentissime et summa cum eius voluptate, omnes respondentes audivit cognovitque in primis instructos eius cathechismi qui nuper sua suctoritate aeditus fuit; quapropter et discipulorum comendavit peritiam et docentium solertiam. Vidit etiam libros huius scholae, ex quibus observavit qui inter caeteros diligentia essent comendandi; omnes tamen hortatus est ut quam diligentissime in hoc sancto piissimoque opere elaborarent. Schola huiusmodi completa, ministravit plurimis sacramentum Confirmationis et deinde se contulit ad visitandum [a margine: San Giuseppe] publicum oratorium Sancti Ioseph nuncupatum, intra limites parochialis Puteilongi, de iure societatis disciplinatorum, a qua

manutenetur. Vidit in eo duo altaria, maius scilicet marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis est ex muro constructum. Altare sancti Ioannis Nepomuceni, marmoreum nuper errectum cum portatili, sed nondum posita imago eiusdem sancti Ioannis, quae tamen parata est ut ibidem apponatur. Vidit in hoc oratorio confessionale, olim de licentia domini archipraesbyteri ibi positum; nunc et nuper reverendus dominus Bartholomaeus Roveglia cappellanus eamdem licentiam a praesenti domino archipraesbytero cum petierit, hanc ipsam renovavit pro suo |**282**^{v}| arbitrio duraturam. In hoc oratorio et retro altare maius in choro exercetur schola doctrinae christianae pro mulieribus, de licentia et ex voluntate eiusdem domini archipraesbyteri. In choro praedicto retro altare conveniunt confratres diebus festis ad recitandum officium beatae Virginis Mariae aliasque preces iuxta eorum institutum. Ibidem etiam est armarium ex nuce, ubi servantur paramenta pro sacrifitio missae celebrando, descripta in policea exhibita, infra posita ad litteram R, quae vidit decenter instructa. Confraternitas disciplinatorum in hoc oratorio canonice errecta fuit auctoritate huius curiae episcopalis, ut ex eius rescripto diei 2 iunii 1592, quo capitula eiusdem societatis fuerunt approbata et ex indulgentiarum concessione eidem facta ab Augustino Valerio die 12 iunii 1584, quae leguntur in calce regulae huius societatis, typis traditae apud Petrum Antonium Bernum 1722 et aggregata fuit archiconfraternitati beatae Virginis Mariae a Planctu de Urbe anno 1739 die 2 augusti, ut apparet ex diplomate eiusdem archiconfraternitatis praedictae diei, auctoritate episcopali publicato pro executione die 8 ianuarii 1740, viso et restituto. Haec confraternitas habet redditus et onera ut in policea exhibita et infra ad litteram R posita, in qua |**283**| etiam descriptae sunt suppellectiles sacrae. Super quibus monuit dominum priorem et reggentes huius confraternitatis ut exequantur ea de quibus reggentes societatis Rosarii moniti fuerunt, ad hoc ut satisfaciant ex conscientia suis oneribus. Confratres huius societatis induunt saccum cum cappuccio lineum coloris cinericii. Vidit etiam sacram reliquiam ex sacro sudario sancti Ioannis Neopomuceni, in theca argentea cum dupplici crystallo, sigillo et documentis autenticis munitam, quam recognovit et deveneratus est. Hora iam properata, ad aedes parochiales regressus et in proprio cubiculo receptus, incoenatus obdormivit. Die venesis 7 mensis iunii 1743. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus veronensis, comes et cetera, summo mane ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Vigilii, intra limites huius parochialis ecclesiae Puteilongi positum, se se, una cum eius reverendissimo domino provicario generali suisque familiaribus contulit, [a margine: San Vigilio] quo perventus, ab admodum reverendo domino archipraesbytero eiusdem ecclesiae parochialis exceptus fuit et, ab eo illi aquae benedictae aspergillo porrecto, se et populum praesentem eadem lustrali aqua signavit et in ipsum ingressus est. Hoc oratorium est de iure abbatiae Santissimae Trinitatis Veronae et unicum habet altare, cum mensa lignea, portatili et palio ex chorio veteri efformato. Ibidem est icon ab excellenti |**283**^{v}| pictore – ut videtur – depictus, sed cum non bene custoditus fuerit, multis in locis detrimenta passus est. Ante cappellam eiusdem altaris vidit pontem sublicium, ex quo ab aedibus conductoris praediorum abbatiae praedictae est transitus ad campanile, qui ecclesiae deformitatem adferre conspicientibus videtur. Vidit etiam confessionale, quod in postrema visitatione anni 1712 pagina 130 tergo asseritur de consensu domini archipraesbyteri Puteilongi ibidem detentum quodque ibidem etiam tenendum probavit idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus donec modernus dominus archipraesbyter vel eius successores conscenserint et sine praeiudicio iuris parochialis. Visitavit sacristiam et omnia in ea servata apparamenta, quae universim satis honeste instructa cognovit. Observavit etiam campanile, in quo unica extat campana. In hoc oratorio assertum fuit nullam esse missarum obigationem, sed reverendus dominus Franciscus Gialdi, conductor praediorum annexorum huic ecclesiae, celebrat in satisfactionem oneris sibi impositi in scriptura locationis. Ordinata. Pons sublicius ante altare constructus destruatur et alibi paretur transitus ad campanile, quo ex sacristia ascendi potest, cum apertus sit aditus per quem facilis esset ascensus - |**284**| diligentius custodiatur icon et in locis in quibus detrimentum passus est reparetur – planeta rubei coloris, antiqua forma facta, iuxta praesentem ritum reficiatur et ubi sarcienda est sarciatur – ecclesia ipsa eiusque sacristia dealbentur. Qua visitatione absoluta, illustrissimus et reverendissimus praesul, ad ecclesiam parochialem reversus, sacrosanctum missae sacrifitium celebravit, quatuorcentum circiter utriusque sexus christifidelibus divinum Sacramentum ministravit et supra sexcentum sacro Chrismate perunxit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. [A margine: San Giuseppe] Et primum visitavit oratorium publicum Sancto Ioseph dicatum, in contrata *Baiboni*, infra limites parochialis ecclesiae de Puteolongo, in quo unicum vidit altare, ex muro constructum cum portatili et tabula depicta, de iure familiae nobilium dominorum de Cerutis salodiensibus. Observavit fenestram per quam conspiciebatur in hoc oratorio ex aedibus privatis, clausam pro executione ordinationis de qua in visitatione anni 1712. Visitavit sacristiam, in qua sunt paramenta pro sacrifitio missae peragendo, de quibus satis provisum esse invenit. Vidit etiam campanile, in quo una tantum adest campanula. Nulla est in hoc oratorio obligatio

missarum, sed in eo ex devotione tantum celebratur. |**284**^{v}| Nobilis dominus Octavius Cerutus salodiensis quondam nobilis domini Ioannis Antonii, suum ultimum testamentum condidit Venetiis die 14 maii 1619 in actis domini Ioannis Francisci Zoni notarii, cuius particula exhibita fuit, visa et restituta, in quo iussit ut erigeretur cappella sub titulo Sancti Iosephi, cum obligatione celebrandi missam quotidianam in hoc loco dicto *Baibò* aut in loco Villae pro arbitrio suorum fratrum dominorum Francisci et Ioannis Baptistae, mandans ut investirentur mille ducati, ex quorum reddtu erogaretur stips cappellano. Haeredes eius testatoris asseruerunt exequi id onus iuxta vires redditus capitalis ducatorum mille, legati cum stipe triginta solidorum pro quaque missa; quos tamen idem reverendissimus dominus provicarius generalis monuit ut reccursum habeant ad quem spectat, ad hoc ut canonice – quatenus liceat – fiat reductio, eorum conscientiam aggravans ut quamtotius id curent et ita et cetera. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Carlo] Visitavit publicum oratorium Sancti Caroli Borromei, situm in contrata vulgo *del Ponticello*, infra limites Puteilongi, de iure nobilium dominorum Nicolai et fratrum Roveglia, quod olim sub titulo Sanctissimae Annunciationis nuncupabatur. Hoc oratorium errectum fuit ex licentia episcopali die 10 iulii 1740, visa et restituta. Unicum habet altare ligneum cum portatili et icone depicto, in quo nullam obligationem missarum adesse assertum fuit, sed in eo tamen |**285**| ex devotione celebrari. Vidit etiam campanile cum una campana nec non sacristiam et in ea sacra paramenta, de quibus sufficienter et ornate provisum esse reperiit. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giuseppe] Visitavit subinde publicum oratorium sub titulo Sancti Ioseph, in contrata *Ceresa* nuncupata, intra fines parochialis Puteilongi, in quo unicum vidit altare, marmoreum cum portatili et icone depicto a domino Antonio Balestra veronensi, de iure antedictorum nobilium dominorum fratrum de Cerutis salodiensibus, a quibus perpolite manutenetur. Vidit sacristiam et in ea sacras suppellectiles, decore servatas et de quibus optime provisum est nec non unam campanulam existentem supra campanile. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed in eo tantum celebratur ex devotione. In sacristia huius oratorii vidit ostium per quod ingreditur in aream contiguam aedibus privatis suprascriptorum dominorum de Cerutis, quod ostium olim concessum fuit ut oratorium ipsum et eius suppellectiles a depredationibus servarentur immunes; ideoque, stante eodem periculo, apertum concedi censuit, donec alias provisum fuerit. Quibus habitis et cetera. Visitavit oratorium publicum sub titulo Sanctorum Iacobi et Philippi, |**285**^{v}| [a margine: Santi Giacomo e Filippo] de iure admodum reverendi domini archipraesbyteri pro tempore parochialis Puteilongi, in quo unicum est altare, ligneum cum portatili et icone depicto, in quo celebratur ut in pollicea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram R. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santi Vicenzo et Anastasio] Visitavit denique publicum oratorium sub titulo Sanctorum Vincentii et Anastasii martyrum, de iure communitatis Puteilongi, intra limites parochialis eiusdem loci. Unicum habet altare, ligneum cum portatili et icone depicto iuxta ipsum altare et in choro eiusdem retro nec non palium ex chorio. Huic altari adnexa est obligatio missarum descripta in pollicea exhibita et in fine posita sub littera R. Obligatio quae inuitur in eadem policea, proveniens ex pia dispositione Morgagni fundatur in testamento Augustini Morgagni, qui fuit devotus haeremita huius oratorii, quod testamentum condidit die 30 augusti 1674 in actis Laurentii Bonturellae, notarii huius loci quodque exhibitum fuit, visum et restitutum. In hoc testamento praedictus haeremita instituit haeredem hoc ipsum venerabile oratorium, cum onere ut ibidem celebrarentur ex redditibus haereditatis relictae tot missae annuatim de requiem pro eius anima et pro suis benefactoribus ac ut quot annis societati Sanctissimi erogarentur troni septem. Huius piae dispositionis commissarium et exequtorem reliquit priorem eiusdem societatis, declarando ut |**286**| ex eius praedictis redditibus provideretur de cereis pro celebratione praedictarum missarum. Praeter has obligationes, bona relicta obnoxia erant annuo livello tronorum sex, solvendo eidem societati, ut in praedicta policea modernus dominus prior asseruit. Vidit sacram reliquiam ex sacris ossibus sanctae Annae, matris beatae Virginis Mariae, in theca argentea ovalis formae cum crystallo, litteris et sigillo, quam recognovit et deveneratus est. Visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles, de quibus satis provisum invenit nec non campanile, in quo unam vidit extare campanam. Vidit etiam domum contiguam, quam inhabitat Andreas Ederle, haeremita deputatus ad custodiam huiusce oratorii. Vidit et visitavit confessionale, in hoc ipso oratorio de licentia domini archipraesbyteri tentum. Ordinata. In sacristia ponatur labellum cum manutergio, ad abluendas et abstergendas manum celebrantium. Quibus habitis et cetera. Hic peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, iam defatigatus, in aedes parochiales se recepit, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 7 iunii 1743 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in aedibus saepedictis, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, pro tribunali sedit et |**286**^{v}| coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Bartholomaeus Albertini, sacerdos aetatis annorum 90 circiter. Reverendus dominus Ioseph Guaragna, sacerdos aetatis annorum 80 circiter. Reverendus dominus Bonaventura Gelmetti, sacerdos aetatis annorum 71 circiter. Reverendus

sanctissimi Corporis Christi in ecclesia Sancti Felicis pro defunctis. Ianuarius: prima die non impedita, officium cum missis octo in suprasciptarum omnium obligationum dictae societatis. Februarius: die 13, anniversarium pro domino Ioanne Antonio Gietto; die 14, anniversarium pro persona secreta; die 15, anniversarium pro domina Elisabeth. Martius: die 4, anniversarium pro persona secreta; die 9, anniversarium pro reverendo domino Nicolao Cobello, missis 12; die 20, anniversarium pro domina Aemilia Bertocia; die 22, anniversarium pro persona secreta. Aprilis: die 17, anniversarium pro domino Bartholomaeo Quartazola. Maius: die 14, anniversarium pro domino Daniele Zenibonio, cum missis omnium sacerdotum celebrantium in ecclesia. Iunius: die 22, anniversarium pro domina Aelisabeth Chartona. Iulius: die [*manca*] anniversarium pro defunctis omnibus, post octavam Corporis Christi. Augustus. September: die 3, anniversarium pro domina Iacoba Dugatia; die 11, anniversarium pro excellentissimo domino Augustino Dextro; die 27, missas 12 pro domina Magdalena Dugatia. |**597**| October: die 24, anniversarium pro domino Bartholameo Piperada; die 21, anniversarium pro domino Ioanne Maria Quartarola. November: die 3, anniversarium pro defunctis omnibus; die 20, anniversario pro reverendo domino Amadio Albertini. December: die [*manca*] anniversarium pro domino Favetino Dugatio. Romanus Donatius quondam spectabilis domini Lusidori de Sancto Felice, veneta auctoritate notarius, extrahere fecit, subscripsit et solito signo munivit, ad laudem Dei et cetera, hac die 20 maii 1743. |**598**| Copia tratta dalla tabella delle obligazioni che ha la scuola del santissimo Rosario nelle chiesa di San Felice, pro defunctis. Obligatio societatis sanctissimi Rosarii in ecclesia Sancti Felicis, pro defunctis. Ianuarius: die 15, officium pro Dominico Quartarola, cum omnibus reverendis. Februarius: die 3, anniversarium pro omnibus defunctis. Martius: die 26, anniversarium ut supra. Aprilis, Maius, Iunius. Iulius: die 25, officium trium dierum subsequentium pro Bortholameo Liberale et suis defunctis, cum septem reverendis et capellano, cum trono uno pro singulo sacerdote; die 28, officium ut supra pro Felice de Felicibus et suis defunctis. Augustus: die 16, anniversarium pro defunctis omnibus. September: die 9, anniversarium ut supra. October: die 10, anniversarium pro Horatio Manfredo, cum omnibus sacerdotibus. November. December. Romanus Donatius, veneta auctoritate notarius, extrahere fecit, concordavit, subscripsit et signavit ad laudem et cetera, hac die 20 maii 1743. |**599**| Nota delli paramenti della veneranda confraternità di san Carlo in San Felice. Un calice con sua patena – corporali quattro – anime tre – purificadori 4 – due amiti – borse 3 – veli da calice 3 – camisi due – cordoni due – pianete 4, con sue stole e manipoli – un fassoletto bianco – un messale da vivo et un altro da morto. |**600**| Adì 22 maggio 1743 in Santo Felice. Inventario delle cose e mobili della veneranda scuola del santissimo Sacramento, eretta in cotesta parochiale. Un paio cucini dell'altare bianchi di brocadello – un altro paro bianchi e rossi di dalmaschetto – altro paro rossi o sia cremesi di dalmasco – un piviale bianco di dalmasco, con sua stola – due tonicelle bianche di dalmasco, con una stola e due manipoli – una continenza bianca, con fodra rossa – una continenza di cendale bianco, con fodra rossa – una pianeta bianca simile al piviale e tonicelle – altra pianetta di brocato, con stola simile e manipolo – tre tovaglie di renzo una, altre due di lino con pizzi – una tovaglia di renzo con suoi pizzi – una coperta di raso o sia lustrino rosso, foderata di tela rossa, che serve a coprir il letto de poveri – cinque drapi di dalmasco cremesi, per ornare le collonne della chiesa – un conopeo di brocado bianco color d'oro – altro di dalmasco bianco e rosso a fiori – altro di color morello – un baldachinetto per l'espositione del Santissimo, di brocato rosso con cornici e con sua tovaglietta. Quali soprascritti mobili furono consignati al reverendo signor don Gioseppe Tirandi, capellano della veneranda scuola, in fede di che: io Giovanni Tobanelli priore. |**601**| Monte delli frutti e livelli annui provenienti dall'eredità e donazione del quondam reverendo signor don Carlo Carlozzi, come da testamento d'esso reverendo 18 febraio 1658, atti del signor Antonio Rota nodaro e da instromento di donazione [*manca*] atti dello stesso Rota. Eredità. Capitali residuato di lire picoli troni 157, carta 25 libro crediti della comessaria Carlozzi: frutta troni 7.9.8. Altro libro detto carta 29, capitale di troni 512.4: frutta troni 25.12. 61, altro libro detto carta 61 capitale troni 800: frutta troni 40. Altro libro detto, carta 65, capitale troni 700: frutta troni 17.10. Altro libro detto, carta 71, capitale troni 301.15: frutta troni 10.11. Altro libro detto, carta 72, capitale troni 350: frutta troni 14. Altro libro detto, carta 73, capitale troni 1420.10: frutta troni 64.6. Altro libro detto, carta 74, capitale troni 361.10: frutta troni 15.7.4. Altro libro detto, carta 75, capitale troni 512.4: frutta troni 25.12. Altro libro detto, carta 76, capitale troni 1050: frutta troni 42. Altro libro detto, carta 77, capitale troni 700: frutta troni 28 [*Totale della pagina*] troni 290.2.6. |**601/b**| Summa de livelli antescritta: troni 290.2.6. Altro libro ante78, detto, carta capitale troni 112: frutta troni 5.12. Altro libro detto, carta 79, capitale troni 162: frutta troni 46.10. Altro libro detto, carta 16, capitale troni 551.4: frutta troni 27.12. Donazione. Nel libro donazione Carlozzi, carta avanti ogni numero in principio del libro capitale di troni 756.2: frutta annualmente troni 33.15.6. Altro capitale detto libro carta 11, troni 171: frutta troni 6.17. Altro capitale detto libro carta 17, troni 216.10: frutta troni 8.13.2. Altro capitale detto libro carta 41, troni 2800: frutta troni 70.

Altro capitale detto libro carta 46, troni 214.10: frutta troni 8.11. Tutto: troni 497.13. Con li frutti provenienti dall'eredità e donazione sodetti, devono provedere galede quattro oglio per la lampada et ciò annualmente, come appare dal testamento antedetto. |**601/c**| Seguono li capitali infruttiferi per non esser investiti, come in libro coperto di curame. Eredità: libro detto carta 8, capitale de picoli troni 680.15. Altro di scudi duecento: fanno troni 1400, per il quale fu fatto possesso di parte di casa, come da instromento 27 novembre 1733, rogato dal spettabile signor Giovanni Paolo Bertazzoli, non affittata ad alcuno. Donazione. Altro capitale, come nel libro sudetto, carta 9: troni 393. Praemissa ex libris supradictis et ex testamento et instromento citatis desumpsit Petrus Novellus, veneta auctoritate notarius, cum assistentia et interventu etiam Dominici Novelli et in fidem subscripsit et signavit hac die 22 maii 1743. Ad laudem Dei et cetera.

|**602**| Copia tratta da altra simile esistente presso il molto reverendo signor Don Battista di San Felice. Die Iovis XXV Septembris MDCLXX in visitatione parochialis ecclesiae Sancti Felicis Riperiae, veronensis diaecesis. Ad illustrissimum et reverendissimum dominum dominum Sebastianum Pisanum episcopum Veronae et comitem venit reverendus dominus praepositus Sancti Felicis et instetit decerni capellanos cellebrantes in ecclesia Sancti Ioannis Baptistae loci de Cizano, infra limites suae parochialis ecclesiae, nullam posse neque debere exercere functionem parochialem in eadem ecclesia de Cizano, neque minus facere processiones sine sua licentia et pronuntiari se ipsum tantumque proprium parochum habere plenum ius et iurisdictionem in eadem ecclesia et in ea facere functiones, funerales in omnibus casibus et, cum ibi adessent Ioannes Baptista Cominellus, Ioannes Baptista Salò, Carolus Cuginus, Franciscus Vainus, Bartholomaeus Contarellus, Hortensius Salò et Franciscus Cominellus, omnes de contrata Cizani praedicti, respondentes pro suo capellano, dixerunt contra petita per supradictum reverendum praepositum et reverenter petierunt fieri et pronuntiari iuxta suplicationem eorum nomine praesentatam in visitatione arochialis Puegnaghi sub die 23 currentis, nempe demandati suarum |**603**| animarum curam reverendo Petro Salò capellano per eos ellecto; qui eam debent exercere indepenenter a domino praeposito Sancti Felicis. Quibus respondendo, idem reverendus dominus praepositus replicavit suas instantias, reictis quibuscumque praetensionibus adversariorum et petiit fieri decretum quondam illustrissimi et reverendissimi Alberti Valerii 21 ianuarii 1610, cuius copiam authenticam ostendit, desumptam ex libro inscripto "1610. Visitatio Riperiae" existente in archivio episcopatus Veronae multisque hinc inde dictis optime intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus pronuntiavit iuxta petita per dominum praepositum et stetit in decretis illustrissimi praecessoris Valerii decernendo in omnibus et per omnia cum preditionibus et clausulis in dicto decreto 1610 expressis, mandans capellanis pro tempore cellebrantibus in dicta ecclesia hanc suam sententiam et clavis tabernaculi debeat manere penes Petrum Salò et, in sui absentiam, semper apud alium sacerdotem et nequaquam penes seculares. Antonius Rotarius, vice cancellarius mandati.

Ex libro inscripto "1610 Visitatio Riperiae" existente in archivio episcopatus Veronae. Decretum pro asservando sanctissimo Sacramento in ecclesia Cizani. Illustrissimus et et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Albertus Valerius, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis et comes et cetera, attentis supplicationibus praecario nomine sibi factis per reverendum dominum Iacobum Antonium Benasolum, societatis seu congregationis Pacis, habitatorem Cizani et per homines dictae terrae seu viciniae Cizani |**604**| omnibusque considerandis mature consideratis, licentiam concessit et praecario nomine indulxit quod in ecclesia Sancti Ioannis Baptistae terrae Cizani, quae est intra limites et sub cura ecclesiae parochialis Sanctorum Felicis et Adaucti terrae Sancti Felicis in dictione Ripariae Salodii, diaecesis Veronae, asservari possit sanctissimum sacramentum Eucharistiae super altare maiori, in tabernaculo perdecenti, cum lampade coram ipso iugiter ardente, expensis dictae terrae, seu viciniae, iuxta eius obligationem et hoc ad libitum suae domintionis illustrissimae et reverendissimae et seu suorum vicariorum et sine ullo unquam minimo praeiuditio iurium parochialium et cum condictione etiam quod custodiatur per sacerdotem ibi commorantem, ita ut, si nullus ibi commoret sacerdos, nulla et eo ipso sit et intelligatur prorsus concessio. Concessit insuper idem illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus reverendo domino Iacobo Antonio seu alii sacerdoti, de licentia ordinarii in dicta ecclesia cellebranti, omnes utriusque sexus dictae terrae vel viciniae in ipsa dicta ecclesia comunicandi, exceptis tamen diebus Paschatis Resurectionis, Pentecostes, Nativitatis, Epiphaniae, Assensionis aliisque diebus maioribus sollemnitatum; qui enim in talibus diebus comunicari voluerint, ad parochialem accedere teneantur. Haec autem omnia sint et esse intelligantur cum consensu reverendorum quatuor curatorum antedictorum parochialis ecclesiae Sanctorum Felicis et Adaucti et seu ipsis non contradicendis: cum declaratione quod reverendus dominus Iacobus Antonius, vel quisque fuerit sacerdos ibi cellebrans de licentia ut supra et seu ii ad quos spectare possit, teneantur seu teneatur singulis annis duranti praesenti concessione et confirmatione petere et petita obtinere a sua illustrissima et reverendissima dominatione seu |**605**| absque causa vel cura, et etiam concedere vel

negare ad libitum admodum reverendo domino vicario et visitatore. Quibus semper potestas et facultas sit resservata (nulla unquam temporis praecriptione labente) et etiam absque causa vel procedere vel regere ad libitum. Qua confirmatione non obtenta, nullum et irritum sit praesens decretum cum omnibus in eo contentis. Datum Lonati ex aedibus archipresbyteralibus die lunae XXI ianuarii 1610. Ita concordat cum suo originali. Andreas Pincherolus notarius. Ego Romanus Horatius, veneta auctoritate notarius, praemissa ex alia mihi exhibita a reverendissimo domino praeposito Sancti Felicis fideliter propria manu transcripsi et in publicam fidem scripsi et signavi, hac die 22 maii 1743 cum glaca nuperrime nulla unquam et desinentes non obtenta, in curia … in quorum fidem et cetera.
|606| Eminentissima et reverendissima dominatione dominatione patrona colendissima. Iuribus istius sacrae congregationis ab eminentissima vestra mihi transmissis super iniunctas preces communitatis Sancti Felicis Riperiae et quae ex scripturis et documentis exhibitis veritate niti comperui, debita qua par est obedientia et umilitate remitendo preces ipsas expono. Communitas Sancti Felicis Riperiae benacensis huius veronensis diaecesis de bonis sibi a Deo collatis ecclesiam ante annum 1621 aedificavit, ut in illa missae et alia divina officia celebrarentur et sacramenta ecclesiastica per idoneum presbiterum ab ea de propriis pecuniis stipendiatum ministrarentur. Propterea nonnulli christifideles de ipsa universitate, pia devotione ducti, cultum divinum ampliari cupientes, universitatem huiusmodi eredes suos universales in bonis suis, iure institutionis et haereditatis nomine, constituerunt, ita tamen quod de fructibus et redditibus et proventibus ex ipsis bonis provenientibus missas et alia divina officia in dicta ecclesia Sanctorum Felicis et Adaucti per alios presbiteros celebrari facere et etiam reparare et ornamentis ecclesiasticis fulcire deberent. Ipsa vero universitas Sancti Felicis, tam de pecuniis provenientibus ex bonis relictis et legatis supradictis quam suis propriis, quatuor capellanos conducebat, qui, iuxta voluntatem et ordinationem testatorum celebrarent nec non alium idoneum presbiterum ab eis de propriis pecuniis stipendiatum, qui ecclesiastica sacramenta christifidelibus ipsius loci ministraret ac demum ex praedictis eis bonis – ut praefertur – relictis, quam ex propriis bonis et pecuniis magnum et insigne campanile errexxit, argenteis multis suppellectilibus et pretiosis paramentis et ornamentis auxit ac si cathedralis ecclesia esset, quin immo etiam aliam ampliorem et ornatiorem ecclesiam construxit. Haec narrata leguntur in bulla infrascripta Clementis VII ac vera fuisse constat … Ioannes Mattheus Gibertus episcopus veronensis, qui mandatum ab ipso pontifice mandatum fuerat ut se diligenter informet super veritate narratorum litteras ipsas appostolicas – ut infra dicetur – hoc fundamento inixo executus fuerit. Ex piis dispositionibus, quae recensentur superius et quibus missarum et divinorum officiorum celebratio in remedio animarum disponentium et cetera praecipitur unius tantum **|607|** et alterius monumenta habentur. Prior fuit Iacobi Garofoli testatoris diei 3 maii 1440, qui in omnibus suis bonis haeredes universales instituit et voluit commune et homines Sancti Felicis, cum onere ut ex praedictis bonis dare et solvere debeant perpetuo et omni anno uni seu pluribus sacerdotibus, qui missas et divina officia celebrent in ecclesia Sancti Felicis, in remedio animae suae et suorum defunctorum omni tempore, si ex dictis bonis percipi poterunt redditus omni tempore. Altera dispositione 7 iunii 1460 Ioanna Cerclina medietatem duarum petiarum terrae sitarum in territorio Calvagiesio reliquit eidem Sancti Felicis universitati, praecipiens ut medietas ipsa per dictum communem dispensari debeat in sacrificari faciendo et ut divina officia celebrentur in remedio animae suae et suorum defunctorum in ecclesia Sancti Felicis de Sancto Felice, addens postea quod dictum commune affittare debeat dicta bona et de redditibus perpetuo dispensare debeat in uno sacerdote qui perpetuo sacrificia in ecclesia Sancti Felicis et de Sancto Felice in remedio animae suae et suorum defunctorum et, si redditibus ipius medietatis expectandis dicto communi superabundarentur, sive de superfluo forent, ultra salarium sacerdotis illud superfluum dispensari et expendi debeat perpetuo in utilitate et melioramento ipsius ecclesiae Sancti Felicis. Igitur communitas Sancti Felicis non modo ex bonis relictis ab hisce duobus testatoribus, sed ex aliis sibi adeo conlatis et propriis, ut quatuor cappellaniae instituerentur a sancta sede supplex enixe petiit obtinuitque ut constat ex bulla Clementis VII, quarto nonas aprilis anni 1531, qui sua auctoritate in ecclesia Sancti Felicis ipsas erigendas decrevit, unam scilicet ad sanctissimi Corporis Christi et aliam ad Nativitatis beatae Mariae Virginis ac aliam ad decolationis sancti Ioannis Baptistae nec non reliquam ad sanctorum Felicis et Adaucti altaria, cum onere ut cappellani respective ad altaria etiam in nova ecclesia huiusmodi missas et alia divina officia singulis diebus celebrare et inibi sacramenta ecclesiastica christifidelibus praefatis, ut prius ministrari teneantur, applicans pro earumdem cappellaniarum dote eidem ecclesiae – ut praefertur – relicta et legata aequali portione ac demum ius patronatus, reservans eidem universitati ex earumdem cappellaniarum fundatione et dotatione laicali. Ioannes Mattheus Gibertus, huius veronensis ecclesiae episcopus, tamquam executor appostolicus, die 14 novembris eiusdem anni quatuor supra descriptas cappellanias erexit et ex bonis **|608|** eisdem aequali portione dotavit ac praeter antiquum pensum quatrum librarum cerae albae ecclesiae matrici Santae Mariae

de Manerba quotannis solvendum onere indixit cappellanis celebrandi singulis diebus missas et divina officia et inibi sacramenta ecclesiastica ministrandi, iuspatronatus laicale eidem communitati instituens. Die vero 10 decembris subsequentis, vicarius ipsiusmet Giberti episcopi et subexecutor apostolicus singulis huiusmodi cappellanis ex bonis quibus universim ipsae dotatae fuerant certam portionem applicavit ac, praeter illa onera, alia adiunxit iisdem cappellanis subeunda, declarans hos teneri lampadem continuo accensam servare ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, candelas in die Purificationis beatae Mariae Virginis christifidelibus dicti loci, personarum conditione et qualitate servata, distribuendas comparare, idoneum praedicatorem conducere ipsique et socio expensas facere et eleemosinam congruentem erogare, missas plurimas cantando celebrare nec non, dum missae et vesperi diebus festivis solemnibus cantabuntur, propriis suis impensis cereum paschale soliti ponderis et tortias cerae albae ad minus decem accensum et accensas dando incensum manutenere ac demum per turnum curam animarum exercere; hisce cappellanorum obligationibus alia deinde ab Augustino cardinale Valerio huius quoque civitatis episcopo, addita fuit in eius decreto diei 23 octobris 1574, in quo sanciunt ut cappellanus sancti Ioannis Baptistae teneretur modulari organum eiusdem ecclesiae horis et tempore quo divina officia celebrantur. His itaque sic constitutis, utrum successivis temporibus singuli cappellani missas quotidie celebraverint easque pro oneribus fortasse eorum cappellanis adnexis applicaverint omnino ignoratur. Dubitatum tamen fuisse constat quaenam respectu missarum ceebrandarum seu applicandarum eorum esset obligatio, quod cognoscitur ex libro decretorum concilii eiusdem communitatis ad diem 21 ianuarii anni 1637. Verum, quum pestis anno 1630 omnia in hac civitate et diaecesi undequaque subvertisset, redditus quoque et proventus ex bonis, quibus cappellae illae quatuor dotatae fuerant, ita imminuti et tenues facti sunt ut honestae dictarum cappellaniarum rectorum substentationi minimae sufficerent, quae causa omnino extitit ut ad ipsa cappellanias statuto tempore vacantes nullus hactenus idoneus sacerdos repertus fuerit qui institui curaverit; quo factum fuit ut, non sine magna dictae universitatis iactura et dolore, Dei cultus fere in dicta parochiali ecclesia neglectus iacuerit. Haec relata leguntur in decreto eius communitatis diei 15 februarii 1637 et ita |**609**| et in alio decreto Marci Iustiniani, huius ecclesiae episcopi, diei 28 iulii 1643, qui ex multorum testium examine cognovit singulae ex quatuor illis cappellis ante annum pestis quinquaginta circiter scuta romana, post vero id tempus vix tertiam eius summae partem, quin potius medietatem obvenire potuisse. Quapropter episcopus iste, communitatis supplicationibus annuens, quibus petiit ut cappellae Corporis Christi uniretur alia cappella beatae Mariae Virginis cum bonis utrique applicatis nec non aliis per quondam dominum Bartholomaeum Bertotium, ad hoc ut ipsius usus converterentur cum fructibus relictis, auctoritate ordinaria, sumptisque debitis informationibus et adhibita causae cognitione, unionem ipsam decrevit declaravitque ut rector huiusmodi cappellarum unitarum sit et esse censeatur ordinarius parochus dictae parochialis ecclesiae Sanctorum Felicis et Adaucti praedictarum et praepositus nuncuparetur; ceteri vero duo cappellani, tamquam inferiores, coadiutores haberentur. Hac unione sic constituta, universa onera quae dictis quatuor cappellanis incumbere solebant, ad praepositum transtulit, qui teneretur deinceps lampadem inextinguibilem coram sanctissimo Corpore Christi perpetuo manutenere, concionatorem tempore quadragesimali conducere et alere cereum paschale aliasque ceras pro missis et divinis officiis congrue subministrare, in die Purificationis beatae Mariae Virginis candelas populo dispensare, vinum et hostias, tam pro missis celebrandis quam pro fidelium communione, toto anno exhibere et annuum pensum librarum quatuor cerae albae archipresbitero Sanctae Mariae Manerbae exhibere. Horum beneficiorum statui nulla vicissitudo aut mutatio exinde accidit et, quamvis aliquando deinde dubitatum fuerit utrum beneficiarii isti tenerentur missas applicare pro redditibus, quos ex beneficiis suis perciperent, prout cognoscitur et variis theologorum et canonistorum opinionibus, quae in archivio communitatis eiusdem servantur, nihilominus, praedecessorum suorum vestigiis inherentes, missas passim celebrarunt, eorum intentionem applicantes pro offerentibus sibi eleemosinas. Redditus demum, qui ex bonis horum beneficiorum respective modo percipiuntur non excedunt summas infrascriptas, quod compertum habetur ex iuratis depositionibus peritorum eiusdem communitatis aliisque itidem iuratis praepositi et duorum cappellanorum coadiutorum inferiorum, ut in actis 9 et 11 aprilis huius anni. Praeposito igitur obveniunt redditus valoris librarum venetarum 1008 circiter, |**610**| quarum singula valoris unius tubii romani equiparatur, pro oneribus supra recensitis quotannis expendit 515.15.6 circiter; remanent igitur librae 492.4.6. Praeterea tenetur ipse singulis diebus festis missas pro populo applicare, quod onus, si taxaretur ad normam manualis eleaemosinae iuxta morem huius regionis, resultaretur ex valore librarum 170 circiter. Huic oneri addendum est aliud pro cantu musico qui fieri consuevit in die solemni sanctorum Felicis et Adaucti, expensis ipsiusmet praepositi, ad id gravati ex sententia iudiciali vicarii generalis huius episcopatus anno 1676, cuius oneris valor circiter computatur in libris 150, ex quibus sumuntur librae 320, quae si detrahantur a superiori summa librarum 492.4.6, remanebunt pro praeposito tantummodo librae 172 circiter,

quae quatuordiecim scilicet aut quindecim scuta monetae romanae circiter efficiunt. Cappellano vero coadiutori capellae sancti Ioannis Baptistae annuatim obveniunt ex suo beneficio librae venetae 584 circiter; habet dispendium pro redditibus praeparandis seu colligendis et huiusmodi librarum 89.17.6; remanent librae 494.2.6 seu scuta quadraginta circiter, sed, praeter curam animarum quam exercet, tenetur pulsare organa. Cappellano demum coadiutori sanctorum Felicis et Adaucti ex suo beneficio obveniunt redditus circiter librarum 476.5; expendit ipse pro iisdem redditibus libras 46.16; sunt residuae librae 429.9 seu scuta triginta quinque circiter. Haec sunt quae ex monumentis et informationibus adhibitis cognosci potuerunt, ex quibus id primum observandum videtur: nulla haberi testamenta aut dispositiones pias quae designent onus missarum, nisi duas illas superius relatas, in quibus duo sacerdotes tantummodo vel si redditus superabundent plures huiusmodi obligatione onerantur. Deinde inter bona quibus dotata fuere quatuor illae cappellae recenseri nonnulla quae propria communitatis Sancti Felicis, ex quibus et sacra aedificia constructa fuere et onera sustinebantur, quae deinde beneficiariis adnexa sunt et praesbiter qui curam gereret animarum conducebatur. Bona vero quae supersunt huic ecclesiae addicta ita inter se confusa sunt ut quae ex testamento Cerclinae aut Garofoli sive ex liberalitate communitatis processerint identificari omnino non possunt, si excipiantur bona relicta in territorio |**611**| Calvagerio a testatrice Cerclina, quae hucusque identifica ex eodem testamento cognoscuntur quaeque modo experitorum iudicio redditus dare possunt valoris librarum venetarum quingentarum octuaginta duarum. Secundo, observandum venit episcopum Marcum Iustinianum in unione supra relata quatuor sacerdotes qui missa applicarent pro redditibus quatuor beneficiorum antea institutorum necessariis minime esse iudicavisse, dum ex quatuor huiusmodi beneficii ad tria reduxerit et obligationes duorum sacerdotum uni tantummodo iniunxerit. Tertio, demum observari dignum censetur quod praeposito cum duobus cappellanis conductoribus cura animarum incumbit et praepositus ipse tot oneribus prematur ut ex certis redditibus satis ad honestam vitam traducendam sibi non supersit, ex quo fit ut incertis parochialibus vel carent vel, si haec exequantur, minutiora accipiunt, quamvis maiori certo redditu abundent, quam praepositus nihilominus vix eorum honeste substentationi sufficientes ex bonis beneficiariis fructus assequuntur. Ex quibus sapientia ac summa aequitas eminentissimum patronum istius sacrae congregationis cognoscet utrum in totum vel in parte applicari debeat sacrificia pro redditibus bonorum quae possident vel, stantibus rebus ut stant, in libertate applicationis sacrificiorum praepositus et cappellani valeant continuare; profundeque inclinatus, sacram purpuram eminentiae vestrae deosculor. Veronae die 28 iulii 1742. Excellentiae vestrae reverendissimae umilissimus obligatissimus obedientissimus servus. Ioannes episcopus veronensis.

|**612**| Copia. In nomine Iesu Christi. Amen. Adì 22 maggio 1738. Inventario delle robbe e supelletteli sacre esistenti nella sagrestia già fidati e consignati al reverendo signor don Gieronimo Fiorentini, segrestano, come ne precedenti inventari ed hora rinovato per essersene diversi fatti altri aggiustare e altri accresciuti et altri per non esser più buoni incendiati, fatto con assistenza de signori previdenti della chiesa e novamente consignati al detto reverendo signor don Gieronimo, con obligo di renderne conto. Una croce d'argento intiera, come nelle notte del comun – un turribolo d'argento con navicella e cucchiaro d'argento – un paramento intiero, cioè piviale, pianeta e due tunicelle con tre stole e tre manipoli di damasco morelo, o sia pavonazzo, tutto guarnito d'oro fino – un velo da calice ed una borsa di damasco simile, guarnita d'oro e una pianeta e due tonicelle, con quatro manipoli di damasco cremese guarnito d'oro fino e due stole simili – una borsa da calice simile, con due veli ricamati – un piviale ed una pianeta di razzo, con due stole ed un manipolo – altra pianeta rossa di tabino, guarnita d'oro, vecchia con sua stola e manipolo – altra di cameloto morelo fodrata di sendal verde, con sua stola e manipolo, fornita d'oro fino – altra di tabino verde, con stola e manipolo, guarnita d'oro falso – altra di damasco verde, con stola e manipolo, guarnita d'argento falso – altra di damasco pavonazzo, guarnita d'oro fino, con una stola e manipolo – altra di erbazzo verde, con stola e manipolo, guarnita di seta – altra pianeta o sia camelotto morelo, con stola e manipolo – altra d'erbazzo o sia camelotto rosso, con stola e manipolo – due pianete nere, con stole e manipoli, una di camelotto, l'altra fiorata nova – due pianete bianche, una di damasco fino guarnita d'oro fino, l'altra di damaschetto guarnita d'oro falso, ambe nove, con sue stole e manipoli, borse e veli – altre due bianche, una di sempiterno, l'altra di seta a scacchi, con sue stole e manipoli – un piviale di damasco nero, con sue liste d'argento falso – una continenza d'ormesino cremese, ricamata d'oro – quatro camisi di lino, con suoi amiti e pizzi – altri tre camisi stoccatti, con merli novi - |**613**| altro di tela olandina novo, con merli – amiti di lino 11 – cordoni 6 – un velo di seta bianca ed un altro di sendale gialo – due veli rossi di damascheto, altro velo biancho di damascheto – due veli verdi di damascheto – due veli neri novi ed un altro vecchio nero, con una borsa nova ed una vecchia – tre altri moreli, uno con pizzi d'oro falso – borze da calice 6, comprese due – corporali 2, uno nel banco del reverendissimo signor prevosto per il santissimo Viatico, l'altro nel tabernacolo – anime

da calice 8 – purificadori 25 – fasoletti da calice 8 – tre conopei da coprir il tabernacolo – tre coperte da pissidi – due calici d'argento, con sue patene d'argento e manico di rame adorato – due messali da vivo e messalini da morto 2 – le sue sotto tovaglie a tutti li altari, con le sue tele sopra le mense – una tovaglia piciola di renzo da riponere sopra l'altarino – un sciugamano di tela con pizzi – sette tele da coprir l'ancone, oltre quelle del santissimo Rosario e della veneranda scola della Carità, rotte e sette tele per coprir la mensa – sei candelieri grandi d'ottone per l'altar maggiore – un turibolo d'ottone, con le sue cadenelle consimili e due navicelle d'ottone – una crocetta picciola d'argento, ma non è che si riponeva sul tabernacolo vecchio, ora essistente ne banchi di sagrestia – una tela nera da coprir una croce d'argento – lampede 7 e due rotte, esistenti ne banchi de sagrestia, oltre quelle delli altari delle scole – tovaglie d'altare 5 di renzo, con pizzi ed altre tredici compagne, quelle che sono sopra li altari, non comprese quelle delli tre altari delle scole – candeglieri di ottone 18 sopra li altari, oltre quelli della scola – sette croci d'ottone sopra li altari, oltre quelle delle scole – due cossini di damasco novi color cremese, con suo parapetto o sia paglio consimili **|614|** per l'altar di san Rocco – un parapetto di raso cremese per l'altar maggiore, con sue liste d'oro grandi – altri quatro parapetti per il detto altar maggiore, uno biancho e rosso a fiorame, altro morelo, altro rosso, altro color celeste, tutti di setta – due tele da coprir il crocefisso della capella e l'altra quello della sagrestia – un crocefisso nella sagrestia, con la sua tavoletta inscritta sotto "Sia lodato il Santissimo Sacramento" – otto palme di fiori secche belle per ornar li altari – brassa tre e meso lista d'oro, con fransetta consimile, con una massetta di seta – tre tavolette per li altari, ciascheduna con le sue latterali del Lavabo ed In principio, adorate con intaglio – altra inargentata per l'altare della beata Vergine delle Grazie – altra colorita, fatta di novo per li giorni feriali sopra l'altare maggiore – altre due tavolette nove e due croci con suo candeglieri e latterali di legno inargentati, oltre l'altre vecchie che s'attrovano alli altari – due sedelini di rame, uno piccolo e l'altro più grande, per uso della sagrestia. Fu fatto il soprascritto inventario e il tutto consegnato al reverendo signor don Gieronimo Fiorentini dalli signori Gieronimo Bonazzi, Pietro Bariletti e Romano Bonazzi, presidenti e così et cetera. Io prete Gieronimo Fiorentini, segrestano, confermo quanto di sopra. Ego Romanus Donatius, veneta auctoritate notarius actualis spectabilis communitatis Sancti Felicis, praemissa extrahere feci, subscripsi et in publicam fidem signavi . Ad laudem Dei Optimi Maximi. Adì 28 settembre 1738. Furono consignati al reverendo signor don Gieronimo Fiorentini segrestano tre cordoni da camise novi hoggi comperati. Romanus Donatus notarius.

|615| Copia. [A margine: 1622, 20 giugno] In nomine Domini, amen. Pateat omnibus, tenore praesentium, hoc anno a Christo nato millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indictione quinta, die vero vigesima iunii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri Gregorii divina providentia papae XV anno secundo, quod alius Paulus papa V, felicis recordationis, ob eximium amorem quo prossequebat excellentem dominum marchionem Villene, tunc apud eundem sanctissimum pro regia maiestate cattolice oratorem, eidem in forma brevis expeditas litteras concessit tenoris (videlicet a tergo: "Dilecto filio nobili viro Ioanni Ierandis Pantheo marchioni Villenae"; intus, vero, "Paulus papa Quintus" et cetera). Tua in Deum pietas et religio ac singularis quem erga nos et sedem apostolicam geris devotionis affectus promerentur ut, piis votis tuis quantum cum Deo possumus libenter annuamus; supplicationibus igitur tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi sanctorum et sanctarum reliquias, non tamen muro clausas ut ex quibuscumque Urbis ecclesiis, monasteriis, cemiteriis et locis piis existentibus nec non aliarum civitatum terrarum et locorum ubi te adesse contigerit a sponte dantibus recipere, receptas extrahere et reverenter apud te tenere et, si tibi placuerit, illas et quascumque illarum partes ecclesiis, monasteriis et aliis locis nec non et personis piis et devotis utriusque sexus prout tibi placuerit elargiri libere et licite, sine aliquo conscientiae scrupolo possis et valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimus, non obstantibus constitutionibus et ordinibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum die quinta septembris, pontificatus anno **|616|** secundo, loco + anuli piscatoris. Scipio Cobellutius et cetera. Volens itaque excellentissimus dominus marchio praefatus dictis litteris apostolicis uti nec volens ipsemet ad praedicta vacare, gravioribus negotiis detentus, non nullos vivos probos ad extrahendum sanctorum martirum reliquias ex coemeteriis Urbis subrogare curavit, inter quos specifice connumeravit admodum reverendum dominum Perinellum de Perinellis, civem spectatissimum iuris utriusque doctorem promisitque omnibus sic subrogatis ut pro se ipsis quantitatem dictarum reliquiarum ex dictis coemeteriis ad eorum beneplacitum extrahere valerent, quas idem excellentissimus facultateque eidem donavit et cetera et cum praedictus dominus Perinellus tunc non nullas sanctorum et sanctarum reliquias extraxisset illasque apud se detineat non quo decet honore et ideo, ad effectum honorifice collocandi alicui viro pio donare decrevit et cetera, quibus accessit licentia reverendissimi domini viceregentis illutrissimi domini cardinalis domini domini vicarii et cetera, tenoris 23, Ioannes Garpias ecclesiae Sanctorum Quatuor

Coronatorum divina providentia praesbiter cardinalis Millinas, suae dominationis papae vicarius et cetera, cum reperiantur penes dominum Perinellum de Perinellis nonnullae sanctorum et sanctarum reliquiae iamdiu ex coemeteriis Urbis, pontifitia facultate extractae et cum illas non quo decet honore detineat, ideo, ad effectum honorifice collocandi, licentiam concedimus eidem reliquias praedictas ab Urbe extrahendi sive extrahere faciendi a quavis christiana persona, non obstantibus prohibitionibus et aedictis per nos in contrarium emanatis. In quorum fidem. Datum die 27 maii 1617. Caesar Fidelis, vices gerens et cetera, rogatus igitur nunc praedictus dominus Perinellus ab admodum illustri et admodum reverendo patre domino Angelo Moniga de Sancto Delice, ordinis congregtionis cassinensis dignissimo procuratori generali et cetera, ut de reliquiis praedictis aliquas sibi donare dignaretur et, sciens ipse dominus Perinellus eiusdem admodum illustris et admodum reverendi domini Angeli maximam pietatem, idem nonnullas ex dictis reliquiis donare **|617|** constituit et cetera. Hinc autem est quod, in mei et cetera et testium infrascriptorum praesentia, personaliter constitutus supradictus dominus Perinellus, qui sponte et cetera omni modo meliori et cetera donavit eidem domino domino Angelo corpora sive ossa et reliquias sanctorum martirum Felicis et Adaucti, quae quidem sanctorum martirum Felicis et Adaucti corpora, me notario praesente et respiciente ac domino Antonio Francutio et domino Angelo Feliciano testibus romanis, ex coemeterio viae ostiensis extra Urbem die 27 martii 1607 ex duobus sepulchris contiguis integris cum nominibus et cetera extractae fuerunt et cetera, quam donationem praedictus dominus dominus Angelus acceptavit, sanctas reliquias accepit, adoravit et gratias egit et cetera dictusque dominus Perinellus promisit donationem hanc, nec titulo ingratitudinis nec aliquo alio titulo revocare, sed illam habere ratam et contra non facere et cetera; super quibus rogaverunt me notarium ut de praedictis publicum hunc conderem instrumentum et cetera. Actum Romae in aedibus mei notarii et cetera, praesentibus pro testibus domino Lucca Muttino et domino Carolo Petrucio romanis, ad praedicta vocatis et rogatis et cetera. Et quia ego Iulius Alancus, publicus Dei et apostolicae sedis gratia notarius, de praedictis rogatus fui, ideo praesens instrumentum subscripsi, publicavi et meo signo signavi et cetera. Almae Urbis Camerae Coss. Et cetera. Dominum Iulium Alancum romanum nostrum et publicum fidelemque notarium suisque scripturis semper et ubique fideliter adhiberi testamur **|618|** et ideo praesentes fieri iussimus nostro sigillo vallatos. Datum die 21 iulii 1622. Fabritius Vallatus legitime et cetera. In nomine Domini. Amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum quod, anno a Nativitate eiusdem Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, indictione septima, die vero decima septima mensis aprilis, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri patris patrum Gregorii divina providentia papae XV anno tertio, cum fuerit et sit – prout asseritur –quod illustrissimus et reverendissimus dominus Innocentius de Maximis episcopus brintonicus, nuperrime a sanctissimo domino nostro in partibus Hispaniarum regem catolicum sedis apostolicae nuntius ellectus, licentiam et facultatem ab eodem sanctissimo domino domino Gregorio papa XV obtinuerit excavandi et extrahendi per se ipsum vel eius agentes ministros ex coemeteriis, tam intus almam Urbem quam extra eam existentibus, reliquias sacras, etiam corpora sanctorum martirum, ad effectum illa seu illis in partibus et ubi melius ipsi videbitur et placebit asportandi et transferendi ac in ecclesiis et aliis locis sibi magis benevisis conservandi ac asportari, transferri et conservari faciendi et alias latius prout in supplicatione, manu eiusdem sanctissimi domini nostri papae signantur et mihi notario tradita ad effectum inserendi in praesenti instrumento tenoris sequentis, videlicet: Beatissime pater cum devota creatura nostra Innocentius de Mareliis, episcopus Brintonicus, nuperrime a sanctitate vestra in partibus Hyspaniarum apud regem catholicum sedis apostolicae nuntius ellectus, cum ut christifidelium devotio erga sanctorum reliquias magis excitetur illaeque maiori in veneratione habeantur et ab eisdem fidelibus maioribus frequententur honoribus plurimum cupiat, nonnullas sanctorum et sanctarum reliquias ex sanctorum Vincentii et Anastasii alias Trium Fratrum nuncupatorum cistercensium ordinis ac contigua illi capella, **|619|** Scala Coeli nuncupata nec non sancti Sebastiani ad cathacumbas et sancti Laurentii et Sancti Pauli ecclesiis et monasteriis aliisque sacris locis et cemiteriis, tam intra quam extra Urbem existentibus, sibi donare, extrahere supplicavit. Propterea humilime sanctitatem vestram dicta creatura quatenus eius pio desiderio huiusmodi annuentes ipsumque episcopalis gratiae favore prossequere eidem creaturae utpote vel alium seu alios quorumcumque sanctorum et sanctarum reliquias ex praedictis monasteriis, ecclesiis, cemiteriis ac locis extrahere sibi donare, recipere et ad quascumque christiani orbis partes deferre vel deferri facere illasque et illa in quibuscumque et quorumcumque ordinum et religionum ecclesiis et locis piis sibi bene visis honorifice collocare et collocari facere libere et licite possit et valeat absque censurarum incursu, apostolica auctoritate concedere et indulgere ac licentiam et facultatem impertiri dignemini de gratia spirituali, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non quibusvis prohibitionibus desuper quomodolibet factis censurisque contrariis quibuscumque, cum aliis opportunis, fiat ut petitur. A. et cum absolutione a censuris,

ad effectum et cetera ac de instantia concessione indulta aliisque praemissis ut supra et quod sola praesentis supplicationis signata suficiat et ubique fidem faciat in romana curia et extra, regula quacumque contraria non obstante et dumodo non sint principalioribus et insignioribus dictarum ecclesiarum et de contrata inibi residens, quod praesens gratia ad unum mensem tantum duret fiat. B. Datum Romae apud Sanctum Petrum, quinto calendas aprilis anno tertio, cuius quidem facultatis et licentiae vigore, dictus illustrissimus et reverendissimus dominus Innocentius episcopus et nuntius apostolicus et pro eo admodum reverendus Ioannes Baptista Baretta mediolanensis, ipsius agens et provisor, cum multas et diversas reliquias et corpora integra sanctorum martyrum et virginum extraxerit, exchavaverit et exhumaverit, mediante tamen persona domini Alexandri Spatilli Velitituni, pratici et experti in dictis coemiteriis, quem ad illa perquirenda dictus admodum reverendus dominus Ioannes Baptista, agens et provisor praedictus, deputavit, in quibus quidem **|620|** extractionibus et exhumationibus fuerunt extractae, et exhumatae inter alias infrascriptae sanctae reliquiae et corpus infrascriptae sanctae virginis et martyris, qui admodum reverendus dominus Ioannes Baptista, agens et procurator antedictus, deinde, cognoscens labores et merita dicti domini Alexandri Spatilli, donavit eidem Allexandro infrascriptum corpus sanctae Flaviae virginis et martiris, prout in donatione et cetera per me et cetera rogata et cuius tenor talis est videlicet. Admodum reverendus dominus Ioannes Baptista Beretta mediolanensis et deputati apud regem catholicum sedis apostolicae illustrissimo domino patri nuntii ellecti mihi notario cognitus, qui, … vigore facultatis et licentiae ab illustrissimiìo domino domino Gregorio papa XV concessae et attributae prout in supplicatione, manu eiusdem sanctissimi domini nostri et de qua supra fit mentio, extraxit et exhumavit ex cemeteriis, et praesertim ex cemeterio sancti Calisti papae, sito in via Appia extra et prope moenia Urbis, diversas reliquias sanctorum martirum et corpora integra mediante persona infrascripti domini Alexandri Spatilli, prout latius in dictis extrationibus, per me et cetera rogati; ad quas et cetera requisitus a dicto domino Allexandro quatenus aliquas reliquias et corpora dictorum sanctorum martirum per ipsum ut supra exhumatae et repertae sibi dare, donare et concedere dignaretur ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et gloriosae semper Virginis Mariae ac sanctorum et sanctarum curiae coelestis. Ideo, volens dictus admodum reverendus dominus Ioannes Baptista, ob labores per quondam dominum Alexandrum passos in dictis extractionibus et exhumationiibus, se gratum erga ipsum ostendere, hinc est quod in mei testiumque infrascriptorum praesentia personaliter constitutus dictus admodum reverendus dominus Ioannes Baptista, agens et procurator praesens sponte et cetera omni meliori modo et cetera donavit, cessit, concessit et tradidit et cetera suprascipto domino Alexandro, praesenti, instanti et genibus flexis recipienti, infrascriptas sanctas reliquias, scilicet corpus sanctae Flaviae virginis et martyris ut supra extractas et exhumatas, quas et quod dictus dominus Alexander, ea qua decuit reverentia, humiliter et genibus flexis recepit et cetera et de illis gratias quamplurimas dictus admodum reverendus dominus Ioannes Baptista egit et agit et promisit illas decenter et honorifice conservare et participes facere aliquas ecclesias seu pias personas **|621|** utriusque sexus, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et gloriosae semper Virginis Mariae, pro maiori dictorum sanctorum martirum splendore, decore et reverentia. Pro quibus et super quibus et cetera actum ubi infra patentibus et cetera infracriptis et cetera. Modo autem dictus Alexander, requisitus a perillustri et admodum reverendo domino Angelo Moniga de Sancto Felice veronensis diaecesis, ordinis sancti Benedicti congregationis cassinensis et eiusdem congregationis dignissimo procuratore generali praedictus, ad augendam Christi fidelium devotionem, aliquas sanctas reliquias et corpora sanctorum martirum sibi dare, donare, tradere et concedere dignaretur. Ideo hinc est quod in mei et cetera personaliter constitutus suprascriptus dominus Alexander Spatillus mihi et cetera cognitus, qui, asserens medio eius iuramento tactis et cetera infrascriptas sanctas reliquias et corpus infrascriptae sanctae Flaviae virginis et martiris esse de illismet per ipsum et me notario praesenti et videnti et cetera, extractae vigore suprascriptae facultatis ex suprascripto cemiterio sancti Calisti et ipsi ut supra donatae per suprascriptum reverendum dominum Ioannem Baptistam, agentem et procuratorem praedictum sponte et cetera omnibus et cetera suprascripto perillustri et admodum reverendo patri don Angelo Monighae suprascriptae congregationis cassinensis dignissimo procuratori generali, praesenti, instanti ac humiliter et devote recipienti infrascriptas sanctas reliquias et corpora sanctorum martirum ut supra extractae et exhumatae, scilicet corpus sanctae Flaviae virginis et martiris, donavit, cessit, concessit, tradidit et cetera. Item omnia iura et cetera, ad habendum et cetera, quas et quod dictus perillustris et admodum reverendus don Angelus humiliter et devote recepit et de illis domino Allexandro gratias egit et agit et promisit dictas sanctas reliquias et corpus sanctae virginis et martiris in ecclesiis seu capellis sibi magis benevisis decenter et honorifice collocare et aliis piis personis utriusque sexus donare ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et beatae semper Virginis Mariae eius Matris totiusque curie celestis; deinde dictus perillustris et admoum reverendus pater don Angelus Moniga, suprascriptae congregationis cassinensis procurator generalis,

